
B


NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
8
11 — C
16
ROMA

R. P. MATTHIÆ BORRVLL VALENTINI,

E SOCIETATE IESV

SACRÆ THEOLOGIÆ Primarij Professoris.





TRACTATVS DE TRINITATE.

Cum Indicibus necessariis.

NVNC PRIMVM PRODIT.





LVGDVNI,
Sumptibus HORATII BOISSAT & GEORGII REMEVS.

M. DC. LXII.
CVM PERMISSV SVPERIORVM.



ILLVSTRISS. AC REVER. DOMINO

D. MARTINO LOPEZ DE HONTIVEROS ARCHIEPISCOPO VALENTINO.





IN magno Oceano exiguam jactari cymbam, & contra solutos vtrinque ventos, & lacessitos fluctus emergere, ingens est gloria, & gloriosior de tempestate triumphus. Immensum *Triados* Oceanum, ILLVSTRISSIME PRÆSVL, quænam audeat humanæ mentis nauicula transnatare, nisi blando Fidei zephiro respirante? Quis portum valeat appellere, nisi eiusdem Fidei Anchorâ firmante nauim? Idcircò *Christus Dominus* Petro firmis vestigiis faciles maris vndas prementi, & postmodum naufraganti, ait: *Modicæ Fidei quare dubitasti?* Dum enim firma fuit Fides,

 solidæ

ſolidæ Petro ſubſternuntur aquæ; nutante verò Fide, labantem quoque Petrum intuemur. Cùm ergo Paſtoralis ſit muneris, Eccleſiæ Nauem Anchorâ Fidei firmare; hæcque cura potiſſimum inuigilet, in arcano *Triados Myſterio* Fidelium præcordiis inſerendo, vtpote primo & limpidiſſimo totius veritatis fonte. Tuum cenſui, INCLITE PRÆSVL, Opuſculum hoc *de Myſterio Trinitatis*, cui Catholicæ Nauis Gubernaculum traditum eſt, & in quo ardentem ſemper Fidei zelum veneramur.

Memini Sanctum Martinum Turonenſem Epiſcopum Patronum tuum, tres mortuos ſuſcitaſſe, ereptâ ſemel vitâ nouo halitu reparatâ: ſed quâ virtute ſtupenda hæc ſæculis miracula patrata fuerint; noſti optimè; in virtute Fidei *Trinitatis* mirabilia hæc Martino contigiſſe, teſtante Eccleſiâ: *Sancta Trinitatis Fidem Martinus confeſſus eſt, vt in virtute Trinitatis Deifica, mereretur fieri trium mortuorum ſuſcitator.* Cùm tu ergo, ILLVSTRISSIME HIERARCA, Spiritu tanti Parentis ſis filius. Quis non ſperet, in te vno Martino, ſimillimo Parenti Filio; Trinitatis Fidem; non ſolùm illibatam conſeruandam; ſed in dies etiam magis, magíſque ſolidandam, & Catholicæ Religionis producendos fines, hoſtéſque profligandos. Ad hoc natus es, ad ídque Te Martini nomen, & baculus Paſtoralis impellunt. Martini nomen fauſto ſydere ſortitus es, &

creatus

creatus Paſtor. Quid hæc indicant, niſi futurum te ſtrenuum, acerrimúmque *Deificæ Trinitatis* defenſorem. Hæc jure optimo impulere, vt patrocinium tuum ambiret elucubratio mea, vt ſub tanti Argonautæ diſciplina, opuſculi cymba inter irrequietos huius ſæculi fluctus, deſideratiſſimum portum appellat, tantíque Paſtoris infulas, adeò ſolicitè Fidei incrementa ſatagentis, adoret.

Illud præterea meminiſſe juuat in Sanctiſſimo Antiſtite Martino Patrono tuo; indefeſſam videlicet omnimodæ curæ vigilantiam in commiſſo ſibi grege paſcendo. Nihil intentatũ, nihil reliquit inauſum ad aberrãtes oues Chriſto Paſtori ſuo reducendas, & perditos deprauatóſque mores cõponendos. In hac præda capiẽda cunctas ſuas artes, ingenium, vires & conſilia die noctúque Martinus impendebat. Hiſce triumphis generoſus *Chriſti* miles exultabat, gloriaturus cnm Petro ſibi gratulante: *Eratis enim ſicut oues errantes, ſed conuerſi eſtis nunc ad Paſtorem & Epiſcopum animarum veſtrarum.* Ad hanc metam feliciter pertingendam, viros quos nouerat Apoſtolico ſpiritu feruentes, diuinis, quibus ipſe agitabatur, ſtimulis vrgebat; vt imperterriti cauſam *Chriſti* dicerent, & in graſſantia vitia impauidi inueherentur. In eundem ſcopum ad curatus animarum promouebat, non quos fauor humanus, aut gratia Principum juuabat; ſed quos virtutum, lit-

terarúmque merita cõmodabant; proſpectum habens,ex hiſce fontibus virtutes populorũ ſcaturire.

In hoc tu etiam Magni illius Martini non degener filius.Nam in miſera & deploranda temporum calamitate, qua Valentinæ tuæ oues cruentis ciuilis vindictæ ſcandalis præ timore ferebantur attonitæ, & præ diuturna terræ ſiccitate majora diuinæ iuſtitiæ ſupplicia formidabant. Quid non tentaſti ad carnifices arcendos lupos, vel eos in oues Chriſti conuertendos, & pluuiam voluntariam ſegregandam hæreditati tuæ? Valentinam tuam ſedem, te duce, in pœnitentem Niniuem conuerſam vidimus,illis etiam Baccanalium temporibus, quando cunctis viuendi licentia maior eſt. Audiuimus Ionas viros à te delectos Apoſtolico ſpiritu die noctúque pœnitentiam, non ſine ingenti fructu, conclamantes. Vidimus oculis noſtris, cunctos Reipublicæ ordines lugubri pompâ diuinam miſericordiam per templa, vicos, & plateas exorantes. Omnes tuas artes, ingenium, vires, & conſilia expreſſa ſunt in perditis ouibus Chriſto Paſtoris ſuo reducendis.In hunc ſcopum nihil intentatis, nihil liquit inauſum ille ingens,quo tu ardebas,religionis zelus.Ignem miſiſti,& accendiſti ad exemplum Summi Paſtoris ajentis: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo,niſi,vt accendatur.* His igniculis cõnſtanti fomite nutriitis, magna vitiorũ pars conſumpta eſt, & deſiderata collabentium morum

integritas

ıtegritas restituta. Zelus domus Christi comedit Te; vnde natum est, ad curatus animarum, non quos fauor humanus, sed quos virtutum, litteraúmque merita commendabãt, perpetua, & inuicta constantia promoueri. Facinora sunt ista, CLARISSIME PASTOR, Martini Antistitis, & Tua.

Illud insuper Sãctissimi Præsulis Martini memoria dignissimũ. Quod sub caduco, & terreno militans Imperio, cum nihil haberet præter arma, & vestimentum; Ambiani, pauperi, aç nudo ab eo petẽti, vt *Christi* nomine sibi eleemosynam impertiret, cõmotis *Christi* nomine, & pauperis objectu; pij militis visceribus, dimidiatã ense chlamydem generosè donauit. In hoc Tu etiam Martinus, qui dicatũ Archiepiscopatus imperium pauperibus habes, qui pretiosam reddituum clamydem alendis, tegendísque *Christi* pauperibus cõsecrasti. Nec importunas expectat largitas tua miserorũ preces, sed anteuertit, prona sẽper ad pietatis officia. Hæc tua, INCLYTE MARTINE, liberalitas, quo alio, quam Martini tui præmio remunerabitur à Deo. Cum enim S. Præsul intẽpestæ noctis silentio militari labore fessa membra sapore leuaret, apparuit illi *Christus* dimidiâ illâ clamyde vestitus, hanc mittens in præcordia militis dulcissimam vocem. *Martinus adhuc Cathechumenus hac me veste contexit*. Quo factum est, vt vnâ, eadémque militari chlamyde *Christus*, eiusque miles Martinus tegerentur, vna, eadémque purpura

caperet

caperet ambos. Adeò chara *Christo* est profusa in egentes liberalitas; vt non aliâ purpurâ, quàm Martini pallio, Rex Regum & Dominus dominantium glorietur. Non absimile Te expectat, MARTINE, præmium. Donasti Christi pauperibus pretiosam Archiepiscopatus tui clamydem; intempestæ ergo illius noctis silentio, quando fessa Pastorali onere membra sopor vltimus leuabit, expectare poteris dulcissimam illam *Christi* vocem; *Martinus hac me veste contexit.*

Illud, inter eximia alia, singulare liberalitatis, pietatísque argumentum in primo Antistite Martino legimus, quòd factus Episcopus Turonensis Monasterium extruxit, in quo homines à rerum sæcularium curis auulsi cœlestem vitam, Angelorum more traducerent. Hoc tuæ etiam effusæ largitatis, ac pietatis illustre argumentum est. Quippe qui ad Valentinum Archiepiscopatum assumptus, sacrarum virginum cœnobium Sanctæ Mariæ Angelorum nomenclatura nobilitatum munifica liberalitate è fundamentis erexisti, in quo Virgines Deo sacræ sub arctiore Sanctæ Claræ regula, terrenarum cupiditatum illecebris abjectis, solíque Deo vacandi desideriis inflammatæ viuunt Angelorum æmulæ. Parasti scilicet prudenti astu religiosum hoc asylum honestis ac ingenuis Virginibus, quæ Religiosam vitam anhelantes, ob rei ta-

men

men familiaris angustias solitæ doti persoluendæ non sunt; ne videlicet studia ineundæ religionis hisce adolescentulis desperato, pudicitia in naufrago hoc sæculo fluctuabunda ad effrænatæ licentiæ scopulos illidat. Quo factum est, vt vtroque Martino Antistite, & Turonensi & Valentino adnitente, vterque sexus virorum, fœminarúmque ad Angelicæ perfectionis ideam nobili incitamento studeat conformari.

Illud etiam in Sancto Antistite Martino memorandum; Quod iustitia ita erat attemperata clementiâ, vt nec pateretur insolescere licentiores, nec benè moratos proteri; virga omnibus baculus erat, quo lauarentur. Clementia, & Iustitia virtutes sunt, quibus feliciter Christiani Principes ad regendos, continendósque populos armantur, vt nec solus Iustitiæ rigor in desperationem agat. nec sola Clementiæ commiseratio contemptui sit. In hoc semper mirandus Turonensis Episcopus, cuius virga baculus erat, virga ad continendum, & baculus ad sustentandum; ne vllus vnquam virgæ rigorem sentiret, qui simul non experiretur baculi solatium: sic etiam pœnæ corrigendis subditis inflictæ in dulcedinem vertebantur, & omnium cordibus altè Pastoris sui amor insidebat, quia nouerunt correptionem, non ira vindictæ, sed inextinguibili cha-

é ritatis

ritatis æstu conceptam. Hæc tua etiam gloria, MARTINE, ARCHIEPISCOPE, cuius incorrupta iustitia ita est condita clementia, vt dulcescat correptio, & rigor ipse lentescat. Nouimus, generosam tuam indolem procliuem ad Clementiam, Pietatem, & præmia; dolere te, quoties Pastoralis baculus in rigentem virgam vertendus est. Nouimus tecum esse illud Ouidij 1. *de Ponto, Eleg.3.*

Sit piger ad pœnas Princeps, ad præmia velox,
Quique dolet, quoties cogitur esse ferox.

Quid ergo mirum, quod subditorum cordibus altè tanti Pastoris amor insideat? Pastoris inquam, cuius ingenium, nulli secundum, arduam illam Prouinciam, in vno fœdere copulandi Clementiam, & Iustitiam feliciter expugnauit.

Illud denique, vt alia taceam, in D. Martino celebrandum, quod Pontificias infulas non fuerit ambitionis astu, sed meritorum suffragio consequutus. Fugientem scilicet Martinum honores ipsi ambitiosi, velut vmbra corpus, insequuti sunt, & quia meritorum pondere grauem citiùs, sed gloriosiùs sunt assequuti. Nemo siquidem munificentius in dignitatis apicem assurgit, quàm quem probati mores, perspecta virtus, & præclaræ animi dotes attollunt. Nulla ad gloriæ elogium æstimabilior electio, quam quæ de meritis venit. Id etiam Tibi, CLARISSIME PRINCEPS, gloriosum, quod ad

dignitatum

dignitatum fastigia,non nisi poscentibus, &, pro Te tacente, loquentibus meritis ascenderis. Sed quando ad tuas laudes proprius ventum est, Proh Deum immortalem! Quam sincera liberalitate in Te vnum naturæ, & gratiæ dona collecta fluxerunt, quæ plurimos diuisa beauissent! Quam latus sese campus aperit, per quem, citra adulationis, & fucatæ veritatis periculum, laxis habenis decurrat eloquentia! Id tamen dum lætabundus tentat calamus, quantum sibi de materiæ plaudit vbertate; tantùm de tua modestia pertimescit, quam, dum laudat prouocare veretur; & de tua offensione solicitus,more Tantali, inter affluentes pleno alueo laudationis vnda,penè sitire cogitur, & arescere.Cæterum quominus Tibi molestus videar, breui compendio tuas laudes perstringam, quas,Te frustra renitente,grandiori eloquio celebrare gaudet admiratio.

Prima occurrit auita tui Generis nobilitas, quæ à claris ducta, & propagata Majoribus, ita sensim adoleuit ad gloriam, vt eius splendor, à multis retrò sæculis illibatus ad hanc diem permanserit. Hoc tamen tuæ gentis decus, hæc præclara stemmata, licèt magna, minori in pretio habes, quia extra Te posita sunt; qui ratus neminem satis in tuam gloriam vixisse; injuriosam laudem ducis à Familiæ

tantùm luce commendari,& alienum à tua generosa indole reputas, alienis dumtaxat bonis gaudere, & jacere intra tuorum æstimationem majorem. *Quandoquidem*, vt aiebat Athalaricus, *honestus ambitus est, quos sequimur tempore, velle præconiis anteire.* Crediderim tibi ob oculos frequenter obuersari aureum illud axioma Clarissimi Aragonum Regis Alphonsi. Qui cum ab Aulico, à nobilitate maximè laudaretur, quod scilicet esset Rex, Regis Filius, Regis Nepos, Regis Frater. Rex hominem interpellans dixit. Nihil esse, quod in vita minoris ipse duceret, quàm quod illi tanti facere videretur, Laudem enim illam non suam, sed Maiorum suorum esse; quippe qui iustitia, moderatione, atque cum excellentia sibi regnum comparassent; successoribus quidem oneri regna cedere; & ita demum honori, si virtute potius, quàm testamento illa suscipiant. A se itaque, si qua modo extent, elicerent ornamenta, non à Patribus mortuis extorquerent. Digna sanè tanto Rege sententia, digna Posteritatis recordatione & imitatione. Hanc Tibi, NOBILISSIME PRÆSVL, altè impressam norunt omnes, qui Te à tuis Nobilem, à Te ipso Nobilissimum admirantur, qui cum hæreditario Majorum splendore posses inclarescere, malueris tua industria, meritis & virtutibus propriis eminere. Imò Familiam

liam tuam vel id maximè nobilitat, quod Tu contingeris successor, de quo verissimè vsurpari potest, quod Belga alius in virum clarissimum, cecinit elogium.

Gloria magna, genus clarum quam contulit illi:
Maior, quam generi contulit ipse suo.
Quam lucem accepit, cum fœnore reddidit. Vnus
Hic poterat tantæ conditor esse domus.

Iam verò si tuam eximiam doctrinam, omnigenam eruditionem, Iurisprudentiæ præstantiam, & sapientiæ dignitatem, quibus ad miraculum ingenium locupletandi, lustrare velim, tantus repentè suboritur fulgor, vt me admiratione attonitum reddat elinguem, cum tantæ rei, leui adhuc adumbrandæ penicillo, parem eloquentiam afferre penitus desperem. Vtcunque tamen ipse meæ tenuitatis & argumenti magnitudinis conscius taceam; tacere nunquam poterit Salmantinum Lyceum, quod inter suæ felicitatis fastus memorat, quod Te primarium Pontificis Iuris Antecessorem meruerit. O quoties Salmantinas Athenas in stuporem.& Tui elogia rapuisti! siue ab Exedra recondita Iuris arcana panderes, siue obscurissimis controuersiis lucem effunderes; siue in publicis concertationibus in confertissima sapientissimorum hominum luce, Propugnatores eo rationum & textuum robore impeteres, vt è tui

ingenij pharetra nullum prodiret *telum imbelle sine ictu*; impugnatorum verò impetum ita frangeres, vt contorta argumentorum piacula refringeres,& retunderes,difficillimos Textus facilè concordares,summè arduas, & intricatas quæstiones, non minori ingenij facilitate & felicitate, quàm omnium voluptate, plausu, & admiratione dissolueres; Probantibus scilicet viris grauissimis, quotquot aderant,quæ à Te vel ex tempore dicerentur; quæ rara laus est, & elogium singulare. *Nimis quippe arduum est*,si credimus Cassiodoro, *tale aliquid inter illos dicere, quod nequeat tantis prudentibus displicere. Ideóque non vnius dignitatis vir æstimandus est, qui ab illa turba Doctorum bonum potuit referre iudicium. Nam si gratum est vel sub raritate prædicari, quid illi gaudij prouenire possit, quem tot Doctorum vota laudauerint.*Parum hoc, licet ad ingentem gloriæ cumulum sufficeret,Te inter tot sapientiæ Antesignanos;& vtriusque Iuris proceres,sua magnitudine prope sydera tangentes, videri magnum, nedum eminere; Tu tamen ingenij ac doctrinæ beneficio consequutus es,vt & magnus esses, & emineres; & qui in Salmantino cœlo inter primæ magnitudinis sydera numerabantur,felicitati tribuerent,quod Te solis instar radios vibrante, lucere quoque ipsi possent,in te vno, inuidiam conticuisse, demirati.

Neque

Neque ſine peculiari Diuini Numinis prouidentia factum crediderim,vt tibi Salmantinum contigerit Athenæum, vbi diuites ingenij, doctrinæ, & Iuriſprudentiæ opes effunderes : Illud inquam diſciplinarum omnium emporium, ſcientiarum omnium domicilium, Pontificij, ac Ciuilis Iuris auguſtiſſimum Theatrum, in quod totius Hiſpaniæ ingenia erudienda certatim confluunt; vt nimirum quàm à Te Magiſtro lucem acceperant,in dignitatũ ſubſellia vocata cæteris impertirent, ac planè teſtarentur,ſe Tibi debere,quod affulgerent.

Neque verò oportuit virtuti & meritis,quæ in omnium linguis ferebantur, differre diutius præmium,neque potuit lynceos remuneraturi Principis oculos ſubterfugere, quod à Te ILLVSTRISSIME ARCHIPRÆSVL,Salmanticæ ſumma cum laude gerebatur, *Pene ſiquidem terrarum oculis offertur,* vt de Roma aiebat Athalaricus, *quod in illa ciuitate peragitur. Latere poteſt forſitan vulgare hominum genus, neſciri non poteſt proles Senatus. Quando benè noti ſunt, qui meritis aſſeruntur, & abundè cognoſcitur, qui fama teſte laudatur.* Idcircò cùm Doctoralem Canonicatum tuorum meritorum Marte in Salmantina Eccleſia obtinuiſſes, prouida auguſtiſſimi Regis noſtri PHILIPPI IV. ſolicitudo Te meritis, virtute, prudentia, integritate, ſapientia, cæteríſque animi dotibus abundè probatum,

probatum, nouis ſuorum Regnorum muneribus obeundis admouit. Etenim ne ſola Salmantica tuo aſpectu, tuarúmque virtutum radiis potiretur, ſed communicato juuare, aliis etiam Hiſpaniæ partibus propitium aſtrum affulgeres, è patrio ſolo in Granatenſem Cancellariam abreptus, inter Regios eius Senatores cooptatus es. Inde verò ad altiora vocatum, Nauarrea primum, Hiſpalenſis poſtmodum, Regales Cancellariæ Te Regentem ſummis plauſibus exceperunt, ſuámque ſub Te Regente felicitatem adorarunt. Qualem verò Te geſſeris ad Cenſoriam & Senatoriam dignitatem euocatus, quàm ſingularia ſapientiæ, æquitatis, virtutis & integritatis ſpecimina ſparſeris, ſuperuacaneum eſt prolixius prædicare, cùm ignorare nemo poſſit quod in omnium luce feciſti. Id vnum dixerim, talem Te exhibuiſſe, vt deberes proponi Senatoribus in exemplar; & qualem prædicat Theodoricus Senatorem, quem ad Patritiatus apicem erexit. *Qui vixit tantâ continentiâ, vt æquitatem & inſtrueret monitis, & doceret exemplis. Facilis enim recti perſuaſor eſt innocens Iudex; ſub cuius prædicabili conuerſatione pudet mores probabiles non habere. Quis enim vereatur ſcelus cuius in ſuggeſtu gremij complicem videt. Quoniam exceſſus tunc ſunt in formidine, cùm creduntur Iudicibus diſplicere.*

Per

Per hos ergo virtutum gradus à Censoriis fascibus ad sacras Calagurritanæ Diœcesis infulas viam aperuisti; ad quas Te tuorum conscientia meritorum admonitus Hispanus Monarcha dignissimos Ecclesiis Pastores prouidere solicitus erexit: *A quo qui prouehitur*, vt iterum Theodorici verbis vtar, *præcipuus & plenus meritis æstimatur. Regnantis quippe sententia Iudicium de solis actibus sumit, nec blandiri dignatur animus Dominij potestate munitus.* Iam verò in Episcopatûs fastigio constitutus, qualem te, quantúmque exhibueris, quàm sedulò commissi gregis indemnitatem procuraueris, quanto ardore pietatem, religionem, Dei cultum promoueris, quanto Te nisu grassanti licentiæ opposueris, quibus artibus omnibus omnia fieri allaboraueris, non est facilè intra breues nuncupatoriæ Epistolæ cancellos circunscribere. Sanè vt primum in Episcopale solium ascendisti, vna fuit omnium vox, vna totius populi gestientis acclamatio, nec vano augurio præsagientis, aduenisse sibi viduarum spem, depressorum solatium, afflictorum leuamen, inopum asylum, morum regulam, legum vindicem, disciplinæ restauratorem, pietatis columen, integritatis exemplar, Antistitem auctoritate potentem, rectitudine venerabilem, sa-

 pientiâ.

pientiâ præſtantem, chariſſimum Patrem, ſolicitum Paſtorem, vno verbo, ILLVSTRISSIMVM DOMINVM DON MARTINVM LOPEZ DE HONTIVEROS, Epiſcopum ætatis quidem noſtræ, ſed probitatis antiquæ.

Sed non licuit Calagurritanus diu tanto Præſule potiri. Seruabatur ſcilicet hæc felicitas Valentinæ Metropoli. Quæ quidem iamdudum præſtantiſſimos, ſanctiſſimos, ſapientiſſimos, & numeris omnibus abſolutos Hierarchas habere ſolita, præteritorum Archipræſulum fortunam, Te nacta ſucceſſorem, CLARISSIME PRINCEPS, abundè compenſatam gratulatur. Calagurritani quidem, licet Te abeunte in mœrorem dejecti, ſuam orbitatem deplorent, nobíſque felicitatem inuideant, illud ſaltem ſolatij loco reponunt, quod ſin minus ſoli, certè primi, Te Antiſtitem promeruerint. Vtcumque tamen ſit, auſpicatiſſimè ſecum actum eſſe buccinabit, & inter fortunatiſſimos ſuæ gloriæ titulos ſemper recenſebit Valentina ſedes, quod Te; licèt ſerò, eo tamen tempore nacta ſit Archiepiſcopum; quando immane votum, nec moleſta fronte petendum videbatur, vt infelix hoc ſæculum, & luctuoſus ardentis in ciuiles vindictas Valentinæ Reipublicæ ſtatus, tantùm à cœlo beneficium præſumeret petere, crederet obtinere. Subue-

rendum

rendum quippe nobis erat, ne superi de infensis sibi hominibus, negato tanto Pastore, vltionem vellent exigere. At Tu tam prono fauore traditus Valentiæ, ab eo timore nostros animos absoluis, simúlque ad spes magnas erigis; cum tanto pignore, argumentóque abundè patuerit, non esse curæ Deo vltionem nostram, esse felicitatem. Et quis enim ex primo tuo in hanc vrbem ingressu non facilè præsagiat huiusce felicitatis jacta fundamenta? Votis siquidem omnium ac clamoribus tandiu vocatus, tandiu expetitus, & expectatus. Valentiam tam per eos ipsos dies appulisti; quibus ipsa lætis acclamationibus, festiuis plausibus, magnifico & Regio apparatu, erectis per compita pretiosis, & miræ artis altaribus, edifísque aliis publicæ lætitiæ argumentis, gratam se & effusè venerabundam exhibebat suo beneficentissimo Archiepiscopo Diuo Thomæ à Villanoua, cui sub illud tempus Sanctorum fastis adscripto, Alexander VII. Pontifex Maximus publicos & solemnes Sanctitatis honores decreuerat. Parabant scilicet sydera futurorum præscia, Magno Thomæ legitimum, ac dignum non tam Dignitatis, quàm virtutis successorem; ideóque de cœlo prouisum est, vt idem triumphus, eadem gratulantium animorum significatio & Te Valentiam ingredien-

tem, & Diuum Thomam in cœlis triumphantem celebraret. Nolo amplius, ILLVSTRISSIME HIERARCA, tuæ modeſtiæ, tuarum laudum commemoratione ruborem affundere. Contineo calamum, id vnum deprecatus, vt hoc qualecunque munuſculum non dedigneris in tuam clientelam recipere; à Te, ſi admiſeris, felicitatem auſpicaturum.

Illuſtriſſimæ ac Reuerendiſſimæ
Dominationis tuæ,

Minimus Seruus
MATTHIAS BORRVLL.

LECTORI

LECTORI BENEVOLO.



RACTATVM istum de Trinitate, *benignitati tuæ potiùs quàm censuræ commendo*, LECTOR AMICE, *sic enim prona semper pietas ad condonandum, parcet pusillitati nostræ. Velata, vt aiunt, facie Libellum expono, vt minor sit rubori causa. Quis enim audeat in tam abstruso Mysterio reuelando de proprij ingenij viribus præsumere? Seraphini apud Isaiam regale Dei solium stipantes, alarum obiectu, oculos suos faciémque velabant, præ intima reuerentia, quod tantum Diuinitatis jubar irretorto oculo aspicere non possent. Ita Sanctus Chrysostomus* sermone 4. *Velabant quoque Dei faciem, testante Cyrillo, vt incomprehensibilitatem Dei profiterentur. Quod si causam velaminis inquiras, ea est, quam sacer exhibet textus.* Et clamabant alter ad alterum: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum, plena est omnis

terra gloriâ eius. *Ter repetunt* Sanctus, *vt significent sanctam* Trinitatem *in vnitate Essentiæ*, *inquiunt Ambrosius* libro 3. de Spiritu Sancto, capite 23. *Nazianzenus* oratione de Pascha, *Damascenus* in Trisagio, *istum audi:* Deitas Trinè significatur, gloriáque afficitur, cùm dicitur ter, Sanctus, Sanctus, Sanctus: ac rursum tres hypostases vnâ tantùm gloriâ afficiuntur, cùm dicitur, Dominus Deus Sabaoth, plena est omnis terra gloria eius. Sanctus ergo Pater, Sanctus Filius, Sanctus Spiritus Sanctus. Ter Sanctam ergo dicimus Deitatem, & Trinitatem, non vnicam eius personam. *Id idem in suum Isaiam heroïco carmine cecini Carpanteius Belga:*

O Sanctum, Sanctum, ô Dominum ter denique Sanctum!
O Regem armorum Dominum, bellíque potentem!
Sanctus enim Pater ille ingens totius origo,
Fónsque boni, magnum qui complet Numine mundum,
Sanctus & ille Patris supremi Filius, ante
Luciferum genitus, melioris conditor æui,

Vox

Vox summi sensúsque Dei, quem fudit ab alta,
Mente Pater, magnique dedit consortia regni.
Sanctus & ille ignis, Diuini fomes Amoris,
A Genitore fluens per Natum Numine eodem,
Amborum communis Amor.

Seraphini ergo Trisagium cantaturi accingebantur, & ne vel nimio erumpente Mysterij splendore cacutirent, vel nimium de linceis oculis superbire viderentur, expanso alarum velamine facies suas, oculósque cooperiunt, ad pusillitatem suam, supereminentémque Trinitatis gloriam euulgandam. Nos ergo, qui Seraphini non sumus, sed homines fragiles lutea vasa portantes, quid mirum si velata facie, præ ruboris, & reuerentiæ magnitudine, Trinitatem euulgandam suscipiamus. Nec velamen hoc, vtpote fidei, incautos nos reddet, sed securos. Velata enim fides argumentum est non apparentium. Latent quidem nos alta Dei, & profunda Mysteria, sed vela fides manifestat. Hoc nos velamine protegente, speramus irrita non fore vota, & desideria nostra,

non

terra gloriâ eius. *Ter repetunt* Sanctus, *vt significent sanctam* Trinitatem *in vnitate Essentiæ, inquiunt Ambrosius* libro 3. de Spiritu Sancto, capite 23. *Nazianzenus* oratione de Pascha, *Damascenus* in Trisagio, *istum audi:* Deitas Trinè significatur, gloriáque afficitur, cùm dicitur ter, Sanctus, Sanctus, Sanctus: ac rursum tres hypostases vnâ tantùm gloriâ afficiuntur, cùm dicitur, Dominus Deus Sabaoth, plena est omnis terra gloria eius. Sanctus ergo Pater, Sanctus Filius, Sanctus Spiritus Sanctus. Ter Sanctam ergo dicimus Deitatem, & Trinitatem, non vnicam eius personam. *Id idem in suum Isaiam heroïco carmine cecini Carpanteius Belga:*

O Sanctum, Sanctum, ô Dominum ter denique Sanctum!
O Regem armorum Dominum, bellíque potentem!
Sanctus enim Pater ille ingens totius origo,
Fónsque boni, magnum qui complet Numine mundum,
Sanctus & ille Patris supremi Filius, ante
Luciferum genitus, melioris conditor æui,

Vox

Vox summi sensúsque Dei, quem fudit ab alta,
Mente Pater, magníque dedit consortia regni.
Sanctus & ille ignis, Diuini fomes Amoris,
A Genitore fluens per Natum Numine eodem,
Amborum communis Amor.

Seraphini ergo Trisagium cantaturi accingebantur, & ne vel nimio erumpente Mysterij splendore cæcutirent, vel nimium de linceis oculis superbire viderentur, éxpanso alarum velamine facies suas, oculósque cooperiunt, ad pusillitatem suam, supereminentémque Trinitatis gloriam euulgandam. Nos ergo, qui Seraphini non sumus, sed homines fragiles lutea vasa portantes, quid mirum si velata facie, præ ruboris, & reuerentiæ magnitudine, Trinitatem euulgandam suscipiamus. Nec velamen hoc, vtpote fidei, incautos nos reddet, sed securos. Velata enim fides argumentum est non apparentium. Latent quidem nos alta Dei, & profunda Mysteria, sed vela fides manifestat. Hoc nos velamine protegente, speramus irrita non fore vota, & desideria nostra,

non

non caducam aliquam, sed diuinam Sanctissimæ Triados *gloriam anhelantia. Quod si quid de nostro minus Tibi* LECTOR *arriserit, aut generosè condona, aut para calamum correcturus, quod displicet, arduum enim est in probabilibus vnum esse omnium sensum, opinionem vnam.* VALE.



INDEX

INDEX

Diſputationum, & Sectionum quæ toto hoc Opere continentur.

DISPVTATIO I.

DISPVTATIO II.

DISPVTATIO III.

ô DISPV.

II. *Cur*

DISPVTATIO VIII.

DISPVTATIO IX.

DISPVTATIO X.

DISPVTATIO XI.

DISPVTATIO XII.

DISPVTATIO XIII.

IV.

DISPVTATIO XIV.

DISPVTATIO XV.

DISPVTATIO XVI.

õ 3 III.

DISPVTATIO XVII.

DISPVTATIO XVIII.

DISPVTATIO XIX.

III.

DISPVTATIO XX.

APPROBA

APPROBATIONES DOCTORVM.

REVERENDI P. MATTHIÆ BORRVLI, Valentini, è Societate IESV, Tractatum de Trinitate, nihil à fide absonum, & quod Publicationem impediat, continere ego infrà scriptus Doctor Theologus declaro. Actum hac die decima Ianuarij anni Domini millesimi sexcentesimi sexagesimi secundi.

P. I. ROBE'.

IDem censeo ego infra scriptus facultatis Parisiensis Doctor Theologus, hac die 10. Ianuarij anni currentis 1662.

Fr. CYRILLVS MOREL, Carmeli Lugdunensis Prior.

NOn intercedo Regis causa ne liber cuius Titulus est, R. P. MATTHIÆ BORRVLI, Valentini, è Societate IESV Tractatus de Mysterio Trinitatis, Imprimatur, & in lucem edatur ab HORATIO BOISSAT, & GEORGIO REMEVS, huiusce Ciuitatis Bibliopolis, cum prohibitionibus aliis omnibus Bibliopolis, in hoc casu fieri solitis Lugduni die duodecima Ianuarij 1662.

VIDAVD.

FIat iuxta consensum Procuratoris Regij, die duodecima Ianuarij 1662.

SEVE.

R. A. P.



A. R. P.

MATTHIÆ BORRVLL VALENTINI, E SOCIETATE IESV,

Tractatus de Mysterio Trinitatis.

DISPVTATIO I.

De cognoscibilitate Mysterij Trinitatis ante reuelationem.

NOBILISSIMVM Triados argumentum ordior à cognoscibilitate Mysterij, pressa iam aliorum insequens vestigia. Nec animus est ad cuiusuis entis supernaturalis cognoscibilitatē diuertere, id enim opportunius tractatu de visione præstabitur à nobis, sed libranda exponere, quæ propria sunt Mysterij Trinitatis, consistentis in Trinitate Personarum cum vnitate essentiæ, supra illud principium. *Quæ sunt eadem vni tertio,*

sunt eadem inter se; Vnde oritur difficultas cognoscendi tres Personas Diuinas inter se distinctas, & vnicæ Deitati identificatas.

. SECTIO I,

An ante reuelationem Mysterium Trinitatis demonstrari possit.

2. DIfficultas est. An independenter à principiis quibuscumque supernis, id sibi vult ante reuelationem, stando soli lumini, & principiis naturalibus, sit possibilis demonstratio creata, adeo clare Trinitatis possibilitatem, aut existentiam conuincens; vt nulla creatura rationalis, sui compos, valeat, absolute negare præmissas, nec ex suppositione præmissarum consequentiam. Id intellige de negatione mentali; demonstrationis enim non est linguam fræno subiicere, sed conuincere mentem.

Homini & Angelo impossibilis est ante reuelationem demonstratio Mysterij Trinitatis.

3. Asserendum est, cum catholica omnium sententia, impossibilem esse cuicumque creaturæ rationali, siue homini, siue Angelo, demonstrationem Mysterij Trinitatis ante reuelationem. Hæc conclusio adeo certa est, vt inter fidei dogmata referatur à magno Soario, ex scripturæ testimoniis statim subiiciendis. An autem huic veritati contrarius fuerit Raymundus Lullius, dubium est inter Doctores. Nam P. Vasquez 1 part. disp. 133. initio. & cap. 4. eiusdem disp. Lullium excusat, docens, eum non admisisse demonstrationem Trinitatis mere naturalem, sed dependenter à lumine fidei præsupposito, vel illustratione aliqua superna. P. vero Ruiz disp. 41. de Trinitate sect. 1. à num. 7. constans, & efficax conuincit, admisisse Lullium demonstrationem Trinitatis mere naturalem, & ab omni præsupposito fidei lumine, aut illustratione superna independentē. Quidquid tamē de hac sit cōtrouersia.

Prima ex scriptura probatio.

4. Probatur conclusio, primo ex Scriptura. Matth. 11.

Nemo

Nemo nouit Filium, nisi Pater, neque Patrem quis nouit, nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare. Et Lucæ 10. *Nemo scit, quis sit Filius, nisi Pater, & quis sit Pater, nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare.* Quod testimonium pro stabilienda insufficientia creaturæ ad altum Diuinæ generationis Mysterium penetrandum, sine quo Trinitas deprehendi non potest, proferunt Concilium Nicænum lib. 2. multo proprius ad medium, quam ad finem §. *Ne quæras.* Clemens Romanus Epistola ad Iacobum Fratrem Domini colum. 10. Cyrillus Hierosolymitanus catechesi.6. colum.2. Basilius lib. 1. contra Eunomium post medium. Epiphanius hæresi 76. versus medium ad cap.7. Aerij. Hilarius lib. 2. de Trinitate. Synodus Antiochena I. tempore Dionysij Papæ in professione Fidei missa ad Paulum Antiochenum Episcopum. *Notionem*, inquit, *Dei vt cumque mediocrem si habemus, reuelante Filio eius, sicut ait. Nemo nouit Patrem nisi Filius, & cui Filius reuelauerit, contenti esse debemus.* Concilium Nicænum Clemens Romanus. Cyryllus Hieron. Basilius Epiphanius Synodus Antiochena.

5. Id quod expressit Christus Dominus Matth. 16. *Beatus es Simon Bariona, quia caro, & sanguis non reuelauit tibi.* Et Paulus ad Galatas 1. *Continuo non acquieui carni, & sanguini.* Vbi nomine carnis, & sanguinis comprehenduntur omnes prorsus vires creatæ naturales, vt alte expendit Cyrillus Alexandrinus oratione de Verbi Incarnatione, quæ ponitur in Ephesina Synodo tom.6. cap.1. post medium, aiens. *In ipsam rem curiosius noli inquirere, non enim per Græcorum sapientiam, aut mundanum sensum percipitur, sed ab vtroque est aliena. Beatus est Simon Bariona, inquit Dominus, quia caro, & sanguis,* &c. *Nam Filij Dei cognitio, cæleste diuinæ inspirationis donum est.* Cyrillus Alexandrinus.

6. Confirmatur illis omnibus Scripturæ testimoniis, quibus, vel prohibemur nostris viribus alta, & profunda Dei attentare; vel admonemur, captiuandum esse intellectum in obsequium mysteriorum Fidei; quæ omnia potissime de cognitione naturali, saltem euidenti, mysterij Trinitatis intelligenda veniunt. Iob 28. *Vnde ergo sapientia venit? Et quis est locus intelligentiæ. Abscondita est ab oculis omnium viuentium, volucres quoque cæli latet.* Vnde Sixtus Papa II. epist. 1.

Sixtus Papa inferens impossibilitatē creaturæ ad generat onē verbi dignoscendam.

ad Gratum Episcopum infert impossibilitatem creaturæ ad generationem verbi dignoscendam. Prouerb. 25. *Qui scrutator est maiestatis, opprimetur à gloria.* Vbi maiestas Dei pondus exprimitur supra vires nostras. Ecclesiastes 7. *Dixi sapiens efficiar, & ipsa longius recessit à me, multo magis, quia erat, & alta profunditas quis inueniet eam?* Quibus omnibus increpatur vana, & inanis eorum curiositas, qui de suis ingenij viribus, adeo gloriantur, vt sperent supernaturalium mysteriorum Demonstrationes comparare.

7. Hæc, & alia testimonia his similia, vt opportune adnotat eruditissimus noster Ruiz disp.41. de Trinit. sect.3. num.9. licet firmius, tanquam fidei dogma, probent; viribus naturæ neminem posse cognoscere Trinitatem, sicut oportet ad iustificationem. Cæterum inferiore quadam certitudine, magna quidem, sed infra fidem, probant, viribus naturæ, impossibilem esse cognitionem saltem certam, & euidentem Trinitatis. Vnde qui eam assereret, erroris saltem, & temeritatis notam non efugeret. Perpetuo enim à Patribus ex præiactis scripturæ fundamentis, asseritur Mysterium Trinitatis supra omnem sensum, & intelligentiam creatam, iuxta illud Ecclesiastici 3. *Plurima enim super sensum hominum ostensa sunt tibi. Multa quoque supplantauit suspicio illorum, & in vanitate detinuit sensus illorum.*

Secunda probatio ex Patribus.

Dionysius Nazianzenus, Hilarius, Ambros.

8. Secundo probatur ex Patribus. Dionysius de diuinis nominibus cap 13. post medium. *Diuinitas, quæ omnis superat, vnitatis, & Trinitatis nomine celebrata, non est vt vnitas & Trinitas, aut à nobis, aut ab aliquo alio eorum, quæ sunt, cognita.* Nazianzenus orat.34. quæ est 2. de Theologia proprius ad finem, quam ad medium post numerum 67. *Ducem potius fidem quam rationem sequamur: si modo ingenij tui imbecillitatem in propinquioribus didicisti, rationisque id esse cognouisti, & quænam sint ea, quæ rationis humanæ captum excedant, cognoscas; ne aliqui prorsus terrenus sis, ipsam quoque ignorantiam tuam ignorans.* Hilarius, & Ambrosius adducti à S. Thoma citando; ille lib. 1. de Trinit. *Non potest homo sua intelligentia generationis sacramentum posse consequi.* Iste lib. 1. de Fide & Grat. c. 5. *Impossibile est generationis scire secretum; mens deficit, vox silet.*

S. August.

9. S. Augustinus lib. de Trinit. caput. 1. fine. *Afferimus aliquando rationem, nam quam petunt, cum de Deo quærunt, quia nec ipsi eam valent sumere nec nos fortasse vel apprehendere, vel proferre, sed qua demonstretur eis, quam sint inhabiles, minimeque idonei percipiendo, quod exigunt.* Idem docet magnus ille Doctor cap. 2. & 3. Hieronymus lib. 18. in Isaiam in proœmio sub init. *Trinitatis recta confessio est ignorantia scientiæ.* Ac si dicat, ille recte de Trinitate censet, qui fatetur se propriis viribus ignorare scientiam tanti Mysterij, nec illam comparare posse. Iustinus Martyr oratione exhortatoria ad Gentes. *Nec naturæ ope, nec humana cogitatione, tam magnas, ac diuinas res homo potest percipere, sed dono discendente in sanctos viros cælitus.* Vbi ad res diuinas percipiendas impotens asseritur natura sine dono cœlesti. Cyprianus lib. de Cardinalibus operibus Christi in Prologo circa medium. *Ad hanc rerum adeo profundarum indaginem, nisi incarnati Verbi magisterium accessisset, humana deficissent ingenia.* S. Maximus in prima Hecatontade de Theologia, & Incarnatione filij Dei. *Non potest anima ad cognitionem Dei attolli, nisi Deus ipse condescensu vsus ipsam animam tangat, & ad se ipsum euehat. Non enim tantum potest humana mens sursum ferri, vt diuinum aliquem splendorem capiat, nisi Deus ipse eam attrahat.* Denique S. Thomas hic quæst. 32. art. 1. corpore. *Respondeo dicendum, quod impossibile est per rationem naturalem ad cognitionem Trinitatis diuinarum Personarum peruenire.*

Augustinus, Hieronym. Iustinus Cyprianus Maximus S. Thomas.

10. Tertio, conclusio probatur ratione. Quia principiis naturalibus, nulla creatura, etiam rationalis, potest Deum, adhuc vt vnum, intuitiue cognoscere: nam huiusmodi cognitio necessario futura esset in substantia superna, vt tractatu de visione cum communi, & trita Theologia, ostensum à nobis est: ergo multo minus poterit Trinitatem Personarum notitia intuitiua penetrare, quis dubitet? Insuper nec potest Trinitas abstractiue ex naturalibus effectibus creaturarum demonstrari: ergo nullo modo, cum medium non sit. Antecedens probatur, quia naturales effectus creaturarum duplici possent titulo demonstrare Trinitatem; *primo*, quatenus sunt effectus ad extra, & vt sic non possunt, quia cum non orian-

Repugnat absolute demonstratio Trinitatis ante reuelationem.

tur à Deo, vt trino, ſed quatenus vno, per omnipotentiam, ſcilicet omnibus Perſonis communem, licet demonſtrare poſſint vnitatem Dei, non tamen Trinitatem perſonarum. *Secundo*, quatenus eſſent ſigna eſſentialiter connexa cum Trinitate, tanquam cum obiecto, vel termino; & neque ita poſſunt illam demonſtrare, cum nullum ſit poſſibile tale ſignum: ergo, &c.

Etiam repugnat ex ſuppoſitione demonſtrationis vnitatis Dei.

11. Nec ex ſtatuta ſemel prima cauſa creaturarum, poteſt naturaliter intellectus progredi ad demonſtrandam Trinitatem Perſonarum, eo quod vnita ex creaturis demonſtrata ſit triplici Perſonalitati connexa. Quia licet id verum ſit, inſufficiens tamen ad demonſtrationem Trinitatis; ad id enim ſatis non eſt demonſtrari vnitatem triplici Perſonalitati connexam, ſed vlterius neceſſe eſt, demonſtrari vt connexam, quod naturaliter per creaturas conſequi, eſt prorſus impoſſibile. Nam creaturæ non alia ratione demonſtrant vnitatem Dei niſi quatenus iſta eſt fons, & origo illorum; quod tantùm eſt demonſtrare vnitatem Dei in ordine ad ipſas creaturas; non vero in ordine ad tres Perſonalitates diuinas. Sicuti natura creata non poteſt demonſtrare gratiam, etiam ſi demonſtret omnipotentiam cum gratia connexam, quia tantùm demonſtrare poteſt omnipotentiam, quatenus eſt principium ſui, non vero quatenus eſt principium gratiæ.

Dices, ex creaturis naturaliter demonſtratur Perſona, non tamen Trina.

12. Dices, licet creaturæ non fluant immediate à Perſonalitate diuina; tamen, ſtatuta ſemel ex creaturis exiſtentia Dei, lumine naturæ demonſtratur, eum eſſe Perſonam, cum actiones ſint ſuppoſitorum, & naturæ rationali inditum ſit, eſſe perſonam, idque maxima ſit perfectio abſque imperfectione; vnde naturaliter probatur, Deum eſſe ſubſtantiam intelligentem, & volentem: ergo etiam ſi actiones creaturarum à tribus diuinis Perſonis immediate non fluant, poterunt eas demonſtrare. *Contra*, quia ad illa omnia demonſtranda in Deo, nullum obſtat naturale principium, imo omnia iuuant; nam in creatis eſſe Perſonam, intelligere, & velle, eſt maxima omnium perfectio; cumque Deus ſit ens omnium perfectiſſimum, inde naturaliter demonſtratur Perſona, intelligens, & volens. Vnam autem naturam identificari tribus diſtinctis

Perſonis

Personis, stando principiis naturalibus, falsum omnino, & impossibile appareret; atque adeo nullus demonstrationi locus esset, cum aliunde origo creaturarum sit à Deo non vt Trino, sed vt vno.

13. Quarto probatur conclusio, quia veritas supra principia lumine naturæ nota, ex nullo medio valet naturaliter demonstrari: Mysterium autem Trinitatis est veritas supra principia lumine naturæ nota, scilicet; *Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se*: ergo ex nullo medio potest naturaliter Demonstrari. Consequentia optima est. Minor autem nemini dubia, cum in Trinitate, quæ sunt eadem vni tertio, non sint idem inter se, vnde docent communiter Theologi mysterium Trinitatis esse supra totam naturam, & cuncta illius principia. Maior ostenditur, nam eo ipso quod aliqua veritas possit naturaliter demonstrari, subiacet principiis lumine naturæ notis, vel lumine naturæ certis: ergo quod superat ea principia, ex nullo capite potest naturaliter demonstrari. Trinitas superat principia lumine naturæ nota.

14. Confirmatur. Mysterium Trinitatis non superat vtcumque principium illud. *Quæ sunt eadem cum vno tertio, sunt eadem inter se*; sed ita superat, vt stando lumini naturæ, contraria illi Trinitas censeretur, & consequenter falsa, vtpote continens tres Personas inter se distinctas, & vni tertio, scilicet naturæ diuinæ, identificatas: ergo sicut stando lumini naturali, num esset medium, vnde illud principium falsitatis conuinci posset; ita neque esset medium vnde Trinitatis veritas demonstrari valeret. Idem stabiliri potest ex prædicatis contradictoriis, quæ in Mysterio Trinitatis componuntur, scilicet produci, & non produci, communicari, & non communicari. Quæ omnia stando lumini naturali falsa existimarentur, & contra illud principium: *Idem non posse simul esse, & non esse* de cuius veritate, nullus naturalibus tantum principiis instructus dubitare posset. Quo pacto superet principium illud, Quæ sunt eadem vni tertio &c.

15. Vltimo probatur conclusio. Quia Mysterium Trinitatis est supernaturale: ergo impossibilis est demonstratio illius naturalis, & consequenter ante reuelationem, & principia superna. Patet consequentia, nam implicat ens naturale essentialiter connexum cum supernaturali; ea autem Demonstratio, Mysterium Trinitatis quia supernum, superat omnem euidentiam naturalem.

tio, vtpote certa, & euidens, esset cum ente supernaturali connexa: ergo non posset esse demonstratio naturalis, & à supernaturalibus principiis independens. *Dices* ex P. Arriaga Trinitatem Personarum tam naturalem esse, quam vnitatem Dei; atque adeo ex supernaturalitate Trinitatis, non conuinci impossibilem naturalem illius demonstrationem; sicut vnitatis Dei non probatur impossibilis demonstratio naturalis. *Contra* tamen, quia vt fatetur P. Arriaga possibile non est medium naturale cum Trinitate connexum; ergo Trinitas est supra omnem totius naturæ connexionem: id autem, præcisis vocibus, intelligimus nomine entis supernaturalis: ergo Trinitas, vtpote, superans totius naturæ connexionem, supernaturalis erit.

SECTIO II.

Occurritur obiectionibus.

Prima obiectio desumpta ex connexione vnitatis Dei cũ Trinitate Personarũ.

16. OBiicies primo. Connexio creaturarum cum Deo est medium sufficiens, ad Dei existentiam lumine naturæ demonstrandam: ergo strictior connexio Dei cum Trinitate Personarum erit etiam medium sufficiens ad Trinitatem lumine naturali demonstrandam. Probatur consequentia. Ideo connexio creaturarum cum Deo est medium sufficiens ad Dei existentiam naturaliter demonstrandam, quia creaturæ naturaliter innotescunt, & cognita naturaliter re connexa, necessario illius terminus cognoscendus est: Existentia autem Dei naturaliter innotescit, est quæ triplici Personalitati connexa: ergo sufficiens erit medium ad tres Personas naturaliter demonstrandas. *Confirmatur primò.* Nam cognita re essentialiter cum altera connexa, necessariò altera cognoscenda est; existentia autem Dei lumine naturæ euidenter cognoscitur: ergo & cognoscenda erit saltem indirecte Trinitas Personarum. *Secundo.* Natura diuina est radix, aut principium virtuale trium Personalitatum: ergo clare cognita

cognita natura Diuina, clare etiam tres Personalitates cognoscendæ sunt; nequit enim clare percipi radix, aut principium trium Personalitatum, quin saltem indirecte, tres Personalitates penetrentur.

17. Respondeo concesso antecedente, negans consequentiam. Ad probationem distinguo maiorem; ideo connexio creaturæ est medium sufficiens ad Dei existentiam naturaliter demonstrandam, quia cognita re connexa, debet cognosci terminus, cui connectitur, si cognoscatur, vt connexa, siue in ordine ad illam, concedo. Quia cognita re connexa vtcunque, debet cognosci terminus, nego. Et concessa minori, nego consequentiam. Quia ex nullo medio potest cognosci natura diuina, vt triplici Personalitati connexa, siue in ordine ad illas, cum nullum sit tale medium; sed tantum naturaliter cognosci potest, vt causa prima creaturarum, siue in ordine ad creaturas. Inde patet ad vtramque confirmationem. Etenim licet natura Diuina sit reipsa triplici personalitati connexa, sitque earum radix, aut principium virtuale, tamen vt sic, nequit naturaliter euidenter cognosci, obstante illo principio lumine naturæ noto; vnum non posse esse plura, aut cum illis identificari.

Connexio vnitatis Dei cum triplici Personalitate, Trinitati naturaliter demonstrandæ sufficiens non est.

18. Instabis primò. Vel cognita clare vnitate Dei, cognoscitur etiam clare connexio, seu radix, aut principium virtuale trium Personalitatum, vel non? Secundum dici non potest, fieret enim, vnitatem naturæ Diuinæ distinguendam fore virtualiter à connexione, seu radice, aut principio virtuali trium Personalitatum; cum de illis verificentur prædicata contradictoria, qualia sine dubio sunt cognosci clare, & ab eadem cognitione non cognosci clare: ergo dicendum est cognita clare vnitate Dei, pari etiam claritate cognosci connexionem, seu radicem: aut principium virtuale trium Personalitatum. Id autem cognosci clare non potest, nisi tres Personalitates clare cognoscantur: ergo naturaliter clare cognita vnitate Dei, tres quoque Personalitates cognoscendæ erunt. Quomodo enim connexio, radix, aut principium sine termino percipi poterit. *Respondeo*, cognita clare ex creaturis vnitate Dei eadem prorsus claritate cognosci connexionem, seu ra-

Cognita clare vnitate Dei, pari etiam claritate cognoscenda est connexio radix, & principium trium Personalitatum.

dicem, aut principium virtuale trium Personalitatum, omnemque conceptum virtualiter indistinctum à natura Diuina; nego tamen id sufficere ad demonstrandas diuinas Personalitates, imo neque ad illas pertingendas. Quia ea omnia clare cognoscuntur non in ordine ad Personalitates Diuinas, quod opus erat, sed in ordine ad creaturas, quod non sufficit. Sicuti cognoscere totam omnipotentiam in ordine ad Petrum, nihil iuuat ad cætera possibilia dignoscenda.

Vnitas Dei est indiuisibilis respectus ad creaturas, & Personalitates Diuinas.

19. Instabis secundò. Vnitas Dei est vnicus, & indiuisibilis conceptus in ordine ad creaturas, & Personalitates Diuinas: ergo non potest euidenter cognosci in ordine ad creaturas, quin eodem pacto in ordine ad tres diuinas Personalitates cognoscatur. Antecedens mihi certum est. Consequentia probatur, quia nulla apparet ratio, vnde conceptus indiuisibilis, & æqualis ad plures terminos, cognoscendus sit in ordine ad hos potius, quam ad illos: ergo cum vnitas Dei sit vnicus, & indiuisibilis conceptus in ordine ad creaturas, & tres Diuinas Personalitates, non stat ratio, cur cognoscenda sit in ordine ad creaturas potius, quam Diuinas Personalitates.

Quomodo respectus indiuisibilis ad plures terminos cognosci possit in ordine ad vnũ & non ad alterum.

20. Respondeo, concesso antecedente, negans consequentiam, eiusque probationem. Nam vnitas Dei cognoscitur à nobis euidenter abstractiue per species creaturarum, quibus intellectus determinari non potest ad cognoscendam vnitatem Dei in ordine ad Personalitates Diuinas, sed tantum in ordine ad creaturas. Addo si forte præcedens responsio plena non sit, vt sæpius alibi nos attigimus; indiuisibilem respectum plurium terminorum, etiamsi intuitiue cognoscatur, posse exprimi in ordine ad vnum, quin in ordine ad alios penetretur; vt contingit in Beatis indiuisibilem respectum omnipotentiæ ad omnia possibilia intuentibus, nec ideo cuncta possibilia penetrantibus. Cuius mysterij hæc mihi est vnica ratio, Nam intellectus ad cognoscendum indiuisibilem respectum plurium terminorum, excitari potest, vel determinatione cum vno tantum termino connexa; & tunc erumpit cognitio exprimens totum respectum in ordine ad vnum tantum terminum. Quod si determinatio duobus tantum terminis connectatur, concipitur cognitio penetrans totum respectum in ordine

dine ad duos tantum terminos: & sic de cæteris. Si verò determinatio cum omnibus terminis connectatur, pariter cognitio totius respectus, & omnium terminorum.

21. Instabis tertiò. Vnitas Dei est ens naturale, aliunde est triplici Personalitati connexa: ergo poterit actu naturali euidenti cognosci, vt connexa. *Respondeo.* Vnitatem Dei esse respectiue naturalem, & supernaturalem, naturalem quidem respectu creaturarum ex quibus abstractiue euidenter demonstratur: supernaturalem verò respectu trium Personalitatum, vnde non potest vt connexa cum illis euidenter actu naturali cognosci. Nec mirum est, eandem naturam Diuinam in ordine ad diuersos terminos, esse naturalem, & supernam, cum eadem natura diuina supernaturalis sit in ordine ad visionem intuitiuam sui, naturalis vero in ordine ad cognitionem abstractiuam. Idem esto de indiuisibili omnipotentia respectu ordinis gratiæ, & naturæ. Vnitas Dei est respectiue naturalis, & superna.

22. Obiicies secundò. Lumine naturali demonstratur, Deum esse Personam, non vnicam tantum: ergo plures. Maior ostenditur: nam lumine naturali demonstratur, vel saltem demonstrari potest, omnem substantiam rationalem connaturaliter existentem, esse Personam: lumine insuper naturali demonstratur, Deum esse substantiam rationalem connaturalissime existentem: ergo, & demonstratur, vel saltem demonstrari potest, esse Personam. Et confirmatur, Nam in creatis, esse Personam ingens est perfectio: ergo cum naturaliter demonstretur Deus, Ens omnium perfectissimum, naturaliter etiam Persona demonstrabitur; sicut simili ratione demonstratur, substantia, viuens, intelligens, & volens. Lumine naturæ demōstratur Deū esse Personam.

23. Respondeo, concessis præmissis, negans consequentiam. Quia licet lumine naturali innotesceret Deum esse Personam, non tamen esse vnicam tantum, quia id re ipsa falsum esset, neque esse plures, quia id apprehenderetur contra principium lumine naturæ notum, scilicet, quæ sunt eadem vni tertio, esse idem inter se. Si autem interroges, quid ageret homo naturalibus notitiis relictus, casu, quo illi argumentum hoc proponeretur; maneret ne suspensus, aut quam partem eligeret? Respondeo, non mansurum suspensum, sed Non tamen demonstratur esse vnicam tantum, neque esse plures.

 electu

electurum potius partem asserentem, Deum esse vnicam tantam Personam, Quia licet id re ipsa falsum esset, ex principiis tamen naturalibus appareret ita verum, vt oppositum sine formidine falsum existimaretur. Quos errores expulit à nobis, fidei lumen eleuans naturam rationalem ad excelsa, & profunda Dei dignoscenda.

Non demõstratur Personalitas in communi, ergo in particulari demonstrantur omnes

24. Instabis lumine naturæ demonstratur, Deum esse Personam: ergo lumine naturæ demonstratur personalitas diuina. Non autem demonstratur Personalitas in communi: ergo in particulari. Nulla autem est potior ratio, cur vna potius quam alia demonstretur: ergo omnes, & consequenter Trinitas Personarum. Prima illa minor probatur, quia si Personalitas in communi naturaliter demonstraretur, fieret Personalitatem in communi virtualiter esse distinguendam à Paternitate, Filiatione, & Spiratione passiua; atque adeo esse in diuinis quatuor Personalitates; sicut quatuor existunt relationes, etiamsi spiratio actiua virtualiter tantum à Paternitate; & Filiatione distinguatur, quod falsum esse constabit infra: ergo. Sequela probatur, quia Personalitas in communi naturaliter demonstraretur; Paternitas vero, Filiatio, & Spiratio passiua naturaliter per eandem illam notitiam non demonstrarentur: quæ sine dubio sunt prædicata contradictoria: ergo arguerent distinctionem virtualem inter Personalitatem in communi, & differentias Paternitatis, Filiationis, & Spirationis passiuæ.

Absque vlla distinctione virtuali demonstratur Personalitas Diuina in communi, nulla demõstrata in particulari.

25. Respondeo, concesso primo Entymemate, negans primam minorem. Ad cuius probationem nego sequelam. Nam personalitas in communi diuina, aliud re non est, quam omnes Personalitates Diuinæ, scilicet Paternitas, Filiatio, & Spiratio passiua, cognitæ in ordine ad connotatũ commune in quo omnes conueniunt, scilicet reddendi naturam Diuinam incommunicabilem alieno supposito, quo pacto omnes demonstrantur, eo modo, & claritate, quo Personalitas in communi; atque adeo nulla stat distinctio virtualis istius ab illis, ad id enim opus esset, vt demonstraretur Personalitas diuina in ordine ad carentiam communicabilitatis naturæ Diuinæ alieno supposito, & in ordine ad eandem carentiam Paternitas

nitas, Filiatio,& Spiratio paſſiua non demonſtrarentur, quod negamus.

26. Sed inſtabis iterum, Ergò naturaliter demonſtrantur Paternitas, Filiatio, & Spiratio paſſiua in ordine ad affectum incommunicabilitatis alieno ſuppoſito: ergo & Trinitas Perſonarum; & conſequenter Myſterium Trinitatis, nam vnitas eſſentiæ aliunde nota eſt. *Reſpondeo*, conceſſo antecedenti, diſtinguens conſequens, demonſtratur Trinitas Perſonarum in ordine ad effectum incommunicabilitatis alieno ſuppoſito, concedo: in ordine ad carentiam identitatis Perſonarum inter ſe, & carentiam diſtinctionis ab eſſentia, nego. Vnde falſum eſt demonſtrari myſterium Trinitatis, qua tale, quia ad id opus eſt, demonſtrari tres Perſonas, quatenus inter ſe diſtinctas, & vnicæ naturæ Diuinæ identificatas.

27. Obiicies tertiò. Euidens naturaliter eſt, ſummo bono competere ſummam communicationem: hæc autem non poteſt eſſe ad extra, vbi quælibet communicatio finita eſt, & limitata; ergo ad intra diuerſæ Perſonæ, & in eadem natura. Maior probatur. Nã cõmunicabilitas eſt de ratione bonitatis: ergo de ratione ſummæ, & infinitæ bonitatis, qualis eſt diuina, erit ſumma, & infinita communicabilitas. *Reſpondeo* negans maiorem, & probationis conſequentiam, Nam ſtando ſoli lumini naturali communicatio infinita diſtinctis Perſonis, in eadem natura, cenſeretur impoſſibilis, & contraria illi principio: *Quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe*; ſola ergo communicabilitas per dona finita, & naturalia deprehendi poſſet. Similiter cenſeretur imperfecta felicitas, & prorſus chymærica, quæ admitteret conſortium plurium in eadem natura, ob eandem rationem.

Infinita Dei communicatio ad intra lumine naturæ non conſtaret Deo poſſibilis.

28. Obiicies quartò, Vnitas Dei euidenter demonſtratur ex creaturis; aliunde poteſt Trinitas Perſonarũ demonſtrari: ergo & Myſterium Trinitatis. Minor probatur, quia carentia triplicis vnionis hypoſtaticæ, Patris, Filij, & Spiritus Sancti exiſtens in Petro, eſt naturalis: ergo poterit naturaliter ab Angelo euidẽter cognoſci: ergo in ea carentia cognita, naturaliter cognoſcenda eſt triplex vnio hypoſtatica ad tres diuinas perſonas, cum nullatenus cognoſci valeat carentia, quin eius terminus

Quid carẽtia triplicis vnionis hypoſtaticæ conducere poſſit demonſtrationi Trinitatis.

cognoſcatur, alicuius enim debet eſſe carentia, vel ſaltem in ea carentia, terminus cognoſci poterit. Antecedens probatur, quia illa carentia eſt connaturalis Petro, & debita propriæ illius ſubſiſtentiæ, cui debita eſt carentia cuiuſuis alterius alienæ: ergo erit naturalis, cũ Petrus nulla indigeat eleuatione, aut principio ſuperno ad eam carentiam habendam, imo ad eam non habendam indiget eleuatione, & miraculis vnionem hypoſtaticam comitantibus. *Confirmatur.* Si carentia vnioni hypoſtaticæ ſupernaturalis eſſet, maxime, quia eius terminus ſupernus eſſet, id ſufficiens non eſt: ergo. Minor probatur, quia fieret inde puram omiſſionem actus ſupernaturalis præcepti ſupernam eſſe, & ſimul peccatum, quod eſt abſurdiſſimum. Cur enim carentia vnionis hypoſtaticæ ſuperna debet eſſe, & non carentia amoris ſupernaturalis præcepti? Ergo.

Prima reſponſio de carentiis per ſpecies termini cognoſcendis.

29. Huius argumenti ſolutio multas peperit diſſenſiones. Mitto eos, ſi forte qui ſint, aſſerentes eam carentiam, non naturalem, ſed ſupernam eſſe, qui nec argumento, nec confirmationi ſatisfaciunt. Ex authoribus autem fatentibus eſſe naturalem. Reſpondent primo aliqui, negantes poſſe cognoſci actu naturali certo, aut euidenti, quia cognoſcenda neceſſario eſt per ſpecies termini ſupernaturalis, cum nullius carentiæ detur ſpecies propria, & in ſe ipſa. Huiuſmodi autem ſpecies ſupernaturalis eſt, & conſequenter notitia genita per illam.

Poſſibilis eſt ſpecies impreſſa naturalis carentiæ in ſe ipſa.

30. Hæc reſponſio non valet. Nam ſi ſemel ſtatuatur carentiam termini ſuperni naturalem eſſe, nulla ſubſiſtere poteſt implicantia; cur poſſibilis non ſit ſpecies impreſſa carentiæ in ſe ipſa, qua ſemel à Deo infuſa poſſet homo, vel Angelus eam carentiam naturaliter euidenter cognoſcere. Nam ſi quid obſtaret poſſibilitati illius ſpeciei, maxime, quia carentia eſt merum nihil, vel quia ſpecies illa producenda foret à carentia. Primum non obſtat, nam mere poſſibilia, præterita, & futura, ſunt merum nihil, cum nihil eorum exiſtat actu, & tamen ſunt in ſe ipſis cognoſcibilia. Secundum eſt falſum, nam mere poſſibilia, præterita, & futura producere non poſſunt ſpeciem impreſſam ſui, & tamen ſunt in ſe ipſis cognoſcibilia

cibilia: ergo & carentia. Quod autem species viribus naturæ haberi non possit, quod certum non est, non probat esse supernam in substantia. Quia nec resurrectio viribus naturæ comparari potest, cum tamen sit in substantia naturalis. Addo responsionem istam inuentam esse, ne ex carentiis termini superni naturaliter innotescerent: id autem impediri, etiam si euidenter in seipsis cognoscantur, constabit infra, vnde prorsus irrita est solutio.

31. Secundo alij admittentes carentiam termini superni, naturalem esse, & viribus naturæ in se ipsa cognoscibilem, negant posse in illa cognosci, terminum esse reipsa possibilem vel existentem, quamuis cognita carentia, terminus in illa apprehensione suspensiua cognoscendus sit, quin inde possit intellectus ferre sententiam, terminum esse re ipsa possibilem vel existentem. Sic in carentia triplicis vnionis hypostaticæ euidenter cognita, apprehendenda necessario est triplex vnio hypostatica, quin inde eius possibilitas, vel existentia inferri possit. Mouentur, quia carentia dicit ordinem transcendentalem ad suum terminum, non vero connexionem, quæ necessaria est, vt ex medio inferatur termini possibilitas, vel existentia. Secunda responsio de termi nis in carentiis apprehensiue cognoscendis.

32. In hac responsione, quæ est veritati propinquior, vnum displicet, scilicet, ordinem transcendentem esse medium ita necessarium cognoscendi terminum, vt illo clare cognito necessario terminus clare sit apprehendendus. Id enim licet verum sit, quando respectus transcendentalis cognoscitur, vt talis, non tamen absolute, vt initio sectionis expendebamus. Etenim ex creaturis euidenter cognoscitur vnitas diuina, & connexio illius cum triplici Personalitate, nec tamen triplex Personalitas cognoscitur. Insuper Beati clarissime vident omnipotentiam, quæ est vnicus & indiuisibilis ordo ad omnia possibilia, nec tamen distincte, & clare apprehendunt omnia possibilia. Denique ens, & substantia sunt vnicus respectus ad carentiam repugnantiæ, & subsistentiam, qui tamen clare cognosci potest in ordine ad carentiam repugnantiæ nulla ratione cognita subsistentia. Id quod in aliis conceptibus, verbi gratia in animali, & rationali, qui obiectiue non In ordine transcendenti non necessario quilibet terminus adhuc apprehensiue cognoscendus.

non præſcindunt, fateri tenentur, & qui attributa tranſcendentia à natura Dinina non diſtinguunt, cum tamen ita ex creaturis clariſſimè cognoſcatur, clare minime apprehenſis omnibus terminis immenſitatis, & Æternitatis.

Nulla carentia cum ſuo termino connectitur, & quæcunque ingenita naturæ, naturalis eſt.

33. Reſpondeo igitur nullam carentiam connecti cum termino quem negat, quia nulla eſt compoſſibilis cum illo propter oppoſitionem contradictoriam vtriuſque. Inde cenſeo, quamlibet carentiam ingenitam naturæ, ipſique connaturalem, eſſe intrinſece naturalem, & viribus naturæ euidenter cognoſcibilem, ſiue terminus naturalis ſit, ſiue ſupernus; quia cum nullam habeat connexionem cum illo, non eſt vnde ſupernaturalis eſſe poſſit, ratione termini, etiam ſi iſte, cognita carentia, apprehendendus eſſet, nam ea apprehenſio nihil iuuare poteſt ad inferendam exiſtentiam termini, aliter ex carentia exiſtentiæ viſionis beatæ in dàmnatis poſſet inferri exiſtentia viſionis in illis. Similiter dicimus ex carentia triplicis vnionis hypoſtaticæ Patris, Filij, & Spiritus Sancti inferri non poſſe exiſtentiam talis vnionis, etiamſi euidenter cognoſcatur, & conſequenter, neque myſterium Trinitatis. Addo etiamſi ex carentia tres illæ vniones innoteſcerent, adhuc non demonſtrari myſterium Trinitatis, quia demonſtranda reſtaret identitas trium illarum Perſonalitatum cum vnica eſſentia.

34. Inſtabis. Etiamſi carentia exiſtentiæ triplicis vnionis hypoſtaticæ connexa non ſit cum exiſtentia talis vnionis, nec iſta ex illa inferri poſſit, tamen connexa eſt cum poſſibilitate illius: ergo ex carentia illa euidenter cognita inferri poterit triplicis illius vnionis poſſibilitas. Antecedens probatur, quia carentia triplicis vnionis hypoſtaticæ Patris, Filij, & Spiritus Sancti, reſpectu naturæ humanæ negatio non eſt, ſed priuatio; quamuis autem non connectatur priuatio cum exiſtentia rei, qua priuat ſubiectum, cum illius tamen poſſibilitate connectitur: ergo licet carentia exiſtentiæ triplicis vnionis hypoſtaticæ non cōnectatur cum exiſtentia eius vnionis, connectitur tamen cum poſſibilitate illius. Minor probatur, nam pereunte per impoſſibile poſſibilitate termini, periret quoque priuatio illius, & ſola exiſteret negatio, cum nulla poſſit eſſe

capacitas

capacitas ad habendum, quod implicat: ergo priuatio connecteretur cum possibilitate termini.

35. Respondeo, negans antecedens. Ad probationem concessa maiori, neganda est minor de priuatione termini supernaturalis. Ad cuius probationem negamus antecedens. Nam priuatio termini superni in subiecto naturali solam exigit capacitatem conditionatam ad habendum terminum, si iste videlicet non implicet, quæ capacitas nulla ratione connectitur cum termino reipsa possibili; atque adeo carentia triplicis vnionis hypostaticæ ad tres diuinas Personas, cum sit priuatio termini superni in subiecto naturali, scilicet humanitate, solam exigit capacitatem conditionatam istius ad eam vnionem habendam, si videlicet non implicet.

Priuatio termini superni in subiecto naturali solam exigit capacitatem conditionatam habendi terminum si iste non repugnat.

36. Instabis iterum. Pura omissio actus fidei præcepti de Mysterio Trinitatis est naturalis cum peccatum sit, connectitur autem cum actu fidei superno reipsa possibili de Mysterio Trinitatis: ergo ex notitia euidenti naturali eius omissionis, inferri poterit possibilitas in re actus fidei de Mysterio Trinitatis, & consequenter Trinitas. Minor probatur, nam pura omissio actus fidei præcepti de Mysterio Trinitatis, cum peccatum sit, essentialiter supponit in voluntate potestatem proximam ad agendum actum fidei, non conditionatam, si non implicet; sed absolutam, & connexam cum eo actu fidei, reipsa possibili: ergo connectitur cum actu fidei reipsa possibili. Confirmatur, nam ea omissio est contra præceptum diuinum obligans ad actum fidei de Mysterio Trinitatis reipsa possibilem: ergo supponit actum fidei reipsa possibilem.

37. Respondeo, puram omissionem liberam actus fidei præcepti de Mysterio Trinitatis, quæ peccatum est, duo dicere inter se longè diuersa. *Primum* est, conceptus priuationis, & hic integre, & adæquate naturalis est, nec vlla ratione cum termino supernaturali re ipsa possibili connexus, vt constat ex dictis. *Secundum* est, conceptus libertatis, & iste partim naturalis est, partim supernus: indiuisibiliter enim imbibit potestatem proximam agendi actum fidei, quæ supernaturalis est, & potestatem non agendi naturalem. Pura ergo omissio libera actus fidei præcepti de Mysterio Trinitatis cognosci

Quid dicendum de pura omissione actus fidei præcepti de Mysterio Trinitatis.

poterit actu naturali euidenti, ſecundum conceptum priuationis, non vero ſecundum conceptum libertatis, qui ſolus ad notitiam Myſterij Trinitatis manuducere poſſet. Nec id proprium eſt omiſſionis puræ, ſed commune etiam non puræ, voluntati ſcilicet poſitiuæ, qua quis credere nollet Myſterium Trinitatis, cuius libertas, vtpote ſuperna actu naturali euidenti cognoſci non poteſt, quamuis entitas actus cognoſci valeat.

Carentia Trinitatis poteſt lumine naturæ cognoſci euidenter impoſſibilis, ergo & Trinitas poſſibilis.

38. Obiicies quinto, Carentia Trinitatis poteſt lumine naturæ cognoſci euidenter impoſſibilis: ergo & Trinitas poſſibilis. Patet conſequentia, nam vel debet eſſe poſſibilis terminus, vel eius carentia; idque naturaliter euidens eſt ratione oppoſitionis contradictoriæ inter vtrumque: igitur ſi carentia Trinitatis conſtet euidenter impoſſibilis; conſtabit Trinitas euidenter poſſibilis. Antecedens ergo in quo eſt difficultas probatur. Quia carentia Trinitatis, vtpote prorſus implicans exiſtere, eſt ens rationis: ergo & ens naturale; atque adeo potens naturaliter demonſtrari. Probatur conſequentia, quia nullum ens ſupernum poteſt eſſe falſum, & fictum, ſed bonum, integrum, & perfectum, vt pote pertinens ad ordinem gratiæ, & ad genus perfectiſſimum entis: ergo carentia Trinitatis erit ens naturale.

39. Dicere poſſet aliquis impoſſibilitatem carentiæ Trinitatis, quantumuis naturalem non poſſe cognoſci, niſi per ſpecies termini, quæ cum ſupernaturalis ſit, etiam cognitio illam exigens, ſupernaturalis eſſe debet. Hæc tamen doctrina expulſa iam à nobis eſt in ſuperioribus, vbi oſtendimus poſſibilem eſſe ſpeciem impreſſam carentiæ in ſe ipſa. Quod ſi dicas, carentiam Trinitatis eſſe fictam; ideoque propriam illius ſpeciem implicare. Non ſoluis. Quia non contendit obiectio ſpeciem illam fore producendam ab obiecto, vnde implicare poſſet, ſed infundendam à Deo; ſicut poſſunt aliæ ſpecies, quæ ab obiecto minime producuntur, nec produci poſſunt, vt attigimus ſupra. Quod ſi locutionem Dei naturalem admittas, cur in ea, carentia Trinitatis, ſi naturalis ſit, non poterit euidenter cognoſci?

40. Reſpondeo, igitur negans antecedens, & ad probationem

nem conſequentiam. Nam impoſſibilitas carentiæ Trinitatis, ſimpliciter, & abſolute, neque eſt ens naturale neque ſupernum, cum nihil ſit, nec eſſe poſſit. Cum tamen id non obſtet, quo minus cognoſci poſſit. Reſpondeo eam cognoſcibilitatem reduci ad ens ſupernum, & ſuperare totius naturæ connexionem, quia ſuperat totius naturæ principia, ex quibus carentia Trinitatis, non ſolum non appareret impoſſibilis, imo potius ipſa cenſeretur ſine formidine poſſibilis, & terminus illius, nempe Trinitas, impoſſibilis iudicaretur, & contrarius illi principio, *Quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe.* Inde prorſus impeditur naturalis euidentia de impoſſibilitate carentiæ Trinitatis, & ſimilis euidentia de poſſibilitate eiuſdem Trinitatis.

Cognoſcibilitas i tiæ Myſt. Trinitati ad ens ſupernum, ducenda.

SECTIO III.

Aliis obiectionibus ſatisfit.

41. Obiices ſextò. Si aliquid obſtaret, quo minus Myſterium Trinitatis poſſet naturaliter demonſtrari, maximè, principium illud, *Quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe*: id non obſtat: ergo. Minor probatur, quia licet in creatis euidens ſit, nullũ poſſe velle, aut intelligere libere abſque reali ſui mutatione, tamen id falſum eſſe in Deo naturaliter demonſtratur: ergo licet in creatis euidens ſit, quæ ſunt eadem vni tertio, eſſe eadem inter ſe; tamen id falſum eſſe in Deo, poterit naturaliter demonſtrari. *Reſpondeo*, negans minorem. Ad probationem conceſſo antecedenti, nego conſequentiam. Diſparitas eſt. Quia in creatis dantur principia ad conuincendam realem Dei immutabilitatem: nam mutatio plena eſt imperfectionibus; arguit enim inconſtantiam in propoſito ſemel aſſumpto vel notitiam omnium motiuorum, minime comprehenſiuam: vel ſaltem compoſitionem realem, quæ omnia lumine naturæ Deo repugnant. In creatis autem nullum eſt principium, vnde Trinitas Perſona-

Vnde obſtet principum illud, quæ ſunt eadem vni tertio, demonſtrationi naturali Trinitatis.

rum in vnica natura conuinci valeat:imo quidquid eſt in creatis, veritatem illius principij, *Quæ ſunt eadem vni tertio*, &c. firmat, ac roborat, illiuſque veritas in Diuinis conducens appareret ſimplicitati Dei.

42. Obiicies ſeptimò. Angelus notitia naturali euidenti penetrat cognitionem probabilem de poſſibilitate, & exiſtentia Miſterij Trinitatis: ergo & ipſum myſterium. Probatur conſequentia, quia cognitio probabilis de poſſibilitate, & exiſtentia Trinitatis, natura ſua dicit entitatiuam connexionem cum poſſibilitate, & exiſtentia talis myſterij: ergo tali connexione euidenter ab Angelo penetrata, euidenter quoque Trinitatis poſſibilitas, & exiſtentia inferri poterit. Antecedens probatur. Tum quia cognitio illa probabilis de poſſibilitate, & exiſtentia Trinitatis, eſt intrinſece, & entitatiue vera, cum eius obiectum aliter eſſe non poſſit, ac repræſentatur ab actu: veritas autem eſt intrinſeca, & entitatiua connexio cum obiecto. Tum etiam, quia cognitio probabilis, de poſſibilitate, & exiſtentia Trinitatis, fertur in ſuum obiectum ordine tranſcendenti, qui ordo eſt connexio: ergo dicit connexionem.

Cognitio probabilis de Myſterio Trinitatis non eſt intrinſece vera, nec cum Trinitate connexa.

43. Reſpondeo conceſſo antecedenti, negans conſequentiam. Ad probationem nego antecedens. Cuius gemina probatio efficax non eſt. Tum quia actus probabilis de poſſibilitate, & exiſtentia Trinitatis, licet ex immobilitate, & indefectibilitate obiecti, non poſſit eſſe falſus, ab intrinſeco tamen, & ex modo tendendi in obiectum, poteſt ſubeſſe falſitati, atque adeo non eſt intrinſece, & entitatiue verus, ſed extrinſece, & contingenter, quia ſi per impoſsibile, Trinitas nec poſſibilis eſſet, nec exiſtens, ille actus ex modo tendendi in obiectum non deficeret: ſed duraret falſus, qui nunc verus eſt. Tum etiam quia ordo tranſcendentalis, ſi medium debeat eſſe aptum, non ſolum ad apprehendendum terminum, ſed etiam ad illatiue inferendum, ita reipſa eſſe terminum, ac repræſentatur ab actu prorſus exulat à notitia probabili. Si verò ordo tranſcendentalis medium non debeat eſſe aptum ad illatiue inferendum, ita reipſa eſſe terminum, ac aſſeritur, ſed ad præciſe illum apprehendendum

dendum, in quo diſſenſio poſſet eſſe de voce, concedimus actum probabilem dicere ordinem tranſcendentem, negamus tamen id ſufficere connexioni: hæc enim medium debet eſſe aptum ad inferendum, ita reipſa eſſe obiectum, ac repræſentatur ab actu.

44. Inſtabis. Actus probabilis de poſſibilitate, & exiſtentia Trinitatis non poteſt eſſe ſine obiecto; actus enim ſine obiecto chymæra eſt: ſed obiectum eſt poſsibilitas, & exiſtentia Trinitatis in re, cum hæc ab actu probabili aſſeratur: ergo actus probabilis de poſsibilitate, & exiſtentia Trinitatis, non poteſt exiſtere ſine poſsibilitate, & exiſtentia Trinitatis in re; atque adeo connectitur illi. Hæc inſtantia ſecura non eſt, probat enim *primò*, apprehenſionem connecti cum ſuo obiecto, cum non minus implicet apprehenſio ſine obiecto, quam iudicium, atque adeo apprehenſionem vtriuſque partis oppoſitæ, quæ iudicium probabile præcedit, connecti cum vtraque, quod falſiſsimum eſt. Probat *ſecundò* opiniones probabiles oppoſitas connecti cum obiectis oppoſitis, atque adeo reipſa exiſtere obiecta contradictoria à diuerſis opinionibus aſſerta, cum eorum opiniones exiſtant; Quæ omnia Theologis, & Philoſophis abſurdiſsima ſunt prorſus. *Reſpondeo* ergo diſtinguens maiorem, Actus probabilis non poteſt eſſe ſine obiecto obiectiue exiſtente, ſiue apprehenſo, concedo: ſine obiecto ita reipſa exiſtente, aut poſsibili, ac aſſeritur ab actu, nego. Et conceſſa minori, nego conſequentiam. Nam etiam ſi actus probabilis aſſerat Trinitatem eſſe in re poſsibilem, & exiſtentem, poſsit exiſtere, quamuis in re Trinitas poſsibilis, & exiſtens non eſſet. Vt patet in opinionibus reipſa falſis, quarum obiecta non exiſtunt in re, licet aſſerantur reipſa exiſtere.

Difficilior inſtantia pro connexione actus probabilis cum ſuo obiecto exarmata.

45. Obiicies octauò. Veritas, & falſitas actus naturalis, poſſunt naturaliter euidenter cognoſci: ſed iſte actus probabilis *Trinitas eſt*, & iſte alter hæreticus, *Trinitas non eſt*, ſunt naturales: ergo veritas illius, & iſtius falſitas, poterunt naturaliter euidēter cognoſci: ergo & Trinitas exiſtens. Probatur hæc conſequentia, quia veritas vnius actus, & falſitas alterius, vel includunt ipſam exiſtentiam Trinitatis; vel ſi veritas ſit quid mediū inter



actum, & obiectum, est infallibilis connexio cum existentia Trinitatis; ergo quouismodo euidenter cognita veritate vnius actus, & falsitate alterius, poterit existentia Trinitatis euidenter cognosci.

Veritas, & falsitas actus naturalis de obiecto superno naturaliter demonstrari non possunt.

46. Respondeo distinguens maiorem. Veritas, & falsitas naturalis actus, de obiecto naturali, possunt naturaliter euidenter cognosci, concedo: de obiecto superno, nego. Quia vtraque est saltem inadæquate supernaturalis, cum vtraque includat obiectum; veritas conforme actui vero: falsitas oppositum actui falso. Et concessa minori, nego consequentiam. Idem dicendum est, si veritas sit quid medium inter actum, & obiectum, siue sit carentia, siue modus, quia necessario connexa esse debet cum obiecto, ita reipsa se habente, ac repræsentatur ab actu. Similiter falsitas connexa est cum obiecto aliter se habente, ac asseritur actu; vnde cum actus neget Trinitatem existere, eius falsitas connexa esse debet cum existentia Trinitatis, ratione cuius obiectum aliter se habet, ac asseritur ab actu; eo enim præcise, quod Trinitas non existeret, hoc ipso deficeret falsitas actus, & staret veritas illi opposita.

Quid potētia obedientialis iuuare possit ad Trinitatem demonstrandam.

47. Obiicies nonò. Angelus notitia naturali euidenti potest comprehendere potentiam obedientialem intellectus creati ad videndum Mysterium Trinitatis: huiusmodi autem potentia obedientialis connectitur cum Mysterio Trinitatis saltem mediate: ergo & poterit cognitione naturali euidenti Trinitatem mediate saltem cognoscere. Maior videtur certa, quia potentia obedientialis est intrinsece, & entitatiue naturalis. Minor probatur, quia impossibili Trinitate, impossibilis quoque esset visio illius, & impossibili visione, impossibilis etiam esset potentia obedientialis ad videndam Trinitatem: ergo hæc connectitur media visione cum Trinitate. Antecedens patet, quia ad impossibile nullum datur posse adhuc obedientiale.

Discrepantes sententiæ in constitutione potentiæ obedientialis.

48. In huius argumenti solutione varij sunt Doctores. Alij respondent, potentiam obedientialem esse supernam, esto sit identificata realiter adæquate cum solo intellectu naturali, atque adeo non posse actu naturali euidenter cognosci. Qua autem

autem ratione formalitas naturalis intellectus, inſolubili identitatis nexu connecti poſſit cum ſuperna, cum tamen non poſſit notitia naturalis euidens; quomodo inſuper formalitas naturalis immediate cum ſuperna connexa eſſe poſſit, quin mediate ſaltem ſit cum viſione Trinitatis connexa, res eſt explicatu difficilis. Idcirco alij reſpondent potentiam obedientialem eſſe quidem cum termino connexam, ſed non adæquate intrinſecam, & identificatam cum ſola creatura; ſed cum ipſa in recto, & cum principio ſupernaturali eleuante in obliquo. Vnde ad cognoſcendam potentiam obedientialem, non ſatis eſt cognoſcere entitatem naturalem creaturæ, ſed vna cum illa principium ſupernaturale eleuans; cumque iſtud viribus naturæ non poſſit euidenter cognoſci, nec poterit potentia obedientialis, & conſequenter neque terminus illius. Quidquid tamen de hoc ſit.

49. Reſpondeo conceſſa maiori negans minorem. Ad cuius probationem conceſſa prima antecedentis parte, nego ſecundam. Nam potentia obedientialis non eſt virtus abſolute productiua termini, ſed conditionata, ſi videlicet non repugnet. Virtus autem conditionata, non connectitur cum ſua conditione, vt mille exemplis confirmari poteſt. Etenim ſcientia conditionata de futura pœnitentia ſub conditione exiſtentiæ huius auxilij, non connectitur cum hoc auxilio re ipſa exiſtente; ſiue enim exiſtat tale auxilium, ſiue non, ſtat ſcientia illa. Nec promiſſio conditionata donandi centum, ſi nauis appulerit, connectitur cum aduentu nauis in re. Idem eſt de legibus, & contractibus conditionatis. Cum autem poſſibilitas, ſeu non repugnantia termini ſit conditio potentiæ obedientialis, inde iſta non connectitur illi reipſa tali, ſed maneret eadem potentia obedientialis, etiam ſi re ipſa nulla ſubſiſteret poſſibilitas termini. Nam ad reſpiciendam poſſibilitatem, ſeu non repugnantiam per modum conditionis, non opus eſt, quod poſſibilitas, ſeu non repugnantia, re talis ſit; ſed ſatis eſt, quod talis ſit per modum conditionis. Sicut ad reſpiciendam exiſtentiam auxilij per modum conditionis, non opus eſt, quod reipſa ſit exiſtentia auxilij; ſiue enim ſit re ipſa, ſiue non, ſtat tendentia conditionata, quia ab vtroque præſcindit.

Potentia obedientialis non eſt virtus abſolute productiua termini, ſed tantum conditionata.

Inde

Inde potentia obedientialis ad visionem beatam Trinitatis non connectitur cum possibilitate, reipsa tali, sed per modum conditionis: & consequenter neque cum Trinitate reipsa possibili; atque adeo in cognitione naturali potentiæ obedientialis ab Angelo comprehensa, non poterit Trinitas reipsa possibilis, vel existens cognosci.

50. Obiicies vltimò, in qualibet creatura extat vestigium Trinitatis, & in homine illius imago, vt ait Augustinus 6. de Trinit. cap. 10. Per vestigium autem cognoscitur, qui illud impressit, & per imaginem exemplar: ergo cum possit creatura cognosci notitia naturali euidenti, poterit quoque Trinitas in illa. *Confirmatur*, Ratio naturalis nequit euidenter ostendere Mysterium Trinitatis impossibile esse, cum veritas veritati nequeat esse contraria: ergo poterit euidenter conuincere tale mysterium possibile esse. Probatur consequentia, nam quod non est euidenter impossibile, potest demonstrari euidenter possibile, cum inter possibile, & impossibile non detur medium: Trinitas autem lumine naturali non est euidenter impossibilis: ergo poterit demonstrari euidenter possibilis.

Qualiter in creatura existat vestigium, & imago Trinitatis.

51. Respondeo creaturas non esse vestigium Trinitatis, quoad proprietates diuinas Personales, sed tantum quoad attributa absoluta Potentiæ, Sapientiæ, & Bonitatis. Quæ licet distinctis Personis approprientur, Potentia scilicet Patri, Sapientia Filio, & Bonitas Spiritui sancto; hæc tamen appropriatio non lumine naturali, sed Deo reuelante nobis innotuit; atque adeo nec Trinitas Personarum innotescere potuit. Idem est de ratione imaginis. Homo enim dicitur imago Dei, eo quod sit intellectualis, & liber, non quia sit expressio Trinitatis Personarum. *Confirmatio* ponderis non est. Eo enim quod Trinitas non sit lumine naturali euidenter impossibilis, non sequitur, quod possit lumine naturali demonstrari euidenter possibilis. Nam plures veritates, nec sunt euidenter possibiles, nec impossibiles, vt patet, tum in his, quæ fide reuelante credimus, tum in aliis, quæ probabili tantum notitia iudicamus, quæ nobis, nec sunt euidenter possibilia, nec impossibilia. Vnde licet inter possibile, & impossibile, medium non sit; est tamen inter euidenter possibile, & euidenter impossibile:

bile; videlicet, neque euidenter possibile, neque euidenter impossibile, seu carentia euidentiæ tam possibilitatis, quam impossibilitatis.

SECTIO IV.

An ante reuelationem possit Trinitas probabiliter innotescere.

52. NOtitia probabilis dicitur iudicium de veritate obiecti, propter motiuum, aut medium illam probabiliter suadens. Difficultas ergo est, An seorsim à fide, & reuelatione diuina, stando soli lumini naturali haberi possit iudicium probabile de existentia aut possibilitate Trinitatis. Negat communis sententia, quam tenet Magister 1.dist.3.cap. *nunc restat.* S.Thomas hic quæst. 32.art. 1. corpore, & ad 1. & 2. Et de potentia quæst. 9. art. 5. corpore. Et de veritate quæst. 10. art. 13. Alexander 1.part. quæst.2. Durandus dist.2. quæst. 4. Scotus dist. 2. quæst. 2. & quodlib. 14. Argentinas dist. 2. quæst. 2. artic.2. Marsilius 1.quæst.6.art.1. conclus.3.& quæst. 14. art. 2. Carthusianus 1. dist. 3. quæst. 3. Caietanus, & communiter Thomistæ quæst. 32. art. 1. Eandem sententiam tuentur Doctores nostræ Societatis. P. Soarius lib. 2. de Trinit. cap.2.num.10. P.Ruiz disp.41.sect.5.num.3. P.Zuñiga disp.7.dub.1.num.4. Et alij omnes.

Magister. S Thomas. Alexander. Albertus. Bonauent. Henricus. Richardus. Durandus. Scotus. Argentinas. Marsilius. Carthusianus. Caietanus. P.Soarius. P. Ruiz. P.Zuñiga.

53. Asserendum est cum communi sententia, possibile non esse homini, vel Angelo iudicium probabile ante reuelationem de possibilitate aut existentia Mysterij Trinitatis, stando communi rerum cursui. Probatur, quia stando lumini naturali, & communi rerum cursui, illud principium. *Quæ sunt eadem vni tertio*, &c. euidentissimum censeretur, & Mysterium Trinitatis sine vlla formidine illi contrarium, & oppositum iudicaretur, cum his autem principiis, quibus omnes firmissime adhærerent, nullus concipere valeret iudicium probabile de veritate Trinitatis, imo naturali sequela inferrent

Stando cōmuni rerum cursui possibile non est ante reuelationem iudicium probabile de Mysterio Trinitatis.

omnes, falsam esse Trinitatem, hoc discursu, qui certissimus appareret, Quod opponitur principio euidenti falsum est: Trinitas opponitur principio euidenti, videlicet, Quæ sunt eadem vni tertio, &c. ergo falsa est.

Possibile tamen est simpliciter, & absolute spectata absoluta Dei potentia.

54. Dixi *stando communi rerum cursui.* Nam inspecta absoluta Dei potentia, cum post reuelationem possibile sit iudicium probabile de Mysterio Trinitatis; censeo possibile quoque esse ante reuelationem. Moueor, quia iudicium probabile de Mysterio Trinitatis, post reuelationem, & signa credibilitatis habitum non pendet essentialiter à reuelatione reipsa possibili, aut existente, tanquam à principio, aut obiecto; aliter esset supernaturale, cum supernaturale sit, quidquid supernaturali connectitur; ergo poterit existere independenter à reuelatione reipsa possibili, & existente; atque adeo ante illam. Consequentia bona est ex doctrina ab omnibus recepta; res enim ab altera independens existere potest ante illam, & sine illa: ergo si iudicium probabile de Mysterio Trinitatis post reuelationem conceptum, simpliciter, & essentialiter non dependeat reuelatione re ipsa possibili, vel existente, existere poterit ante illam, & sine illa.

Fractum Recentiorũ commune effugium.

55. Nec placent iuniores alicui respondentes. Actum probabilem de Mysterio Trinitatis dependere à reuelatione tanquam à remouente prohibens, etiam si non dependeat ab illa reipsa possibile, aut existente, tanquam à principio siue obiecto. Non inquam placent. Quia vel iudicum probabile de Mysterio Trinitatis pendet essentialiter à reuelatione reipsa possibili, vel existente, tanquam à remouente prohibens, vel non? Si primum: ergo connectitur essentialiter cum reuelatione reipsa possibili, vel existente, tanquam à remouente prohibens; atque adeo supernum eri, quod implicare bene norunt Recentiores illi, eo quod actus probabilis de suo expositus sit falsitati, quod enti supernaturali repugnat. Si secundum: ergo iudicium probabile de Mysterio Trinitatis existere poterit de absoluta potentia absque reuelatione reipsa possibili, aut existente, etiam vt remouente prohibens. Nec video vnde essentialis connexio cum reuelatione tanquam cum obiecto, aut principio, arguere debeat supernaturali

turali

turalitatem in ente connexo, & non illam debeat arguere connexio cum eadem reuelatione tanquam cum remouente prohibens.

56. Confirmatur, nam quod ſtando lumini naturali, & communi rerum curſui, prohiberet iudicium probabile de Myſterio Trinitatis, aliud non eſſet, quam firma adhæſio, qua homo exiſtimaret, Myſterium Trinitatis oppoſitum principio illi naturali euidenti, *Quæ ſunt eadem vni tertio*, &c. Quem errorem expulit à nobis fides, qua inſtructi, nouimus Myſterium Trinitatis non eſſe contra, ſed ſupra principium illud. Huiuſmodi autem error, etiam ſi de facto ſit à nobis per fidem expulſus; potuit tamen aliis mediis independentibus à fide remoueri, nolente Deo ad talem errorem concurrere. Quo ceſſante expeditus maneret intellectus ad probabiliter exiſtimandum, illud principium non extendi ad Myſterium Trinitatis. Hæc autem omnia contingere poſſunt independenter ab omni reuelatione, & principio ſuperno. Nam ceſſatio illius erroris nihil inuolueret ſupernum, idemque eſt de virtute productiua illius iudicij, vtpote adæquate naturali: ergo, &c.

57. Quid verò tunc concepto iudicio probabili de veritate Trinitatis ſentiret intellectus de principio illo, *Quæ ſunt eadem vni tertio*, &c. & de ipſo probabili iudicio? Reſpondeo, de principio illo iudicaturum, veriſſimum eſſe, ſed probabiliter non extendi ad Myſterium Trinitatis. De iudicio vero illo probabili cenſeret intellectus, eſſe reipſa falſum, ſicut plures ſunt opiniones falſæ. Quia non inueniret modum ad ſoluenda argumenta Trinitatem expugnantia; ad quas tenebras euadendas, fidei nobis lumen effulſit, quo iudicium probabile de Myſterio Trinitatis certiſſimè nouimus, eſſe verum, & argumenta oppoſita inania prorſus eſſe veritate, & dolo plena.

Quid concepto iudicio probabili de veritate Trinitatis ſentiret intellectus.

58. Dicere poſſet aliquis, Probabilitatem iudicij de Myſterio Trinitatis poſt reuelationem habiti, non eſſe actui adæquate intrinſecam, ſed partim intrinſecam, & partim extrinſecam, ab entitate actus in recto, & ab exiſtente reuelatione in obliquo; ſicut de veritate Philoſophantur non pauci, docentes, conſiſtere in coniuncto ex actu ſimul, & obiecto.

Aliud effugiũ de probabilitate extrinſeca reiectum.

Probabilitatem iudicij de Mysterio Trinitatis pariter consistere, non in sola entitate actus, sed in coniuncto ex actu, & reuelatione. Idcirco haberi posse iudicium probabile post reuelationem, non vero ante. Quia ante reuelationem, etiam si existere possit entitas actus, non vero reuelatio, vt per se patet. Existentia autem reuelationis, vtpote constitutiua probabilitatis, necessaria omnino est, vt entitas iudicij probabilis denominetur; atque adeo implicat iudicium de Mysterio Trinitatis probabile ante reuelationem.

Ante reuelationem possibile est iudicium intrinsece probabile de Mysterio Trinitatis.

59. Contra tamen, quia post reuelationem haberi potest iudicium probabile de Mysterio Trinitatis, cuius probabilitas sit entitati actus adæquate intrinseca, ex modo tendendi actus in obiectum; in hoc enim nulla est assignabilis implicantia, maxime, cum actus naturalis attingere possit, infra certitudinem, & euidentiam, obiectum materiale, & formale supernum, vt Doctiores Theologi tuentur, & post reuelationem tot abundent rationes, & motiua, ad actum ab intrinseco probabilem concipiendum. Huiusmodi autem probabile iudicium non connectitur, nec pendet à reuelatione reipsa possibili, vel existente; aliter probabile, & naturale non esset, sed certum, & supernaturale, vt ostensum est: ergo ante, seu independenter à reuelatione reipsa possibili, vel existente, haberi potest.

Probabilitas à reuelatione desumpta terminos certitudinis attingeret.

60. Confirmatur, probabilitas desumi non potest à reuelatione, quatenus reipsa existenti, aut possibili, sed ab illa, quatenus obiectiue existente, præscindendo an reipsa existens sit, vel possibilis: ergo etiamsi iudicium de Mysterio Trinitatis esset extrinsece probabile, haberi posset cum circunstantia probabilitatis ante reuelationem reipsa existentem, aut possibilem. Antecedens probatur, quia probabilitas, inter alia, hoc differt, à certitudine, & euidentia; quod illa exposita sit falsitati sub quacumque reduplicatione probabilitas consideretur, cum nunquam terminos euidentiæ, aut certitudinis attingat; si autem probabilitas illius iudicij sumeretur à reuelatione, quatenus reipsa existente, aut possibili, attingeret terminos methaphysicæ certitu

certitudinis ; cum reuelatio, illam constituens, sit Metaphysicè certa : ergo probabilitas iudicij de Mysterio Trinitatis desumi non potest à reuelatione, quatenus reipsa existente, aut possibili ; sed ad summum, ab illa quatenus obiectiue existente, præscindendo ab existentia, & possibilitate in re.

61. Obiicies primò. Aliqui Philosophi ex principiis naturalibus habuerunt de facto notitiam Trinitatis non certam, aut euidentem : ergo probabilem. Maior probatur ex testimoniis Philosophorum quæ ex Eugubino refert P. Vasquez disput. 132. capit. 1. quæ aliqualem Trinitatis præseferunt notitiam. *Respondeo* aliqualem illam notitiam Trinitatis conceptam à Philosophis, non fuisse ex principiis naturalibus, sed quia vel in sacros Codices inciderunt, vel in Iudæos doctos, qui de hoc mysterio aliqualem ex sacris litteteris habuere notitiam. Vnde Philosophi aliqualem Trinitatis notitiam aucupati fuerint.

62. Obiicies secundò. Non obstante illo principio, *Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se*, independenter ab omni reuelatione, docuere plures Philosophi valde probabiliter, posse dari vnam naturam præcisam, pluribus communem, & cuilibet indiuiduo adæquate identificatam : ergo non obstante eodem principio, posset etiam intellectus probabiliter iudicare, possibilem esse vnam naturam pluribus Personis Distinctis realiter identificatam. Etenim reipsa Philosophi illi obiectiue præscindentes indiuisibilem naturam pluribus communem, mysterium simile Trinitati tuebantur. Cur ergo ex illa sua doctrina probabiliter inferre non poterant, possibilem vnicam naturam tribus Personis distinctis identificatam.

63. Respondeo concesso antecedente, negans consequentiam de natura singulari. Licet enim Philosophi illi probabiliter tuerentur vnam naturam præcisam pluribus communem, eam tamen docebant multiplicatam realiter indiuiduis, ita vt natura Petri sit realiter numero distincta à natura Pauli, vnde Petrus, & Paulus non sunt idem cum vno tertio, scilicet cum eadem singulari, Soluta obiectio ex natura vniuersali desumpta

& immultiplicabili natura humana, quo saluari existimabant principium illud, Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se. At Mysterium Trinitatis consistit intribus Personis realiter inter se distinctis, & eidem numero, & immultiplicabili naturæ identificatis. Idcirco solo naturali lumine non apprehenderetur saluari principium illud, sed infringi, atque adeo falsum censeretur Mysterium Trinitatis, vtpote principio euidenti contrarium, & oppositum.

Iudicium probabile de Mysterio Trinitatis ante reuelationem simpliciter possibile.

64. Obiicies tertiò. Post reuelationem possibile est iudicium probabile de possibilitate, & existentia Mysterij Trinitatis: ergo cum Angelus ante reuelationem, seu independenter ab illa, cognoscat euidenter intellectum creatum, cognoscet etiam euidenter in illo principium talis iudicij: ergo inferet euidenter Mysterium Trinitatis probabile esse independenter à reuelatione. Vtraque consequentia videtur optima. Tum quia Angelus cognoscit euidenter omnia principia, & effectus naturales, præter secreta cordis: iudicium autem illud probabile de Mysterio Trinitatis est effectus naturalis, cum sit actus natura sua fallibilis, similiterque principium illius naturale est, cum nihil supernaturale possit iudicium, seu notitiam fallibilem generare. Tum etiam, quia tam iudicium illud probabile, quam illius principium, non pendent à reuelatione reipsa possibili, aut existente, vt nos supra ostendimus: ergo poterunt existere de facto independenter à reuelatione.

65. Hoc argumentum conclusionem nostram non lædit; imo illius à nobis traditam explicationem alte munit, ac roborat. Respondeo igitur simpliciter, & absolute, attenta absoluta Dei potentia, posse ante reuelationem innotescere Angelo iudicium probabile de Mysterio Trinitatis, eiúsque principium, quia non pendent essentialiter à possibilitate, aut existentia reuelationis in re. De potentia vero ordinaria stando communi rerum cursu, non posse. Quia talis notitia impeditur principio lumine naturæ noto, scilicet, *Quæ sunt eadem vni tertio*, &c. Si autem quæras cur impediatur? Respondeo impediri, non quod illud principium sit reipsa Trinitati contrarium, verum enim vero non opponitur, sed quia imbecillitas intellectus nostri, sibi relicta, non caperet ex-

ceptionem

ceptionem, & altitudinem Trinitatis ſupra illud principium. Inde impediretur apprehenſio aliquo modo ſuadens Trinitatis veritatem, quæ ad iudicium probabile concipiendum neceſſaria eſt.

66. Obiicies vltimò. Lumen naturale, vt diſtinctum à ſupernaturali, complectitur omnes cauſas, & effectus naturales: iudicium autem probabile de Myſterio Trinitatis eſt effectus naturalis, & illius principium eſt cauſa naturalis: ergo lumen naturale complectitur iudicium probabile de Myſterio Trinitatis, eiuſque cauſam; atque adeo ſtando ſoli lumini naturali continebitur intra illud iudicium probabile de Myſterio Trinitatis. *Reſpondeo*, lumen naturale ſimpliciter, & de abſoluta Dei potentia, complecti quidem omnes cauſas, & effectus naturales, & conſequenter iudicium probabile de Myſterio Trinitatis, ſtando vero communi rerum curſui, non ita; vt ſic enim ſolum complecti poſſet apprehenſionem Trinitatis omnimode diſſuadentem illius veritatem qua prorſus impeditur iudicium probabile de Myſterio Trinitatis. Hæc dicta ſint ex ſuppoſitione, quod ſtando communi rerum curſui emergeret notitia apprehenſiua Trinitatis, de quo ſectione ſequenti.

Qualiter lumen naturale complectatur iudicium probabile de Myſterio Trinitatis.

SECTIO V.

An ante reuelationem poßit haberi dubium, ſuſpicio, vel apprehenſio Trinitatis.

67. Conſtat ex dictis ſectione præcedenti, attenta abſoluta Dei potentia, & principiis naturalibus, haberi poſſe eos omnes actus ante reuelationem circa Myſterium Trinitatis. Tum quia, vt videmus, haberi poteſt iudicium probabile, cuius acquiſitio longe difficilior eſt, ſupponenſque apprehenſionem ſuadentem veritatem Trinitatis. Tum etiam, qui poſt factam reuelationem, poſſibiles ſunt actus illi: ergo & ante illam, cum nullatenus dependeant à reuelatio

Simpliciter, & abſolute poſſibiles ſunt illi actus ante reuelationē.

reuelatio reipsa possibili, aut existente, vt de actu probabili fusius prosecuti sumus; aliter actus illi naturales non essent, sed superni, vtpote cum reuelatione diuina connexi. Difficultas ergo est, An, stante communi rerum euentu, & concursu, haberi possent actus illi imperfecti circa Trinitatis Mysterium, nulla reuelatione, aut principio supernaturali præcedente.

Impossibiles vero stando communi rerum cursui

68. Assero primò, non posse haberi dubium, aut suspicionem de possibilitate, aut existentia Mysterij Trinitatis. Probatur, quia ante reuelationem stando communi rerum cursui, non posses dubitare, nec suspicari de falsitate illius principij, *Quæ sunt eaden vni tertio, sint eadem inter se*: ergo neque posses dubitare, aut suspicari de veritate Trinitatis. Antecedens videtur certum, quia tam euidens appareret principium illud, ac istud aliud, *Quodlibet vel est, vel non est*, & hoc aliud *idem non potest simul esse, & non esse*, sicut ergo nullus posset de falsitate horum principiorum dubitare, aut suspicari, ita nec de falsitate alterius. Consequentia ergo probatur, quia stando communi rerum cursui, non posses dubitare, nec suspicari, an Trinitas vera esset, quin dubitares, aut suspicareris, an hoc principium, *Quæ sunt eadem vni tertio*, &c. falsum esset; id autem non posses dubitare aut suspicari: ergo neque, an Trinitas vera esset. Maior probatur, quia Trinitas, vtpote consistens in identitate trium cum vno tertio, & non inter se, appareret euidentissime contraria principio asserenti, *Esse idem inter se, quæ sunt idem cum tertio*; ergo non posses dubitare, aut suspicari, an Trinitas vera esset, nisi dubitans, an illud principium falsum esset.

69. Confirmatur, quia nullum apparet medium, vnde intellectus, dubium, aut suspicionem concipere posset circa veritatem Trinitatis; ita vt reipsa maneret suspensus, & in neutram partem oppositam inclinaret, quod requiritur ad strictum dubium, suborta enim apprehensione Trinitatis, subito intellectus ex apparenti contrarietate Mysterij cum principio illo euidenti, *Quæ sunt eadem vni tertio*, &c. determinaretur ad dissensum; & assensum, quamuis reipsa verum falsum, & temerarium iudicaret, propter imbecillitatem ipsius

ipsius non valentis altitudinem mysterij pertingere, nec exceptionem illius à communi illa regula discernere, vt passim commendant Patres adducti sect. 1. ergo nullum posset occurrere dubium, aut suspicio, qua reipsa intellectus hæsitaret An Trinitas vera esset.

70. Circa apprehensionem maior est difficultas triplex circa Mysterium Trinitatis suboriri posset. *Prima*, inclinans, & suadens, verum esse; inclinans inquam ad assensum mysterij, & retrahens à dissensu. *Secunda*, inclinans, & suadens, falsum esse; inclinans inquam ad dissensum mysterij, & retrahens ab assensu, *Tertia*, indifferens, non magis de se inclinans, aut suadens veritatem mysterij potius, quam falsitatem, sed vtrumque indifferenter repræsentans, ex vi cuius intellectus non magis in assensum propendeat, quam dissensum. Communis Recentiorum sententia docet, ante reuelationem haberi non posse apprehensionem suadentem, Trinitatem verã esse: haberi tamen posse apprehensionem suadentem, esse falsam. De tertia autem apprehensione indifferenti nihil disputat.

Triplex circa Mysteriũ Trinitatis apprehensio distinguenda.

71. Assero secundo apprehensionem suadentem, verum esse Mysterium Trinitatis, & ad illius assensum inclinantem, aut allicientem, haberi non posse, ante reuelationem, attento communi rerum cursu, Dixi, *attento communi rerum cursu*, quia inspecta potestate Physica; possibilem esse eam apprehensionem, constat ex dictis, pro actu probabili sect. præcedenti; actus enim probabilis natura sua eam apprehensionem supponit: ergo cum ille, potestate physica, sit ante reuelationem possibilis, etiam erit apprehensio. Probatur conclusio *Primò*, Quia si ea apprehensio concipi posset, etiam posset parturiri iudicium de veritate Mysterij Trinitatis: Hoc non potest, vt vidimus: ergo neque concipi apprehensio. *Secundò*, quia attento communi rerum cursu, non potest Trinitas suaderi vera, quin principium illud, *Quæ sunt eadem vni tertio*, &c. suaderetur falsum: apprehenderetur enim Trinitas illi contraria: ergo cum non possit principium illud suaderi falsum, neque posset Trinitas vera existimari. *Tertiò*, quia esse idem inter se, quæ sunt eadem vni tertio, æque euidens ap-

Apprehensio suasiua qualiter ante reuelationem possibilis.

pareret, ac, idem non posse simul esse, & non esse; contra hoc autem principium nulla potest haberi apprehensio suasiua: ergo neque posset contra illud.

Quid de apprehensione suadente Trinitatem falsam esse.

71. Assero tertiò, apprehensionem inclinantem, & suadentem, falsum esse Mysterium Trinitatis ante reuelationem haberi non potuisse, attento communi rerum cursu. Hæc conclusio non eodem nititur cum præcedenti fundamento. Nam imbecillitas intellectus, quæ potens non est ad apprehendendam, & sibi suadendam Trinitatem esse veram, apta de se est, imo quo imbecillior, eo aptior, ad apprehendendam, sibique suadendam falsam esse. Alio igitur hæc assertio trahitur fundamento, videlicet, quia ex tali apprehensione, suapte natura, sequeretur iudicium asserens, Trinitatem esse falsam. Cumque ea apprehensio communis esset omnibus, commune quoque esset iudicium illud. Vnde pacati, & pacifici sentirent homines contra Dei veritatem; quod impedire, etiamsi potestate physica absoluta permitti posset, congruum apparet diuinæ Prouidentiæ. Longe enim melius esset, ignorare prorsus homines Mysterium Trinitatis, quam contra illius veritatem sentire. Inde censeo, eam apprehensionem impediendam fore à Deo, ne inter homines tanquam certa, & euidens, Trinitatis falsitas vagaretur.

73. Addo, nec ab vno, vel altero habendam fore similem apprehensionem. Quia talis homo tutus, & securus existimaret, se obsequium præstare Deo actu illo erroneo contra diuinam veritatem; & ex natura rei contra diuinam veritatem posset tanta facilitate disseminari error ille, quanta potest veritas illius principij, *Quæ sunt eadem vni tertio*, &c. Vnde ex natura rei exponeretur repudianda veritas diuina, & erroribus omnium postponenda, existimantium esse claram, & perspicuam veritatem; Deum non esse tres Personas. Ad hæc ergo inconuenientia vitanda opportunum esset eam apprehensionem impedire.

Quid de apprehensione indifferenti, tam ad assensum quã dissensum Trinitatis.

74. Assero quartò similiter, Apprehensionem indifferentem, tam ad assensum quam dissensum Trinitatis, ante reuelationem, haberi non potuisse. Probatur Quia licet illa apprehensio non determinaret intellectum ad negandam veram esse

esse Trinitatem, vel asserendam falsam, tamen à propria imbecillitate, & apparenti contrarietate Trinitatis cum notissimo illo principio, *Quæ sunt eadem vni tertio*, &c. necessario determinaretur, ad negandam Trinitatem esse veram, & ad asserendam falsam. Vnde eadem sequerentur incommoda, quæ circa apprehensionem suasiuam numerabamus; videlicet, pacifice iudicaturos homines contra Diuinam veritatem, existimantes obsequium se præstare Deo actibus erroneis negantibus Trinitatem Personarum: ergo ad id vitandum consonam esset diuinæ Prouidentiæ eam apprehensionem impedire.

75. Obiicies primo, de facto magna pars hominum errat in Mysterio Trinitatis, nec tamen ad diuinam spectat prouidentiam, eam apprehensionem erroris suasiuam impedire: ergo nec stando lumini naturali ante reuelationem ad eandem spectabit prouidentiam similem apprehensionem impedire. *Respondeo* concesso antecedente, negans consequentiam. Discrimen est, quia de facto lumine fidei, & auxiliis gratiæ, circa possibilitatem, & existentiam Trinitatis abunde instruimur, docemurque contrariam non esse principio illi, *Quæ sunt eadem vni tertio*, &c. Vnde vel non erratur inculpabiliter, vel si id aliquando contigerit in rustico, prouisum est iam remedium, ne ex natura rei talis error tuto, & inculpabiliter in omnes disseminari possit. Quod aliter contingeret ante reuelationem, & auxilia gratiæ, tunc enim absque vlla formidine apprehenderetur Mysterium Trinitatis principio illi contrarium, & consequenter falsum; idque tanta securitate, quanta veritas illius principij firma consisteret, & immota.

Cur Deus de facto nō teneatur impedire apprehensionem erroris suasiuam circa Mysterium Trinitatis.

76. Obiicies secundò. Intellectus noster plura suis viribus independenter à reuelatione, apprehendit, & format impossibilia: ergo etiam posset, ante reuelationem, saltem, vt impossibilem apprehendere Trinitatem. Ad errandum enim sibi sufficit intellectus, nec vllo indiget lumine fidei. *Respondeo*, concesso antecedente, negans consequentiam. Quia ratio à nobis exposita non militat in aliis impossibilibus, quæ diuinam veritatem non lædunt. Nec negatur à nobis possibilis appre-

Nec vt Impossibilem posset intellectus apprehendere Trinitatem.

 hensio

prehensio illa, eo quod intellectus noster non sit sibi sufficiens ad errandum, sed quia ea sufficientia impediretur à Deo, ne Trinitatis veritas, inter errores, aut chymæras indubitanter vagaretur.

77. Obiicies tertiò. Ante reuelationem possibilis est cognitio naturalis repræsentans, licet non certo, aut euidenter, Trinitatem non esse contra, sed supra principium illud, *Quæ sunt eadem vni tertio*, &c. stante autem huiusmodi cognitione naturali, non tuto, & omnino inculpabiliter erraretur circa Mysterium Trinitatis, sed cum aliqua formidine; nec necessario raperetur intellectus ad dissensum mysterij ab apparenti oppositione illius cum eo principio naturali: ergo possibilis erit apprehensio mysterij ante reuelationem. Maior patet, quia licet Trinitas, eiusque altitudo supra principium illud, *Quæ sunt eadem vni tertio*, &c. non possint actu naturali certo, aut euidenter attingi; possunt tamen infra certitudinem, & euidentiam cognosci, quo fundamento stabiliuimus nos supra possibilem notitiam probabilem de Mysterio Trinitatis. Minor probatur, nam tota ratio, cur intellectus ante reuelationem tuto, inculpabiliter, & absque vlla formidine raperetur necessario ad dissensum Trinitatis, ea est, quia videlicet Trinitas vndequaque appareret contraria illi principio; id autem cessaret, existente ante reuelationem cognitione naturali repræsentante Trinitatem non esse contra, sed supra principium illud: ergo.

78. Respondeo distinguens maiorem. Ante reuelationem possibilis est cognitio naturalis repræsentans, Trinitatem non esse contra, sed supra principium illud; *Quæ sunt eadem vni tertio*, &c. Possibilis inquam est potestate physica absoluta, concedo: potestate morali, & attento rerum cursu, nego. Et concessa minori, nego consequentiam. Quod si inquiras, cur cognitio illa possibilis non sit, potestate morali, attento rerum cursu? Dixi iam id prouenire ex altitudine mysterij ex vno capite, & ex imbecillitate intellectus creati ex altero, iuxta mentem Patrum, quos dedimus sect. 1.

Attento cõmuni rerum usu facien.

79. Obiicies vltimò. Ante reuelationem, potestate morali, & attento communi rerum cursu cognosci posset carentia Trinitatis

nitatis: ergo & apprehendi Trinitas. Consequentia videtur optima, nam imperceptibile est cognosci carentiam Trinitatis, & non apprehendi Trinitatem. Antecedens probatur, quia carentia Trinitatis est quid imperfectissimum, & prorsus chymæricum: ergo non solum potestate Physica, sed etiam morali, actu aliquo saltem imperfecto, cognosci posset à creatura. *Respondeo* negans antecedens. Quia licet carentia Trinitatis, quid imperfectissimum sit, & prorsus chymæricum; illius tamen notitia, quantumcumque imperfecta, non staret absque apprehensione Trinitatis, ex qua errores à nobis expensi facillime disseminari possent; ad quos vitandos diuinæ prouidentiæ est, notitiam carentiæ Trinitatis prorsus impedire.

tia Trinitatis ante reuelationem apprehendi non posset.

80. Hinc collige primò. Ante reuelationem attento communi rerum cursu impediendam fore à Deo cognitionem cuiuscumque obiecti, ex qua aliqualis apprehensio Trinitatis formaretur. Nam ea apprehensione concepta, ex natura rei subsequeretur error contra Diuinam veritatem, in quo homines pacati viuerent, existimantes se actibus illis erroneis obsequium præstare diuinæ veritati. Idcirco occulta maneret non solum carentia Trinitatis, & triplicis vnionis ad tres Diuinas Personas, sed etiam notitia probabilis, & falsa quælibet cognitio negans Trinitatem, eorumque principia; oppositio item contradictoria inter Trinitatem eiusque carentiam; distinctio mysterij à quolibet creato, & quodcumque aliud obiectum generans apprehensionem Trinitatis, quia eadem est de omnibus ratio.

Cuiuscumque obiecti cognitio, ex qua aliqualis apprehensio Trinitatis formaretur, impediendā foret à Deo.

81. Collige secundò. Hominem, & Angelum ante reuelationem, ex principiis naturalibus discursuros tantum infra Trinitatem & nullatenus circa obiecta, illius apprehensionem excitantia; quare nunquam illis occurreret obiectum, ex quo progrederentur ad apprehendendam Trinitatem, sed tantum ea, quæ ad vnitatem Dei, cæterosque effectus naturales pertinerent. Vnde propositiones eorum vniuersales, nunquam complecterentur Mysterium Trinitatis; atque adeo nec principium illud generale, Quæ sunt eadem vni tertio, illud complectitur.

deposito nouum valet exprimere. Vnde si actus probabilis posset Trinitatem attingere, quoque posset illi connecti: non potest: ergo neque attingere. *Contra*, quia actum probabilem persistere non posse sine obiecto, nec posse, priori deposito, nouum exprimere, non arguit connexionem cum obiecto, ita reipsa se habente, ac asseritur ab actu, aliter actus falsus circa Trinitatem, cum non possit persistere sine vllo obiecto, nec priori deposito nouum exprimere, connecteretur Trinitati, sed solum arguit connexionem cum obiecto apprehenso, seu obiectiue existente in mente cognoscentis quæ connexio communis est omnibus actibus respectu cuiuscunque obiecti, nec sufficiens ad actum supernum specificandum; sed vlterius ad id opus est connexio cum obiecto ita reipsa se habente, ac asseritur ab actu. Quod longissime positum esset ab actu probabili de Mysterio Trinitatis, qui de se manere posset, etiam si Trinitas in re non esset, dummodo esset Trinitas apprehensa: ergo etiamsi actus probabilis posset attingere Trinitatem, non inde fieret posse illi connecti, modo sufficiente ad actum supernum specificandum.

Quo pacto notitia probabilis de Mysterio Trinitatis supponat de facto reuelationem

6. Dices tertio, notitiam probabilem de Mysterio Trinitatis supponere Diuinam reuelationem, sine qua habita non fuisset, ideo futuram necessario supernam, quod cum implicet, consequenter quoque implicare actum probabilem de Mysterio Trinitatis, necesse est. *Contra* tamen. Quia notitia probabilis de Mysterio Trinitatis non supponit per se reuelationem diuinam, sed per accidens, & mediis entitatiue naturalibus acquiri potuisset. Nam reuelatio eatenus expedit intellectum creatum ad assensum probabilem de Mysterio Trinitatis, quatenus expellit errorem, quo sibi homines suaderent, huiusmodi mysterium contrarium esse illi principio, *Quæ sunt eadem vni tertio*, &c. hic autem error expelli potuisset, vel nolente Deo ad illum concurrere, vel infundendo cognitionem naturalem imperfectam exceptionis Trinitatis ab eo principio, in quo nihil supernaturale relucet: ergo etiam si notitia probabilis de Mysterio Trinitatis supponat de facto reuelationem, sine qua habita non fuisset, non inde futura est superna.

7. Dices

7. Dices vltimò, notitiam probabilem natura sua exigere ad sui existentiam remotionem impedimenti, cum sine illa saltem connaturaliter existere non possit. Quæ remotio cum sit reuelatio, natura sua eam exigeret actus probabilis, & consequenter supernaturalis erit; nam quod natura sua exigit aliquid supernaturale ad existendum, supernaturale est. *Contra*, quia remotio impedimenti non est reuelatio diuina, sed carentia rei impedientis, quæ per accidens inducitur à reuelatione de facto. Vnde existentia actus probabilis, quamuis absolute exigat ad sui existentiam remotionem, seu carentiam impedimenti, non tamen absolute exigit illam à reuelatione causandam, sed vel causandam, aut inducendam à principiis naturalibus, vel à reuelatione diuina, si possibilis sit, quo nulla stat cum illa connexio, & consequenter neque supernaturalitas vlla actus probabilis: ergo licet iste exigat ad sui existentiam remotionem impedimenti, non ideo supernus futurus est.

Quid sit remotio impedimenti ad notitiam probabilem Trinitatis necessaria.

8. Secundo probatur conclusio de probabilitate ab intrinseco, siue à ratione, & motiuo desumpta. Nam rationes, & motiua de se sufficientia ad specificandum actum simpliciter certum & infallibilem; sufficientia quoque sunt, imperfectiori modo apprehensa, ad specificandum actum ab intrinseco probabilem: de facto autem dantur rationes, & motiua de se sufficientia ad specificandum actum simpliciter certum, & infallibilem de Mysterio Trinitatis, nempe actum fidei supernæ: ergo eadem motiua imperfectiori modo penetrata, qualiter ad notitiã probabilem necesse est, poterunt specificare actum ab intrinseco probabilem de eodem Mysterio Trinitatis. minor certa est. Maior autem constat ex dictis, nam obiectum supernaturale attingi potest ab actu naturali, etiam vt motiuum: ergo attingi etiam poterit ab actu probabili.

Post reuelationem haberi potest notitia ab intrinseco probabilis de Mysterio Trinitatis.

9. Confirmatur *Primò*. Nam motiua proponentia Mysterium Trinitatis euidenter credibile sufficientia sunt, imo & superabundantia, ad probabilem illius assensum: de facto autem dantur ea motiua, signa videlicet credibilititatis: ergo & poterit ea notitia probabilis haberi. Confirmatur *Secundo*, quia si quid obstaret, maxime illud principium, *Quæ sunt eadem vni*

Motiua sufficientia ad probabilem assensum de Mysterio Trinitatis.

& immultiplicabili natura humana, quo saluari existimabant principium illud, Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se. At Mysterium Trinitatis consistit intribus Personis realiter inter se distinctis, & eidem numero, & immultiplicabili naturæ identificatis. Idcirco solo naturali lumine non apprehenderetur saluari principium illud, sed infringi, atque adeo falsum censeretur Mysterium Trinitatis, vtpote principio euidenti contrarium, & oppositum.

Iudicium probabile de Mysterio Trinitatis ante reuelationem simpliciter possibile.

64. Obiicies tertiò. Post reuelationem possibile est iudicium probabile de possibilitate, & existentia Mysterij Trinitatis: ergo cum Angelus ante reuelationem, seu independenter ab illa, cognoscat euidenter intellectum creatum, cognoscet etiam euidenter in illo principium talis iudicij: ergo inferet euidenter Mysterium Trinitatis probabile esse independenter à reuelatione. Vtraque consequentia videtur optima. Tum quia Angelus cognoscit euidenter omnia principia, & effectus naturales, præter secreta cordis: iudicium autem illud probabile de Mysterio Trinitatis est effectus naturalis, cum sit actus natura sua fallibilis, similiterque principium illius naturale est, cum nihil supernaturale possit iudicium, seu notitiam fallibilem generare. Tum etiam, quia tam iudicium illud probabile, quam illius principium, non pendent à reuelatione reipsa possibili, aut existente, vt nos supra ostendimus: ergo poterunt existere de facto independenter à reuelatione.

65. Hoc argumentum conclusionem nostram non lædit; imo illius à nobis traditam explicationem alte munit, ac roborat. Respondeo igitur simpliciter, & absolute, attenta absoluta Dei potentia, posse ante reuelationem innotescere Angelo iudicium probabile de Mysterio Trinitatis, eiúsque principium, quia non pendent essentialiter à possibilitate, aut existentia reuelationis in re. De potentia vero ordinaria stando communi rerum cursu, non posse. Quia talis notitia impeditur principio lumine naturæ noto, scilicet, *Quæ sunt eadem vni tertio*, &c. Si autem quæras cur impediatur? Respondeo impediri, non quod illud principium sit reipsa Trinitati contrarium, verum enim vero non opponitur, sed quia imbecillitas intellectus nostri, sibi relicta, non caperet exceptionem

ceptionem, & altitudinem Trinitatis ſupra illud principium. Inde impediretur apprehenſio aliquo modo ſuadens Trinitatis veritatem, quæ ad iudicium probabile concipiendum neceſſaria eſt.

66. Obiicies vltimò. Lumen naturale, vt diſtinctum à ſupernaturali, complectitur omnes cauſas, & effectus naturales: iudicium autem probabile de Myſterio Trinitatis eſt effectus naturalis, & illius principium eſt cauſa naturalis: ergo lumen naturale complectitur iudicium probabile de Myſterio Trinitatis, eiuſque cauſam; atque adeo ſtando ſoli lumini naturali continebitur intra illud iudicium probabile de Myſterio Trinitatis. *Reſpondeo*, lumen naturale ſimpliciter, & de abſoluta Dei potentia, complecti quidem omnes cauſas, & effectus naturales, & conſequenter iudicium probabile de Myſterio Trinitatis, ſtando vero communi rerum curſui, non ita; vt ſic enim ſolum complecti poſſet apprehenſionem Trinitatis omnimode diſſuadentem illius veritatem qua prorſus impeditur iudicium probabile de Myſterio Trinitatis. Hæc dicta ſint ex ſuppoſitione, quod ſtando communi rerum curſui emergeret notitia apprehenſiua Trinitatis, de quo ſectione ſequenti.

Qualiter lumen naturale complectatur iudicium probabile de Myſterio Trinitatis.

SECTIO V.

An ante reuelationem poßit haberi dubium, ſuſpicio, vel apprehenſio Trinitatis.

67. Conſtat ex dictis ſectione præcedenti, attenta abſoluta Dei potentia, & principiis naturalibus, haberi poſſe eos omnes actus ante reuelationem circa Myſterium Trinitatis. Tum quia, vt videmus, haberi poteſt iudicium probabile, cuius acquiſitio longe difficilior eſt, ſupponenſque apprehenſionem ſuadentem veritatem Trinitatis. Tum etiam, qui poſt factam reuelationem, poſſibiles ſunt actus illi: ergo & ante illam, cum nullatenus dependeant à reuelatio

Simpliciter, & abſolute poſſibiles ſunt illi actus ante reuelationem.

reuelatio reipsa possibili, aut existente, vt de actu probabili fusius prosecuti sumus; aliter actus illi naturales non essent, sed superni, vtpote cum reuelatione diuina connexi. Difficultas ergo est, An, stante communi rerum euentu, & concursu, haberi possent actus illi imperfecti circa Trinitatis Mysterium, nulla reuelatione, aut principio supernaturali præcedente.

Impossibiles vero stando communi rerum cursui

68. Assero primò, non posse haberi dubium, aut suspicionem de possibilitate, aut existentia Mysterij Trinitatis. Probatur, quia ante reuelationem stando communi rerum cursui, non posses dubitare, nec suspicari de falsitate illius principij, *Quæ sunt eaden vni tertio, sint eadem inter se*: ergo neque posses dubitare, aut suspicari de veritate Trinitatis. Antecedens videtur certum, quia tam euidens appareret principium illud, ac istud aliud, *Quodlibet vel est, vel non est*, & hoc aliud *idem non potest simul esse, & non esse*, sicut ergo nullus posset de falsitate horum principiorum dubitare, aut suspicari, ita nec de falsitate alterius. Consequentia ergo probatur, quia stando communi rerum cursui, non posses dubitare, nec suspicari, an Trinitas vera esset, quin dubitares, aut suspicareris, an hoc principium, *Quæ sunt eadem vni tertio*, &c. falsum esset; id autem non posses dubitare aut suspicari: ergo neque, an Trinitas vera esset. Maior probatur, quia Trinitas, vtpote consistens in identitate trium cum vno tertio, & non inter se, appareret euidentissime contraria principio asserenti, *Esse idem inter se, quæ sunt idem cum tertio*; ergo non posses dubitare, aut suspicari, an Trinitas vera esset, nisi dubitans, an illud principium falsum esset.

69. Confirmatur, quia nullum apparet medium, vnde intellectus, dubium, aut suspicionem concipere posset circa veritatem Trinitatis; ita vt reipsa maneret suspensus, & in neutram partem oppositam inclinaret, quod requiritur ad strictum dubium, suborta enim apprehensione Trinitatis, subito intellectus ex apparenti contrarietate Mysterij cum principio illo euidenti, *Quæ sunt eadem vni tertio*, &c. determinaretur ad dissensum; & assensum, quamuis reipsa verum falsum, & temerarium iudicaret, propter imbecillitatem

ipsius

ipſius non valentis altitudinem myſterij pertingere, nec exceptionem illius à communi illa regula diſcernere, vt paſſim commendant Patres adducti ſect. 1. ergo nullum poſſet occurrere dubium, aut ſuſpicio, qua reipſa intellectus hæſitaret An Trinitas vera eſſet.

70. Circa apprehenſionem maior eſt difficultas triplex circa Myſterium Trinitatis ſuboriri poſſet. *Prima*, inclinans, & ſuadens, verum eſſe; inclinans inquam ad aſſenſum myſterij, & retrahens à diſſenſu. *Secunda*, inclinans, & ſuadens, falſum eſſe; inclinans inquam ad diſſenſum myſterij, & retrahens ab aſſenſu, *Tertia*, indifferens, non magis de ſe inclinans, aut ſuadens veritatem myſterij potius, quam falſitatem, ſed vtrumque indifferenter repræſentans, ex vi cuius intellectus non magis in aſſenſum propendeat, quam diſſenſum. Communis Recentiorum ſententia docet, ante reuelationem haberi non poſſe apprehenſionem ſuadentem, Trinitatem verã eſſe: haberi tamen poſſe apprehenſionem ſuadentem, eſſe falſam. De tertia autem apprehenſione indifferenti nihil diſputat.

Triplex circa Myſteriũ Trinitatis apprehenſio diſtinguenda.

71. Aſſero ſecundo apprehenſionem ſuadentem, verum eſſe Myſterium Trinitatis, & ad illius aſſenſum inclinantem, aut allicientem, haberi non poſſe, ante reuelationem, attento communi rerum curſu, Dixi, *attento communi rerum curſu*, quia inſpecta poteſtate Phyſica; poſſibilem eſſe eam apprehenſionem, conſtat ex dictis, pro actu probabili ſect. præcedenti; actus enim probabilis natura ſua eam apprehenſionem ſupponit: ergo cum ille, poteſtate phyſica, ſit ante reuelationem poſſibilis, etiam erit apprehenſio. Probatur concluſio *Primò*, Quia ſi ea apprehenſio concipi poſſet, etiam poſſet parturiri iudicium de veritate Myſterij Trinitatis: Hoc non poteſt, vt vidimus: ergo neque concipi apprehenſio. *Secundò*, quia attento communi rerum curſu, non poteſt Trinitas ſuaderi vera, quin principium illud, *Quæ ſunt eadem vni tertio*, &c. ſuaderetur falſum: apprehenderetur enim Trinitas illi contraria: ergo cum non poſſit principium illud ſuaderi falſum, neque poſſet Trinitas vera exiſtimari. *Tertiò*, quia eſſe idem inter ſe, quæ ſunt eadem vni tertio, atque euidens appareret,

Apprehenſio ſuaſiua qualiter ante reuelationem poſſibilis.

E

pareret, ac, idem non posse simul esse, & non esse; contra hoc autem principium nulla potest haberi apprehensio suasiua: ergo neque posset contra illud.

Quid de apprehensione suadente Trinitatem falsam esse.

72. Assero tertiò, apprehensionem inclinantem, & suadentem, falsum esse Mysterium Trinitatis ante reuelationem haberi non potuisse, attento communi rerum cursu. Hæc conclusio non eodem nititur cum præcedenti fundamento. Nam imbecillitas intellectus, quæ potens non est ad apprehendendam, & sibi suadendam Trinitatem esse veram, apta de se est, imo quo imbecillior, eo aptior, ad apprehendendam, sibique suadendam falsam esse. Alio igitur hæc assertio trahitur fundamento, videlicet, quia ex tali apprehensione, suapte natura, sequeretur iudicium asserens, Trinitatem esse falsam. Cumque ea apprehensio communis esset omnibus, commune quoque esset iudicium illud. Vnde pacati, & pacifici sentirent homines contra Dei veritatem; quod impedire, etiamsi potestate physica absoluta permitti posset, congruum apparet diuinæ Prouidentiæ. Longe enim melius esset, ignorare prorsus homines Mysterium Trinitatis, quam contra illius veritatem sentire. Inde censeo, eam apprehensionem impediendam fore à Deo, ne inter homines tanquam certa, & euidens, Trinitatis falsitas vagaretur.

73. Addo, nec ab vno, vel altero habendam fore similem apprehensionem. Quia talis homo tutus, & securus existimaret, se obsequium præstare Deo actu illo erroneo contra diuinam veritatem; & ex natura rei contra diuinam veritatem posset tanta facilitate disseminari error ille, quanta potest veritas illius principij, *Quæ sunt eadem vni tertio*, &c. Vnde ex natura rei exponeretur repudianda veritas diuina, & erroribus omnium postponenda, existimantium esse claram, & perspicuam veritatem; Deum non esse tres Personas. Ad hæc ergo inconuenientia vitanda opportunum esset eam apprehensionem impedire.

Quid de apprehensione indifferenti, tam ad assensum quã dissensum Trinitatis.

74. Assero quartò similiter, Apprehensionem indifferentem, tam ad assensum quam dissensum Trinitatis, ante reuelationem, haberi non potuisse. Probatur Quia licet illa apprehensio non determinaret intellectum ad negandam veram esse

esse Trinitatem, vel asserendam falsam, tamen à propria imbecillitate, & apparenti contrarietate Trinitatis cum notissimo illo principio, *Quæ sunt eadem vni tertio*, &c. necessario determinaretur, ad negandam Trinitatem esse veram, & ad asserendam falsam. Vnde eadem sequerentur incommoda, quæ circa apprehensionem suasiuam numerabamus; videlicet, pacifice iudicaturos homines contra Diuinam veritatem, existimantes obsequium se præstare Deo actibus erroneis negantibus Trinitatem Personarum: ergo ad id vitandum consonam esset diuinæ Prouidentiæ eam apprehensionem impedire.

75. Obiicies primo, de facto magna pars hominum errat in Mysterio Trinitatis, nec tamen ad diuinam spectat prouidentiam, eam apprehensionem erroris suasiuam impedire: ergo nec stando lumini naturali ante reuelationem ad eandem spectabit prouidentiam similem apprehensionem impedire. *Respondeo* concesso antecedente, negans consequentiam. Discrimen est, quia de facto lumine fidei, & auxiliis gratiæ, circa possibilitatem, & existentiam Trinitatis abunde instruimur, docemurque contrariam non esse principio illi, *Quæ sunt eadem vni tertio*, &c. Vnde vel non erratur inculpabiliter, vel si id aliquando contigerit in rustico, prouisum est iam remedium, ne ex natura rei talis error tuto, & inculpabiliter in omnes disseminari possit. Quod aliter contingeret ante reuelationem, & auxilia gratiæ, tunc enim absque vlla formidine apprehenderetur Mysterium Trinitatis principio illi contrarium, & consequenter falsum; idque tanta securitate, quanta veritas illius principij firma consisteret, & immota.

Cur Deus de facto nõ teneatur impedire apprehensionem erroris suasiuam circa *Mysterium Trinitatis*.

76. Obiicies secundò. Intellectus noster plura suis viribus independenter à reuelatione, apprehendit, & format impossibilia: ergo etiam posset, ante reuelationem, saltem, vt im possibilem apprehendere Trinitatem. Ad errandum enim sibi sufficit intellectus, nec vllo indiget lumine fidei. *Respondeo*, concesso antecedente, negans consequentiam. Quia ratio à nobis exposita non militat in aliis impossibilibus, quæ diuinam veritatem non lædunt. Nec negatur à nobis possibilis appre-

Nec vt impossibilem posset intellectus apprehendere Trinitatem.

prehensio illa, eo quod intellectus noster non sit sibi sufficiens ad errandum, sed quia ea sufficientia impediretur à Deo, ne Trinitatis veritas, inter errores, aut chymæras indubitanter vagaretur.

77. Obiicies tertiò. Ante reuelationem possibilis est cognitio naturalis repræsentans, licet non certo, aut euidenter, Trinitatem non esse contra, sed supra principium illud, *Quæ sunt eadem vni tertio*, &c. stante autem huiusmodi cognitione naturali, non tuto, & omnino inculpabiliter erraretur circa Mysterium Trinitatis, sed cum aliqua formidine; nec necessario raperetur intellectus ad dissensum mysterij ab apparenti oppositione illius cum eo principio naturali: ergo possibilis erit apprehensio mysterij ante reuelationem. Maior patet, quia licet Trinitas, eiusque altitudo supra principium illud, *Quæ sunt eadem vni tertio*, &c. non possint actu naturali certo, aut euidenter attingi; possunt tamen infra certitudinem, & euidentiam cognosci, quo fundamento stabiliuimus nos supra possibilem notitiam probabilem de Mysterio Trinitatis. Minor probatur, nam tota ratio, cur intellectus ante reuelationem tuto, inculpabiliter, & absque vlla formidine raperetur necessario ad dissensum Trinitatis, ea est, quia videlicet Trinitas vndequaque appareret contraria illi principio; id autem cessaret, existente ante reuelationem cognitione naturali repræsentante Trinitatem non esse contra, sed supra principium illud: ergo.

78. Respondeo distinguens maiorem. Ante reuelationem possibilis est cognitio naturalis repræsentans, Trinitatem non esse contra, sed supra principium illud; *Quæ sunt eadem vni tertio*, &c. Possibilis inquam est potestate physica absoluta, concedo: potestate morali, & attento rerum cursu, nego. Et concessa minori, nego consequentiam. Quod si inquiras, cur cognitio illa possibilis non sit, potestate morali, attento rerum cursu? Dixi iam id prouenire ex altitudine mysterij ex vno capite, & ex imbecillitate intellectus creati ex altero, iuxta mentem Patrum, quos dedimus sect. 1.

Attento cōmuni rerum usfucaten.

79. Obiicies vltimò. Ante reuelationem, potestate morali, & attento communi rerum cursu cognosci posset carentia Trinitatis

nitatis: ergo & apprehendi Trinitas. Consequentia videtur optima, nam imperceptibile est cognosci carentiam Trinitatis, & non apprehendi Trinitatem. Antecedens probatur, quia carentia Trinitatis est quid imperfectissimum, & prorsus chymæricum: ergo non solum potestate Physica, sed etiam morali, actu aliquo saltem imperfecto, cognosci posset à creatura. *Respondeo* negans antecedens. Quia licet carentia Trinitatis, quid imperfectissimum sit, & prorsus chymæricum; illius tamen notitia, quantumcumque imperfecta, non staret absque apprehensione Trinitatis, ex qua errores à nobis expensi facillime disseminari possent; ad quos vitandos diuinæ prouidentiæ est, notitiam carentiæ Trinitatis prorsus impedire.

tia Trinitatis ante reuelationem apprehendi non posset.

80. Hinc collige primò. Ante reuelationem attento communi rerum cursu impediendam fore à Deo cognitionem cuiuscumque obiecti, ex qua aliqualis apprehensio Trinitatis formaretur. Nam ea apprehensione concepta, ex natura rei subsequeretur error contra Diuinam veritatem, in quo homines pacati viuerent, existimantes se actibus illis erroneis obsequium præstare diuinæ veritati. Idcirco occulta maneret non solum carentia Trinitatis, & triplicis vnionis ad tres Diuinas Personas, sed etiam notitia probabilis, & falsa quælibet cognitio negans Trinitatem, eorumque principia; oppositio item contradictoria inter Trinitatem eiusque carentiam; distinctio mysterij à quolibet creato, & quodcumque aliud obiectum generans apprehensionem Trinitatis, quia eadem est de omnibus ratio.

Cuiuscumque obiecti cognitio, ex qua aliqualis apprehensio Trinitatis formaretur, impedienda foret à Deo.

81. Collige secundò. Hominem, & Angelum ante reuelationem, ex principiis naturalibus discursuros tantum infra Trinitatem & nullatenus circa obiecta, illius apprehensionem excitantia; quare nunquam illis occurreret obiectum, ex quo progrederentur ad apprehendendam Trinitatem, sed tantum ea, quæ ad vnitatem Dei, cæterosque effectus naturales pertinerent. Vnde propositiones eorum vniuersales, nunquam complecterentur Mysterium Trinitatis; atque adeo nec principium illud generale, Quæ sunt eadem vni tertio, illud complectitur.



DISPVTATIO II.

Cognoſcibilitas Myſterij Trinitatis poſt factam reuelationem.

1 IXI Iam nomine reuelationis, non venire ſolam diuinam locutionem: ſed principia etiam, & media ſupernaturalia ad notitiam Trinitatis conducentia. Quærit ergo præſens diſputatio, quid natura rationalis, ſiue humana, ſiue Angelica mediis, & principiis ſupernaturalibus adiuta, conſequi poſſit de Myſterio Trinitatis, tum actibus naturalibus, tum ſupernis ſupponentibus iam diuinam reuelationem, & ſigna credibilitatis, morali euidentia, veritates à Deo reuelatas confirmantia. Et quidem beatos per viſionem beatam intuitiue videre Myſterium Trinitatis, non hic diſputo, ſed ex tractatu de viſione ſuppono. Similiterque poſſe priuilegium illud de potentia abſoluta viatori concedi. De cæteris ergo aliis notitiis præſens inſtruitur controuerſia.

SECTIO I.

An haberi poßit notitia probabilis, aut euidens naturalis.

Motiua, & principia ſuperna poſſunt actu naturali probabiliter attingi.

2. CIrca primam partem communis ſatis eſt Theologorum ſententia, poſt factam reuelationem haberi poſſe notitiam probabilem Myſterij Trinitatis. Pro cuius clariori intelli

intelligentia supponendum est. Motiua, & principia superna, vnde Trinitas actibus supernis infallibiliter penetrari valet posse actu naturali probabiliter pertingi. Tum quia ens supernum superare non debet quamlibet cognitionem naturalem, sed solam simpliciter certam, & euidentẽ, vt tractatu de visione fusius expendimus. Ratio est, quia sola cognitio simpliciter certa, aut euidens cõnectitur cũ suo obiecto, ita reipsa se habente, ac asseritur ab actu, cumque ens supernum superare debeat totius naturæ connexionem, superare quoque debet actum naturalem certum, & euidentem; non vero probabilem, qui eam connexionem non sortitur. Tum etiam quia notitia probabilis de obiecto quolibet superna esse non potest, cum de suo sit falsitati subiecta: ergo naturalis.

3. Assero primò. Post factam reuelationem, haberi posse notitiam probabilem de Mysterio Trinitatis. Probatur primo de probabilitate ab extrinseco; hæc enim consistit in assensu obiecti, propter authoritatem, & consensum plurium Doctorum vnanimiter in aliquod assertum conspirantium: huiusmodi autem authoritatem, & consensum abundare circa Mysterium Trinitatis, quis vel cæcus non videat: ergo poterit in ea fundari notitia ab extrinseco probabilis de Mysterio Trinitatis. *Confirmatur*, nam si quid obstaret possibilitati illius notitiæ, maxime supernaturalitas Trinitatis: istam autem non obstare constat, tum ex dictis num. præcedenti, tum etiam, quia actus falsus negans Trinitatem, illam attingit, etiamsi ipse naturalis sit, & Trinitas superna: ergo idem poterit probabilis.

Post reuelationem haberi potest notitia ab extrinseco probabilis de Mysterio Trinitatis.

4. Dices primò, actum falsum tendere modo imperfectissimo in obiectum, ideoque posse extendi ad id, quod supernaturale est. *Contra*, quia etiam actus probabilis tendit modo imperfectissimo in obiectum, scilicet de se exposito falsitati, qui modus tendendi non minus actibus supernis contrarius, & impossibilis est, quam actualis falsitas: ergo cum actus falsus extendi possit ad obiectum supernum, etiam poterit probabilis.

5. Dices secundo actum probabilem connecti cum suo obiecto, quia nec persistere potest sine obiecto, nec priori deposito

Actus probabilis qualiter cũ suo obiecto cõnexus & inconnexus.

deposito nouum valet exprimere. Vnde si actus probabilis posset Trinitatem attingere, quoque posset illi connecti: non potest: ergo neque attingere. *Contra*, quia actum probabilem persistere non posse sine obiecto, nec posse, priori deposito, nouum exprimere, non arguit connexionem cum obiecto, ita reipsa se habente, ac asseritur ab actu, aliter actus falsus circa Trinitatem, cum non possit persistere sine vllo obiecto, nec priori deposito nouum exprimere, connecteretur Trinitati, sed solum arguit connexionem cum obiecto apprehenso, seu obiectiue existente in mente cognoscentis, quæ connexio communis est omnibus actibus respectu cuiuscunque obiecti, nec sufficiens ad actum supernum specificandum; sed vlterius ad id opus est connexio cum obiecto ita reipsa se habente, ac asseritur ab actu. Quod longissime positum esset ab actu probabili de Mysterio Trinitatis, qui de se manere posset, etiam si Trinitas in re non esset, dummodo esset Trinitas apprehensa: ergo etiamsi actus probabilis posset attingere Trinitatem, non inde fieret posse illi connecti, modo sufficiente ad actum supernum specificandum.

Quo pacto notitia probabilis de Mysterio Trinitatis supponat de facto reuelationem

6. Dices tertio, notitiam probabilem de Mysterio Trinitatis supponere Diuinam reuelationem, sine qua habita non fuisset, ideo futuram necessario supernam, quod cum implicet, consequenter quoque implicare actum probabilem de Mysterio Trinitatis, necesse est. *Contra* tamen. Quia notitia probabilis de Mysterio Trinitatis non supponit per se reuelationem diuinam, sed per accidens, & mediis entitatiue naturalibus acquiri potuisset. Nam reuelatio eatenus expedit intellectum creatum ad assensum probabilem de Mysterio Trinitatis, quatenus expellit errorem, quo sibi homines suaderent, huiusmodi mysterium contrarium esse illi principio, *Quæ sunt eadem vni tertio*, &c. hic autem error expelli potuisset, vel nolente Deo ad illum concurrere, vel infundendo cognitionem naturalem imperfectam exceptionis Trinitatis ab eo principio, in quo nihil supernaturale relucet: ergo etiam si notitia probabilis de Mysterio Trinitatis supponat de facto reuelationem, sine qua habita non fuisset, non inde futura est superna.

7. Dices

7. Dices vltimò, notitiam probabilem natura sua exigere ad sui existentiam remotionem impedimenti, cum sine illa saltem connaturaliter existere non possit. Quæ remotio cum sit reuelatio, natura sua eam exigeret actus probabilis, & consequenter supernaturalis erit; nam quod natura sua exigit aliquid supernaturale ad existendum, supernaturale est. *Contra*, quia remotio impedimenti non est reuelatio diuina, sed carentia rei impedientis, quæ per accidens inducitur à reuelatione de facto. Vnde existentia actus probabilis, quamuis absolute exigat ad sui existentiam remotionem, seu carentiam impedimenti, non tamen absolute exigit illam à reuelatione causandam, sed vel causandam, aut inducendam à principiis naturalibus, vel à reuelatione diuina, si possibilis sit, quo nulla stat cum illa connexio, & consequenter neque supernaturalitas vlla actus probabilis: ergo licet iste exigat ad sui existentiam remotionem impedimenti, non ideo supernus futurus est.

Quid sit remotio impedimenti ad notitiam probabilem Trinitatis necessaria.

8. Secundo probatur conclusio de probabilitate ab intrinseco, siue à ratione, & motiuo desumpta. Nam rationes, & motiua de se sufficientia ad specificandum actum simpliciter certum & infallibilem; sufficientia quoque sunt, imperfectiori modo apprehensa, ad specificandum actum ab intrinseco probabilem: de facto autem dantur rationes, & motiua de se sufficientia ad specificandum actum simpliciter certum, & infallibilem de Mysterio Trinitatis, nempe actum fidei supernæ: ergo eadem motiua imperfectiori modo penetrata, qualiter ad notitiã probabilem necesse est, poterunt specificare actum ab intrinseco probabilem de eodem Mysterio Trinitatis. minor certa est. Maior autem constat ex dictis, nam obiectum supernaturale attingi potest ab actu naturali, etiam vt motiuum: ergo attingi etiam poterit ab actu probabili.

Post reuelationem haberi potest notitia ab intrinseco probabilis de Mysterio Trinitatis.

9. Confirmatur *Primò*. Nam motiua proponentia Mysterium Trinitatis euidenter credibile sufficientia sunt, imo & superabundantia, ad probabilem illius assensum: de facto autem dantur ea motiua, signa videlicet credibilititatis: ergo & poterit ea notitia probabilis haberi. Confirmatur *Secundo*, quia si quid obstaret, maxime illud principium, *Quæ sunt eadem*

Motiua sufficientia ad probabilem assensum de Mysterio Trinitatis.

 vni

vni tertio, sunt eadem inter se, hoc non obstat: ergo. Minor probatur, quia post reuelationem iam nobis constat illo principio non comprehendi Mysterium Trinitatis, & rationes ad illud explicandum à fide nobis ministratæ sunt: ergo non obstabit illud principium probabili Trinitatis notitiæ. Imo adulti, ad fide diuina apprehendenda nostræ fidei mysteria, trahuntur rationibus naturalibus, quibus, interna comitante gratia, fidem supernaturalem concipiunt: ergo signum est eas rationes esse saltem ab intrinseco probabiles, aliter nullius essent momenti ad assumptum suadendum.

An post reuelationem possibilis sit assensus euidens naturalis de Mysterio Trinitatis.

10. Circa secundam sectionis partem, Maior est difficultas, An scilicet post factam reuelationem possit haberi euidens notitia Trinitatis in substantia naturalis: de supernaturali enim inferius disputabitur. Negant communiter Doctores. Affirmat Lullius apud Vazquium disp. 133. c. 1. qui censet præcedente lumine fidei haberi posse demonstrationem naturalem, eaque conuincendos fore quoscumque Gentiles, & Mahometanos, si eam penetrare voluerint. Quid autem præcedens fidei lumen inseruiat demonstrationi, explicat docens prærequiri, non quia actus fidei demonstrationem componat, nam confusus est, sed vt creatura inueniat medium demonstrationi consonum, & aptum.

Demonstrationes naturales Trinitatis post factam reuelationē à Lullio compositæ.

11. Si autem à Lullio quæras quam ipse demonstrationem inuenerit, hanc subiicit, *Vbicumque est actus, est concordia agentis, & acti, sed in diuina bonitate est actus, nempe benefacere: ergo est concordia in diuina bonitate, vbi autem est concordia, est pluralitas Personarum, ergo & in diuina bonitate erit similis pluralitas.* Cæterum momenti non est Lullij demonstratio. Etenim propositio illa, *Vbicumque est actus, est concordia agentis cum acto*, falsa est, nam in homine datur agens, & actus absque vlla concordia agentis cum acto, tanquam cum Persona producta. Si autem loquatur de agente, & acto, qui personæ sint, supponit probandum, esse scilicet agens, & actum in vnica natura diuina. Insuper in Deo esse agens, & actum ad intra, siue personam producentem, & productam, tantum est de fide, vnde conclusio nequit esse demonstratio. Denique, propositio illa, *Vbi est concordia est pluralitas*; stando lumini

lumini naturæ diſtingueretur, eſt pluralitas tantum Perſonarum, negaretur; Perſonarum, & voluntatum inter ſe conuenientium, concederetur; & conſequenter negaretur poſſibilem eſſe concordiam in Deo, vbi vnica tantum eſt voluntas. Quod ſi diſcurſus ille eſſet demonſtratio, vnde oſtenderet Lullius dependentiam illius à lumine fidei præexiſtente? ſane hoc libere prorſus, & abſque fundamento daretur. Nec æſtimanda eſt alia demonſtratio ſumpta ex bonificatiuo, bonificabili, & bonifacere, vnde contendit Trinitatem demonſtrare, quia præter verborum nugas præciſis terminis, vix aliquid inuenies. Quare P. Ruiz diſp.41.ſect.1. Lullij demonſtrationes, *ridiculas* vocat, *deliria ſomniantis, & male ſani capitis.*

12. Aſſero ſecundo, etiam poſt factam reuelationem, impoſſibilem eſſe notitiam naturalem euidentem Myſterij Trinitatis. Probatur, quia Myſterium Trinitatis eſt ſupernaturale, cum ſuperet omnia principia naturalia, & nullum ſit medium naturale cum Trinitate connexum: ergo non poteſt actu naturali euidenter cognoſci. Patet conſequentia, quia de ratione entis ſupernaturalis eſt, ſuperare totius naturæ connexionem; actus autem naturalis euidens, eſt connexio cum ſuo obiecto: ergo Trinitas, quippe ſupernaturalis, ſuperabit omnem notitiam naturalem euidentem, non ſolum ante, ſed etiam poſt factam reuelationem.

Poſt factam reuelationē poſſibilis nō eſt demonſtratio naturalis *Trinitatis.*

13. Hæc ratio diſplicet P. Arriagæ hic diſp. 43. ſect. 4. & de viſione diſp.3. ſect.2. ſubſect.1. Contendit enim Trinitatis Myſterium eſſe ens naturale, non minus quam vnitas Dei naturalis ſit. Idcirco concluſionem ita probat, quia cum Deum in ſe ipſo naturaliter intueri non poſſimus, ex creaturis autem ſolum poſſit oſtendi, eſſe vnam primam cauſam à ſe; An autem illa ſit in Perſonis, triplex, an duplex, an vna, nullatenus ex creaturis inferatur, non eſt vnde circa Trinitatem Perſonarũ aliquid inferre naturaliter poſſimus. Verum Arriagæ aſſumptum mihi non probatur, integrum enim illius fundamentum reipſa conuincit, quod reſpuit, ſcilicet, Trinitatis Myſterium ſupernum eſſe. Nam ſi nulla eſt poſſibilis connexio phyſica, neque intentionalis naturæ cum Trinitate: ergo

Trinitas Perſonarum qua talis, non naturalis eſt, ſed ſuperna.

hæc non est ens naturale, quod est intra connexionem naturæ creatæ, sed supernum, quod superat illam. Insuper cum Deus sit ens naturale, non solum vt vnus, sed etiam vt trinus, iuxta doctrinam Arriagæ, cur cum possibilis sit connexio creata cum Deo vt vno: possibilis etiam non erit cum Deo vt trino, cuius rei difficilem dabit Arriaga disparitatem: ergo in illa cognitione possibili creata poterit euidenter Trinitas actu naturali euidenti cognosci.

14. Obiicies primò contra primum assertum. Si post reuelationem esset possibile iudicium probabile Mysterij Trinitatis, etiam esset possibile ante reuelationem: id autem falsum est: ergo. Sequela probatur, quia iudicium probabile Trinitatis habitum post reuelarionem, non pendet essentialiter à reuelatione reipsa existente, aut possibili; aliter esset supernaturale: ergo potest existere ante reuelationem existentem, aut possibilem; etenim res ab altera independens, vel essentialiter non dependens, potest saltem diuinitus existere sine illa.

Recentis cuiusdam expuncta responsio.

15. Respondet quidam, iudicium probabile, quantumuis naturale pendere natura sua à præexistente reuelatione, non tanquam ab influente, sed tanquam à remouente prohibens, vnde colligit non posse existere ante reuelationem, nec naturale illius principium ab Angelo euidenter cognosci, quia omnia ista sequuntur naturam actus. Hæc tamen doctrina non satisfacit, & reiecta à nobis est in superioribus, quia argumentum non procedit ex dependentia naturali actus à præexistente reuelatione: quæ absque vlla intrinseca, & essentiali connexione stare potest, vt ex familiaribus exemplis meditanti clarum fiet. Procedit ergo de dependentia essentiali connexioni annexa. Vel ergo existentia iudicij probabilis pendet essentialiter à præexistente reuelatione, vel non? si non pendet: ergo potest existere, saltem de potentia absoluta, nulla præexistente reuelatione. Si pendet: ergo existentia actus probabilis erit supernaturalis, vtpote cum reuelatione supernaturali connexa. Quid ergo obiectioni respondendum constat ex dictis disp. 1. sect. 3. videantur ibi dicta.

16. Obiicies secundò. Intellectus creatus, etiam præexistente lumine fidei, non potest actu naturali demonstrare Trinita

Trinitatem: ergo neque poterit probabiliter oſtendere. Probatur conſequentia, quia ſicut lumen fidei non poteſt addere intellectu creato virtutem naturalem ad concipiendam notitiam euidentem Trinitatis, ita neque poteſt addere virtutem naturalem ad probabilem eiuſdẽ notitiam generandam: ergo. *Confirmatur*, A qua baptiſmi non poteſt eleuari ad producendam naturaliter gratiam, neque intellectus creatus eleuari lumine fidei ad naturaliter producendum actum fidei ſupernum: ergo neque eodem lumine fidei iuuari poterit ad naturaliter comparandum probabile Trinitatis iudicium.

17. Reſpondeo lumen fidei non addere potentiis creatis virtutem vllam ad actus naturales, ſiue euidentes, ſiue probabiles, ſed tantum expedire per accidens virtutem ipſis natura ſua ingenitam; ſicut qui inter cineres ſopitos ſuſcitat ignes, non addit virtutem igni, ſed quam ignis ex ſe habet, expedit ad connaturaliter agendum. Potentiis vero creatis non implicat inſita virtus ad actus naturales probabiles, etiam myſterij ſupernaturalis, quia hoc attingi poteſt actu naturali probabili: cum autem non poſſit attingi actu euidenti, inde implicat potentia naturalis, etiam poſt reuelationem ad talem actum. Vnde conſtat ad confirmationem; Etenim potentia naturalis, virtute naturali, producere non poteſt effectus ſupernaturales, quales ſunt gratia iuſtificans, & fides ſuperna; actus autem probabilis naturalis eſt, & non ſupernus, ideoque poſita reuelatione expediri poteſt ad illum naturaliter eliciendum.

Quomodo lumen fidei intellectum expedit ad probabilem Trinitatis aſſenſum.

18. Ex dictis collige, non poſſe dari notitiam naturalem euidentem Trinitatis in atteſtante, id eſt, in reuelatione diuina de myſterio Trinitatis; quia omnis locutio diuina, quippe certa, & infallibilis, connectitur eſſentialiter cum ſuo obiecto: vnde locutio obiecti ſuperni, quale eſt Trinitas, debet eſſe intrinſece ſuperna, & conſequenter ſuperans connexionem cuiuſuis entis, & actus naturalis euidentis.

Trinitatis notitia naturalis euidens in atteſtante impoſſibilis.

SECTIO II.

An citra visionem beatam haberi possit cognitio supernaturalis euidens, & quidditatiua Trinitatis.

Quid cognitio quidditatiua, quid abstractiua.

19. Citra visionem beatam, de qua non differitur, duplex cognitio euidens superna Mysterij Trinitatis haberi potest, prima quidditatiua. Secunda abstractiua. Cognitio quidditatiua dicitur communiter illa, quæ clare exprimit essentiam in se ipsa, seu quid sit res, præcisiue se habens respectu existentiæ ad cognitionem intuitiuam pertinentis, siue ea præcisio contingat ex parte obiecti, siue tantum ex parte actus confuse attingentis existentiam; cognitio vero abstractiua, dicitur quæ attingit obiectum, non in se ipso, seu per speciem propriam; sed in alio cognito tanquam medio.

20. Difficultas igitur est in hac sectione, An diuinitus possit Deus nobis speciem propriam, & quidditatiuam infundere, quin intuitiua sit, ex qua generari possit cognitio euidens Mysterij Trinitatis in se ipso, præcisa illius existentia, vel ex parte obiecti, vel ex parte actus confuse tantum illam attingentis. Prior sententia negat extra visionem beatam posse Deum, & consequenter Trinitatem quidditatiue cognosci. Ita Vasquez disp. 134. cap. 3. quia licet possibilis esset ea cognitio quidditatiua, adhuc tamen contendit futuram beatitudinem. Idem tenet Arrubal disp. 136. cap. 1. & alij. Posterior sententia affirmat possibilem esse cognitionem illam, quin sit beatitudo. Ita Arriaga hic disp. 43. sect. 5. cum Soto apud Suarium de Angelis cap. 12. & Molina prima part. quæst. 1. art. 2. disp. vlt. & aliis.

P. Vasquez. P. Arrubal. P. Arriaga. P. Molina. Soto.

21. Assero primò, Possibilem esse cognitionem supernam quidditatiuam Mysterij Trinitatis, quæ intuitiua non sit. Probari solet, Nam cognitio intuitiua est, quæ clare, & distincte exprimit

exprimit obiectum in se ipso, vt existens; id est, quæ clare essentiam, & existentiam in se ipsis attingit: possibilis autem est cognitio clare, & distincte penetrans quidditatem Trinitatis in se ipsa, quin clare, & distincte penetret existentiam necessariam in se ipsa: ergo. Minor probatur, quia vel existentia necessaria est obiectiue distincta ab essentia, seu quidditate Trinitatis, & sic clarum est posse cognosci essentiam in se, quin existentia ita cognoscatur. Vel tantum est distincta ex modo concipiendi, & ita cognitio potest esse clara essentiæ, & confusa tantum existentiæ, sicut cognitio clara entis, est confusa differentiarum, & cognitio clara omnipotentiæ est confusa immensitatis: ergo possibilis erit cognitio clare, & distincte penetrans quidditatem Trinitatis in se ipsa, quin clare, & distincte penetret existentiam necessariam in se ipsa, vt talem.

22. Quod si dicas primo, existentiam necessariam esse de essentia Dei: atque adeo non posse cognosci clare essentiam in se ipsa, quin existentia clare, & in se ipsa cognoscatur. Contra, quia licet existentia necessaria esset de constitutiuo formali Dei, tamen non esset integrum constitutiuum, cum etiam constituatur Deus, vel actuali intellectione, vt cum Soario opinantur aliqui, vel intellectiuo, vt cum aliis opinantur non pauci: ergo poterit cognosci clare, & in se actualis intellectio, seu intellectiuum, confuse tantum cognita existentia necessaria; nihil enim implicat ex conceptibus essentiam integrantibus, cognosci alterum clare, & alterum confuse. *Confirmatur*, omnes eminentiæ creaturarum productiuæ integrant constitutiuum vnius omnipotentiæ, & omnes cognitiones diuinæ integrant essentiam vnius gradus intelligentis, & omnes correspondentiæ ad locum vnam immensitatem, & correspondentiæ ad tempus, vnam æternitatem; & tamen potest clare cognosci vna eminentia, leonis verbi gratia, & vna illius intellectio, & vna correspondentia ad locum, & tempus, cæteris tantum confuse cognitis: ergo & poterit clare cognosci intellectiuum, seu intellectio, confuse tantum cognita existentia necessaria: ergo similiter poterit Mysterium Trinitatis clare, & in se cognosci, confuse tantum

Non obstare existentiã necessariam esse de essentia Dei.

tantum

tantum cognita existentia necessaria illius.

13. Quod si dicas secundo eam cognitionem quantumuis confusam existentiæ esse intuitiuam, quia reipsa terminaretur ad obiectum existens, & reipsa existentiam attingeret, sicut visio externa semper est intuitiua, quantumuis confuse attingat existentiam. *Contra.* Nam & doctrina, præcisis vocibus assumptum arguentibus, donat vtpote contendentibus posse Trinitatis mysterium duplici actu superno, euidenter in se ipso penetrari; vno attingente illud clare vt existens, quem communis sententia vocat intuitiuum; altero exprimente clare quidditatem Mysterij, confuse tantum cognita existentia vt tali, quem vocamus quidditatiuum. Nec fidendum est instantiæ visionis externæ; aliter, sicut datur visio confusa, non solum existentiæ, sed etiam confusissima quidditatis, & essentiæ, vt patet in intuitione obiecti distantissimi, ita posset dari cognitio intuitiua confusissima non solum existentiæ, sed etiam quidditatis obiecti, quod reprobat melior Theologia. Et ratio discriminis esse potest, qnia cum intellectus præcisiuus sit in ordine ad idem obiectum, possumus distinguere actum attingentem clare vnum, & confuse aliud; ab actu vtrumque attingente clare, & vnum dicere intuitiuum; alterum vero quidditatiuum; in visione autem materiali, cum eodem modo omnes conceptus materialiter in se ipsis attingantur, eo ipso quod sit visio vnius, debet esse omnium eodem pacto, & consequenter existentiæ.

Cognitio quidditatiua & intuitiua non distinguuntur ex parte obiecti, sed ex modo tendendi in illud.

14. Mihi tamen nec explicatio illa cognitionis quidditatiuæ plena videtur, nec conclusionis probatio sufficiens. Nam cognitio aliqua, quidditatiua non est, eo quod non exprimat existentiam in se ipsa, nec intuitiua est, eo quod illam exprimat, Nam circa ipsammet existentiam, verbi gratia, Petri possibilis est cognitio quidditatiua, quæ intuitiua non sit: Hæc enim cognitio: *Existentia Petri est id quo Petrus simpliciter est extra causas*: quidditatiua est, non tamen intuitiua, quia licet exprimat prædicata existentiæ, non tamen exprimit ea prædicata actu esse, quod cognitioni intuitiuæ necessarium est. Non quod ex parte obiecti aliquid vni cognitioni respondeat, quod altera non attingat, sed quia vtraque cognitio idem obiectum

obiectum diuersimode tangat. Vt de scientia simplicis intelligentiæ, & visionis tenet melior Theologia. Sicut ergo scientiæ in Deo nullatenus discriminantur ex parte obiecti, sed ex solo modo tendendi, quia idem obiectum, quod vno modo simplex intelligentia repræsentat, idem visio alio modo exprimit. Idem de cognitione quidditatiua, & intuitiua dicendum arbitramur.

25. Si autem inquiras in quo stet diuersus ille modus tendendi, quo notitia quidditatiua ab intuitiua distinguatur? Respondeo consistere in eo quod cognitio quidditatiua nec asserat, nec neget, actu esse existentiam, quam exprimit, sed tantum eam explicat, & quid secundum se sit, definit. Cognitio vero intuitiua asserit actu esse obiectum, quod exprimit. Quod autem huiusmodi tendentiæ sint inter se diuersæ, & vna separabilis ab altera, probatur. Nam actus, quo quis ait hominem esse animal rationale, nec asserit, nec negat hominem animali rationali constitutum actu esse, sed ab hoc præscindit: ergo similiter actus, quo quis ait, existentiam Petri esse id, quo Petrus est simpliciter extra causas, nec asseret, nec negabit necessario, actu esse id quo Petrus simpliciter ponitur extra causas. *Confirmatur.* Et ponamus duos inter se dissidentes vtrũ Petrus actu sit extra causas, vnum affirmantem, negantem alterum. Certe si vtrumque interroges, An existentia Petri sit forma extrahens illum à causis? Affirmatiue vterque respondebit, cum tamen vnus neget Petrum actu esse extra causas, & alius affirmet: ergo optime stat cognitionem quidditatiuam existentiæ, nec negare, nec asserere, eam actu esse. **In qua stet modus ille tendendi proprius vniuscuiusque cognitionis.**

26. Hinc colligo. Ad cognitionem creatam quidditatiuam ab intuitiua distinguendam in ordine ad diuinam essentiam, nihil obstare indistinctionem existentiæ ab ipsa essentia. Nam si circa ipsammet existentiã duplex illa cognitio distingui potest: ergo pariter etiam poterit circa essentiam quantumuis ab existentia nullatenus distinctam. Vnde iterum colliges necesse non esse ad cognitionem quidditatiuam, quod præscindat ab existentia, aut confuse tantum attingat illam. Quia licet id contingere posset, vbi essentia distincta est ab existentia, non vero vbi sunt omnino idem etiam virtualiter. Nam indiuisibi- **Indistinctio existentiæ ab essentia nihil obstat quidditatiuæ cognitioni.**

lis virtualitas licet clare attingi tota possit in ordine ad vnum terminum, quin in ordine ad alterum exprimatur, quia nulla in eo est contradictio. Ab eadem autem cognitione, & in ordine ad eundem terminum non potest aliquid virtualitatis attingi, & aliquid non attingi, vel aliquid attingi clare, & aliquid non ita attingi, sed confuse tantum; sed eadem claritate in ordine ad vnum terminum tota, & integra virtualitas quoad intrinsecum exprimenda est. Ex his, quæ mihi vera sunt.

Possibilis est cognitio quidditatiua Trinitatis, quæ intuitiua non sit.

27. Probatur conclusio. Nam possibilis est cognitio creata clare, directe, & in se exprimens omnia diuina prædicata necessaria, quatenus constitutiua Dei, quin asserat, aut neget, Deum illis constitutum actu esse: huiusmodi autem cognitio quidditatiua est, & non intuitiua: ergo possibilis est cognitio quidditatiua Dei, quæ intuitiua non sit. Maior probatur, quia ea cognitio creata ex nullo capite implicat, vt constabit obiectionum solutione: ergo.

28. Obiicies primò. Cognitio attingens omnia prædicata Dei, attingit existentiam, cum ista sit vnum ex prædicatis Dei necessariis. Quod si existentia indistincta sit virtualiter ab essentia, cognosci ista clare non potest, quin eadem claritate cognoscatur existentia: cognitio autem clare exprimens existentiam rei, intuitiua est: ergo impossibilis est cognitio quidditatiua Dei, quæ intuitiua non sit. Minor probatur. Quia cognitio quidditatiua, & intuitiua, hoc differunt inter se, quod vna distincte penetrat existentiam; non vero altera: ergo si cognitio clara & directa diuina essentiæ, eadem claritate necessario exprimat existentiam, intuitiua erit, & non tantum quidditatiua.

Cognitio quidditatiua attingere potest existentiam.

29. Hoc argumentum nihil conuincit, si existentia diuina virtualiter asseratur ab essentia distincta, de quo tractatu de Attributis. Nam licet existentia sit inadæquata Dei essentia, id nihil obstat, quo minus reliqua essentia quidditatiue valeat cognosci. Data tamen indistinctione essentiæ ab existentia. Respondeo concessa maiori negans minorem, eiusque probationem. Cognitio enim quidditatiua, & intuitiua, non differunt eo quod vna existentiam exprimat; non verò altera; sed

sed eo quod, vna exprimat asserens, actu esse; altera vero non ita. Essentia autem diuina, & existentia cognosci possunt, quatenus constitutiua Dei, quin eo actu asserantur actu esse, sed à tali assertione omnimode præscindendo. Quo stat cognitio quidditatiua, quæ intuitiua non sit.

30. Obiicies secundò. Existentia necessaria reddit Deum necessario existentem: ergo cognosci non potest, vt constitutiua Dei, quin eo actu asseratur Deus actu existens. Probatur consequentia. Nam asserere Deum constitui existentia necessaria aliud re non est, quam asserere Deum actu existere, cum constitui existentia necessaria, sit actu esse. *Respondeo*, concesso antecedenti, negans consequentiam, eiusque probationem. Dupliciter enim asserere potest cognitio Deum constitui existentia necessaria. *Primò*, absolute affirmans actu esse tale constitutiuum, eiusque subiectum nempe Deum. Et de hoc actu non procedunt, quæ à nobis in superioribus dicta sunt. *Secundò*, conditionate saltem virtualiter, aut æquiualenter, ita vt hic actus: *Deus constituitur existentia necessaria*, non plus valeat, quam iste alius. *Deus, si sit, constituendus est existentia necessaria*. Hic autem actus, nec asserit absolute Deum, aut eius existentiam necessariam actu esse, nec negat, sed ab vtroque præscindit, vnde intuitiuus non est. Actus asserens, Deum constitui existentia necessaria, quo pacto quidditatiuus sit.

31. Obiicies tertiò. Si hæc verà essent, fieret, posse Deum suam essentiam actu quidditatiuo agnoscere, qui intuitiuus non esset: id autem implicat: ergo. Sequella probatur. Quia Deus cognoscit omnem veritatem: obiectum autem actus quidditatiui est aliqua veritas: ergo cognosceretur à Deo non intuitiue, cum sit obiectum actus quidditatiui: ergo. *Confirmatur*, quia non est vnde implicet Deo, cognoscere existentiam necessariam, quatenus constitutiuam sui, quin huiusmodi actus absolute asserat, Deum ea existentia constitutum actu esse, sed solum conditionate, videlicet, Deum, si sit, constituendum esse existentia necessaria, maxime, cum scientia conditionata, nec asserens, nec negans conditionem esse, Deo non repugnet, vt patet in scientia conditionata futuri contingentis.

32. *Respondeo* negans sequelam. Cuius probatio insufficiens est. Deus non potest suam

essentiam cognoscere, actu quidditatiue, qui intuitiuus non sit.

est. Nam Deus veritatem nostri illius actus quidditatiui, cognoscit intuitiue: sicut veritatem nostri actus confusi cognoscit clare. Ad confirmationem dicendum, implicare Deum cognoscere se, suamque existentiam necessariam quidditatiue tantum. Tum etiam quia ea cognitio non esset comprehensiua Dei. Tum etiam quia ex modo tendendi imbiberet suspensionẽ circa existentiam Dei absolutam. Tum denique, quia pro omni signo cognoscit Deus absolute: se actu necessario existere; atque adeo nullus datur locus rationabili adiectioni illius conditionis, Deus, si esset, constituendus est existentia necessaria. Quod aliter contingit in scientia conditionata, cuius conditio pro omni signo non cognoscitur absolute existens.

Cognitio quidditatiua quæ intuitiua non esset neque perfecta beatitudo foret.

33. Assero secundo, cognitionem quidditatiuam, quæ intuitiua non esset, neque futuram beatitudinem, saltem perfectam, ne quæstio sit de voce. Probat P. Arriaga: quia non quælibet visio Dei possibilis, est beatitudo, sed ea, quæ distincte percipit Dei pulchritudinem, & perfectiones; sicut non omnis amœni horti visio recreat, sed illa, quæ distinguit inter flores, & plantas. An autem inter omnes distinguere necesse sit, non probat horti recreatio, ad quam inter omnes flores & plantas distinguere, non opus est. Vnde non euincitur cognitionem distinguentem inter cæteras diuinas perfectiones, vna dempta existentia, beatitudinem non esse. Quod si inter omnes diuinas perfectiones distinguere necesse sit, visio, quæ non distingueret inter omnes eminentias omnipotentiæ, aut immensitatis, beatitudo non esset, quod falsum est, aliter omnes beati cuncta possibilia penetrarent.

34. Suadetur ergo conclusio. Nam perfecta beatitudo est possessio Dei ex modo tendendi in illum, cognitio autem Dei possibilis, aut secundum se, non est possessio Dei ex modo tendendi, hæc enim non est rei possibilis, aut secundum se sed rei, quatenus existentis: ergo vt cognitio clara Dei, sit possessio intentionalis & perfecta beatitudo, debet attingere Deum vt existentem; sic enim generat in voluntate plenum gaudium. Sicut qui intuetur thesaurum tanquam suum, plane gaudet in illo; secus vero, qui illum speculatur vt possibilem, aut secundum se tantum.

SECTIO

SECTIO III.

An haberi poſſit cognitio ſupernaturalis euidens abſtractiua.

35. COgnitio abſtractiua dicitur illa, quæ cognoſcit obiectũ in alio, vel ex alio in ſe prius cognito. Difficultas ergo eſt, an ſicut ex creaturis euidenter abſtractiue, ſiue vt dici ſolet, quoad an eſt, cognoſcimus. Deum eſſe, ita ex effectu aliquo ſuperno cognoſcere poſſimus Trinitatẽ eſſe. Prior ſentẽtia docet ex nullo effectu ſuperno vt effectus eſt, poſſe Myſteriũ Trinitatis abſtractiue cognoſci, quia vt effectus eſt, cũ ſit à Deo per omnipotentiam, ſolam poteſt oſtendere vnitatẽ Dei; non vero Trinitatem Perſonarum. Ita P. Martinus Perez diſp. 1. ſect. 4. Addit tamen cum communi ſect. 5. in effectu ſuperno, vt connexo cum Trinitate tanquam cum termino, aut obiecto, poſſe myſterium euidenter abſtractiue cognoſci. *Cognitio abſtractiua quid ſit.*

36. Poſterior ſententia affirmat poſſe Trinitatem euidenter abſtractiue cognoſci in effectu ſuperno, vt effectus eſt. Diuerſimode tamen defenditur. Quidam enim trahuntur exiſtimantes relationibus diuinis inſitam eſſe virtutem propriam immediate concurrendi per modum obiecti ad viſionem Trinitatis: ergo ſicut ex influxu omnipotentiæ poteſt vnitas Dei euidenter abſtractiue cognoſci, ita ex influxu trium Perſonarum, poterit Trinitas. Hoc tamen fundamentum irritum eſſe, oſtendimus tractatu de viſione. Idcirco alij aſſumptum defendunt, quia influxus in viſionem Trinitatis, eſto ſit integre à ſola omnipotentia; tamen decretum illius connectitur eſſentialiter cognitioni Diuinæ Trinitatem exprimenti. Quomodo enim Deus velle poterit producere viſionem Trinitatis, niſi iſtius cognitio præcedat in ipſo?

37. Aſſero primò, in effectu ſuperno cum Trinitate connexo, tanquam cum termino, vel obiecto poſſe Myſterium Trinitatis euidenter abſtractiue cognoſci; ſiue talis effectus ſit viſio Myſterij, ſiue fides ſupernaturalis illius, ſiue vnica, aut multiplex vnio hypoſtatica ad eſſentiam, & omnes Perſonalitates terminata. Concluſio mihi eſt certa. Nam connexio eſſentialis ſufficiens eſt medium ad terminum in illa euidenter *In effectu ſuperno cũ Trinitate connexo tanquam cũ termino vel obiecto, poteſt Trinitas euidenter abſtractiue cognoſci.*

G 3

denter abstractiue cognoscendum. Nec obstat euidentiam illam haberi per medium extrinsecum, ne abstractiua sit, quia euidentia vnitatis ex creaturis abstractiua est, quantumuis per medium extrinsecum habeatur. Addo vnionem hypostaticam ad essentiam, & tres Personalitates terminatam futurum medium intrinsecum, saltem ad cognoscendum esse in Deo tres Personas, & vnam essentiam, seu naturam Diuinam. An autem constaret reliquum mysterij, videlicet carentia vlterioris Personæ, & identitatis trium cum vna tantum essentia, eo quod tres Diuinæ Personæ connexæ sint cum carentia vlterioris Personalitatis, & cum identitate cum vnica tantum essentia? res est alterius instituti, & præsenti minime necessaria, cum media extrinseca superabundent euidentiæ abstractiuæ sufficientia.

In effectu superno, vt effectus est, non potest Trinitas euidenter abstractiue cognosci.

38. Assero secundò, in effectu superno, vt effectus est, non posse Mysterium Trinitatis euidenter abstractiue cognosci. Probatur. Si posset, maxime, quia visio Trinitatis, vt effectus est, penderet essentialiter à decreto diuino volente illam producere; & huiusmodi decretum penderet essentialiter à scientia Diuina repræsentante possibilem visionem Trinitatis id non sufficit: ergo. Minor probatur, maior enim est fundamentum aduersariorum. Nam scientia Diuina repræsentans possibilem visionem Trinitatis, vt talis, qua ratione pendet ab illa decretum, non attingit Trinitatem assertiue, qua sola ratione posset esse medium cognoscendi mysterium, sed tantum apprehensiue, quatenus Trinitas est terminus visionis, quam asserit possibilem: id autem sufficiens medium non est ad cognoscendam Trinitatem esse reipsa possibilem, vel existentem; sed tantum ad apprehendendam illam, præscindendo ab eo, quod sit reipsa possibilis, vel existens. Sicut productio actus probabilis de Mysterio Trinitatis, eiúsque decretum solum dependent à scientia repræsentante actum probabilem possibilem esse, quin pendeat ab ea scientia, quatenus assertiua, aut connexa Trinitati, sed tantum quatenus apprehensiua illius; aliter actus probabilis, vt effectus est posset esse medium ad euidenter abstractiue cognoscendam Trinitatem.

Productio cognitionis creatæ, qualiter à scientia Diuina de obiecto pendeat.

39. Dices disparem esse rationem. Nam possibilitas actus

proba

probabilis non connectitur Trinitati ; secus vero possibilitas visionis. Inde licet essentia diuina repræsentans actum probabilem de Mysterio Trinitatis possit esse pure apprehensiua istius, non vero repræsentans visionem possibilem, quia hoc ipso cognoscenda est Trinitas possibilis.

40. Contra, quia connexio visionis cum Trinitate non præstat, scientiam assertiuam possibilitatis visionis, esse formaliter assertiuam Trinitatis; sed esse illatiuam alterius assertiuæ Trinitatis. Sic cognitio assertiua vnionis, non est formaliter assertiua extremorum, sed illatiua illius. Idemque est de cognitione assertiua effectus respectu causæ, & cuiuscumque alterius connexionis. Visio autem, eiusve decretum non dependet à scientia diuina, quatenus illatiua alterius assertiuæ Trinitatis, sed ab illa, quatenus præcise assertiuæ possibilitatis visionis: hoc enim est integrum obiectum volitum per decretum: ergo tantum pendebit ab illa, quatenus apprehensiua Trinitatis ratione assertæ possibilitatis visionis, id est, quatenus attingit Trinitatem præcisè asserendo, visionem illius possibilem esse. *Tentata disparitas eluditur.*

41. Quod vero existimo, etiamsi inter scientiam apprehensiuam Trinitatis ; & assertiuam eiusdem, nulla stet propria illatio, seu distinctio virtualis, sed omnimoda identitas. Id enim non impedit visionem, eiusque decretum pendere ab ea scientiâ, quatenus assertiua possibilitatis visionis, quo pacto est apprehensiua Trinitatis, & non pendere ab illa, quatenus assertiua Trinitatis; cum enim sit in ordine ad diuersa, nulla est contradictio. Sicuti etiamsi virtus productiua hominis, & Leonis, idemque est de scientia vtriusque, sit in Deo intrinsece, & virtualiter indiuisibilis; id non obstat, quo minus decretum producendi hominem dependeat ab ea scientia quatenus proponente hominem, & non dependeat ab eadem, quatenus proponente Leonem, quia licet eadem sit vtriusque scientia, nulla est contradictio dependere ab illa in ordine ad vnum, nempe hominem ; & non dependere in ordine ad alterum, nempe Leonem. *Quid si scientia diuina assertiua Trinitatis, & apprehensiua eiusdem sint virtualiter idem.*

DISPVT.



DISPVTATIO III.

Quomodo Mysterium Trinitatis non dissonet rationi naturali.

Ratio dubitandi vnde Trinitas appareat dissona rationi naturali.

1. ATIO dubitandi est. Quia integra vis, & efficacia rationis naturalis fundata est in eo notissimo principio; *Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se.* Cuius constans, & in dubitata veritas, non solum eneruari, verum & pœnitus infringi videtur Mysterio Trinitatis, vtpote continente tres Personalitates realiter inter se distinctas, & vnice indiuisibili Deitati realiter identificatas: ergo Mysterium Trinitatis dissonum est, & contrarium, rationi naturali. Hic nodus soluendus, hæc superanda difficultas, materia est præsentis disputationis.

SECTIO I.

Expunguntur aliorum responsa.

Sententia Capreoli de distinctione rationis.

2. CApreolus apud P. Valentiam disp. 2. quæst. 2. punct. 4. Mysteriũ Trinitatis cum ratione naturali conciliat, Quia principium illud, *Quæ sunt eadem vni tertio*, &c. intelligendum est de iis, quæ sunt eadem vni tertio re, & ratione. Personalitates autem diuinæ, licet re idem sint cum natura diuina, ratione tamen differunt ab illa. Vnde distinctio Personarum in vna, eademque indiuisibili essentia, non contrariatur rationi naturali. Rem firmat exemplo. Nam actio, & passio, inquit,

inquit,realiter differunt inter se,etiam si realiter identificentur cum tertio, scilicet motu.

3. Reiicitur communiter capreolus, & merito. Tum quia distinctio rationis extremorum à tertio, quantumuis impedire valeat identitatem rationis exrremorum inter se,non tamen identitatem realem eorūdem; plura enim ratione distinguuntur à tertio, quæ identificantur realiter inter se; intellectio enim,& volitio diuina ratione differunt à Paternitate,& tamen identificantur realiter inter se, nec distingui valent; insuper volitio; & relatio spiratoris ratione differunt ab intellectione: nec tamen distingui possunt realiter inter se; ergo distinctio rationis extremorum à tertio, non eneruat principium illud, *Quæ sunt eadem vni tertio*, &c. atque adeo contrarium illi erit Mysterium Trinitatis. Quod si nomine distinctionis rationis veniat distinctio pœnes modum concipiendi, clarius conuincitur Capreolus:nam animalitas & Petreitas, differunt ratione à rationalitate, idemque est de eminentia productiua hominis, & equi, respectu eminentiæ productiuæ Leonis, & sexcentis aliis, nec tamen distingui possunt realiter inter se. Exemplum autem actionis, & passionis ponderis non est. Vel enim motus est quid realiter indiuisibile, vel complexum ex pluribus realiter inter se distinctis? Si primum: ergo corruit in creatis principium illud, *Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se*, & cum eo tota vis Syllogistica, quod absurdissimum est. Si dicatur secundum, motum scilicet esse quid realiter diuisibile, & complexum: non est ad rem præsentem, inqua agitur de tertio in diuisibili, quis enim tentaret inferre identitatem partium inter se ex identitate earundem cum toto realiter diuisibili. & composito.

Distinctio rationis extremorum à tertio insufficiens distinctioni reali extremorum inter se.

4. Secundò Caietanus apud citatum valentiam, Trinitatem censet rationi naturali concordem. Quia ex eoprincipio, *Quæ sunt eadem*,&c.tantū sequitur,esse idem inter se in eo,quod est, esse idem cum tertio. Vnde ex eo principio Personalitates diuinæ non inferuntur inter se indistinctæ,sed indistinctæ in eo, quod est identificari cum eadem indiuisibili natura diuina.

Sententia Caietani insufficiens.

5. Non satisfacit Caietanus. Nam ex identitate duorum cum, tertio, vis syllogistica non tentat inferre, conuenientiam

H eorum

eorum in identitate cum tertio: sed ex ea conuenientia in præmissis stabilita, tentat euincere identitatem extremorum inter se: aliter ex his præmissis, & aliis similibus: *Omnis homo est animal: sed Petrus est homo*; non sequeretur hæc conclusio: *ergo Petrus est animal*, sed hæc alia: *ergo Petrus, & animal sunt idem cum homine*; quo ridicula fieret syllogistica structura, inferens in conclusione conuenientiam extremorum in identitate cum tertio, explicite suppositam in præmissis, & assertam. Ridiculum etiam fieret principium illud cunctis Philosophis sacrum; dicere enim, quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se, aliud re non esset, quam dicere, Quæ sunt eadem vni conueniunt in identitate cum illo, quod aliud non est, quam esse idem cum illo, vnde propositio illa identica esset.

Sententia identitatis adæquatæ assumptum non explicat.

6. Tertio respondent nonnulli apud P. Arriagam disp. 43. sect. 1. num. 2. Principium illud, *Quæ sunt eadem vni tertio*, &c. accipiendum esse de identitate cum tertio adæquate cum extremis identificato, non vero de identitate cum tertio inadæquate tantum extremis identificato, vt contingit in Trinitate, vbi licet quælibet Personalitas identificetur naturæ diuinæ; ista tamen non identificatur adæquate cuilibet Personalitati, quia ita identificatur vni, vt etiam identificetur alteri, quod est non adæquate, sed inadæquate singulis identificari.

7. Contra responsionem istam efficaciter insurgit P. Arriaga, an tamen consequenter, constabit infra. Primo, quia vel per identitatem adæquatam intelligitur, quod tertium ita identificetur vni extremo, vt simul non identificetur alteri extremo distincto? & hoc pacto tantum admittit responsio, ea identificari inter se, quæ identificantur cum tertio, quando tertium non identificatur pluribus distinctis, quod est petere principium. Tunc scilicet duo extrema vnita cum tertio, esse idem inter se, quando non sunt distincta. Vel per identitatem adæquatam intelligitur, quod idem numero tertium, debeat esse totum in quolibet extremo, quamuis non in quolibet solo? Et hoc pacto essentia diuina adæquate identificatur cuilibet Personalitati, cum in qualibet sit tota, & integra natura diuina

uina, quamuis non in qualibet sola: ergo recte concluderetur Personalitates diuinas esse idem inter se, cum sint idem cum tertio adæquate illis identificato.

8. Secundo, quia eo ipso, quod eidem indiuisibili tertio identificentur duo, infert principium illud, *Quæ sunt eadem*, &c. ea esse idem inter se, nec posse cum illis tertium inadæquate tantum identificari, iuxta priorem inadæquatæ identitatis acceptionem. Nam ex eo principio concluditur, extrema identificata cum tertio, esse identificanda necessario inter se, & consequenter adæquate; atque adeo impossibilem esse identitatem inadæquatam tertij cum extremis, ipsi identitatis nexu coniunctis: Explicandum ergo desideratur, quomodo identitas illa inadæquata non dissonet rationi naturali.

9. Quartò, respondet P. Valentia disp.2.quæst.2.punct.... Illud principium verum esse, quando tertium, cui extrema identificantur, re est vnum tantum; non vero quando re est vnum, & simul plura. Deitas autem re est vnum, & simul plura: vnum, quia est vnica, & indiuisibilis Deitas; Plura, quia est plures Personalitates. Vnde infert in Deo non valere principium illud. *Non placet.* Nam tertium esse re plura, nihil est aliud, quam extrema, quibus identificatur, esse plura, siue inter se distincta, & tertium esse vnicum tantum, aliud non est, quam extrema quibus identificatur, non esse inter se plura, siue distincta: ergo dicere, Quæ sunt eadem vni tertio, tunc esse idem inter se, quando tertium non est plura, idem erit ac dicere; tunc extrema, quæ sunt eadem vni tertio, esse idem inter se, quando inter se non distinguuntur quod est petere principium; vel saltem frustrare penitus, principium illud intendens, impossibile esse tertium, quod sit vnum, & simul plura, nam eo ipso, quod illi identificentur ea, quæ plura videbantur, iam non sunt plura, sed vnum, & idem.

Sententia P. Valentiæ de tertio quod est vnum & simul plura.

10. Quintò. Respondet Scotorum familia cum suo subtilissimo Magistro. Illud principium tantum esse verum, quando extrema non distinguntur à tertio ex natura rei, secus si ita distinguantur, vt contingit inter diuinas Personalitates, & essentiam. Displicet in multis subtilitas ista. *Primò*, quia nulla est

Sententia Scoti & discipulorum de distinctione ex natura rei.

est ea distinctio, aut verbis tantùm discrepat à distinctione virtuali, de qua statim. *Secundo*, quia non explicat, quomodo ea distinctio non contrarietur rationi naturali. *Tertio*, quia si ea distinctio redderet falsum in Diuinis principium illud, *Quæ sunt eadem*, &c. fieret, intellectionem, & volitionem, non esse idem realiter inter se; sunt enim idem realiter cum tertio, scilicet Paternitate & natura ab illis distincta: Quæ autem sunt idem cum tertio ex natura rei ab illis distincto, non sunt idem inter se: ergo neque intellectio, & volitio.

Sententia P. Arriaga de distinctione virtuali.

11. Denique respondet P. Arriaga disp. 43. sect. 3. Principium illud, *Quæ sunt eadem vni tertio*, &c. cum limitatione intelligendum esse, quandocumque scilicet, res illa non est capax distinctionis virtualis componentis prædicata alioqui contradictoria. Cum autem in diuinis detur ea distinctio virtualis, fit etiam, vt forma syllogistica, non sit contra Mysterium Trinitatis. Vnde infert principium illud, nec verum esse, nec habere locum in diuinis, sed tantum in creatis vbi ea distinctio, vt pote arguens infinitatem propriam solius Dei, possibilis non est.

12. Displicet responsio. Primò, quia si principium illud verum non esset, vbi extrema identificantur cum tertio virtualiter ab illis distincto, fieret intellectionem, & volitionem, non esse idem realiter inter se, cum identificentur cum tertio, scilicet paternitate, virtualiter ab illis distincta: ergo præcisa distinctio virtualis, nec reddit falsum, nec infringit principium illud.

Sententia Patris Arriagæ ipsi contraria.

13. Secundo ad hominem contra Arriagam. Ideo enim per te sect. 1. num. 3. Doctores conciliantes Mysterium Trinitatis cum ratione naturali identitate inadæquata tertij cum extremis, respondent idem per idem, quia extrema identificari cum tertio inadæquate ipsis identificato, aliud re non est, quam identificari distinctis: extrema autem identificari cum tertio virtualiter ab ipsis distincto, aliud re non est, quam identificari cum tertio distincta inter se; hæc enim sunt prædicata contradictoria, quæ in Trinitate beneficio distinctionis virtualis cõponuntur: ergo respondet Arriaga idem per idem, ea scilicet, quæ identificantur cum tertio, identificari inter se, si non sint distincta

distincta interse, secus vero si distincta sint, quod est virtualitas distingui à tertio. Confirmo. Eo enim ipso perte, quod eidem indiuisibili medio duo identificarentur, inferebant Philosophi necessario esse idem inter se; Vnde eo ipso respuebant identitatem inadequatam, qua persisterent distincta: ergo etiam respuebant distinctionem virtualem idem præstantem: non enim est maior ratio vnius, quam alterius; eo autem quod respuerent philosophi identitatem inadæquatam, infert Arriaga, eam esse philosophis contrariam: ergo idem erit de distinctione virtuali. Quod si respondeat Arriaga, absconditam fuisse philosophis distinctionem virtualem; dicat nobis vnde illexerit illis identitas inadæquata eandem continens difficultatem cum distinctione virtuali.

14. Tertiò, ideo inquit, p. Arriaga; nostrum valentiam in sua explicatione petere principium. Quia dicere tunc extrema esse idem interse, quando identificantur tertio, quod sit re vnum, & non plura; idem valet, ac dicere; tunc extrema esse idem inter se, quando inter se non distinguuntur: dicere autem tunc extrema esse idem inter se, quando non distinguuntur virtualiter à tertio, idem valet, phrasibus præcisis, ac esse idem inter se, quando non sunt distincta: paternitatem enim, & Filiationem dinstingui virtualiter ab essentia, idem est, ac identificari essentiæ, & distingui inter se, seu non identificari; hæc enim sunt prædicata contradictoria, inquibus consistit distinctio illa: ergo non minus petit principium Arriaga, quam valentia.

SECTIO II.

Sententia Patris Vazquij.

Sententia P. Vasquij referentis vim syllogisticam in illud principium, dici de omni, & dici de nullo.

15. PAter Vazquez, forte, vt à præcedentibus se liberet angustiis, docet disp. 123. num. 6. vim, & efficaciam syllogisticam innixam non esse illo principio. *Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se*, sed illo alio, *Dici de omni, & dici de nullo*: id est, prædicatum, quod vere dicitur de subiecto vniuersali, vt animal de omni homine, vere etiam dici de quolibet singulari, nempe Petro, Paulo, &c. Et prædicatum quod non dicitur de subiecto vniuersali, verbi gratia, lapis, qui de nullo homine dicitur, nec dici de singulari, scilicet Petro, aut Paulo, &c. Quod principium adeo vniuersale reputat, vt etiam in Diuinis iudicet habere locum, quin in vlla materia deficere possit.

Medium vniuersale non obstat, quominus forma syllogistica nitatur principio illo, Quæ sunt eadem vni tertio, &c.

16. In eandem sententiam propendere videtur noster Ruiz, efficaciam videlicet syllogisticam, innixam non esse in eo principio, *Quæ sunt eadem vni tertio*, &c. Quia in syllogismo vniuersali non ponitur idem indiuisibile tertium, seu medium, sed diuisibile, & pluribus commune, vt in hoc syllogismo: *Omnis homo est animal, sed Petrus est homo, ergo Petrus est animal,* Vbi medium. nempe *Homo*, pluribus est commune. Cæterum id non esse ponderis explicui satis in Philosophia. Nam medium vniuersale, verbi gratia, *Homo*, non inseruit formæ syllogisticæ, vt vniuersale est, sed vt continens confuse singulare indiuiduum hominis, quod statim reuelatur in minori, scilicet, *Petrus est homo*. Etenim ad inferendum Petrum esse animal, quid conduceret, cætera alia indiuidua esse homines, si indiuiduum Petri homo non esset? Quod si indiuiduum Petri esset homo, & si cætera alia indiuidua, non essent; hoc sufficeret ad legitime inferendum Petrum esse animal. Nam quidquid esset homo, esset animal, Petrus esset homo: ergo animal: igitur quod in syllogysmo vniuersali non ponatur medium singulare, sed vniuersale, & pluribus commune, momenti non est, quominus vis, & efficacia syllogistica innixa

sit

sit principio illo, *Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se.*

17. Displicet ergo P. Vasquez. Primò, quia ad pressuram difficultatis euadendam, fixos, & immotos Philosophiæ cardines arietat; quod non est Mysterium Trinitatis cum ratione naturali conciliare, sed rationem naturalem, & principium cunctis Philosophis, imo etiam Theologis, sacrum, de populari, & oneri succumbere Athlantem alioqui fortissimum, & inuictum.

18. Secundò. Nam vt ait citatus Vasquez, quilibet syllogismus ex eo principio, *dici de omni*, ideo conuincit, quia in conclusione infert maiorem extremitatem de maiori, quia minor extremitas dicitur de medio, de quo etiam maior extremitas prædicatur; inde censet vim syllogisticam adeo efficacem, vt in nulla materia deficere possit. Quid autem rogo, est, maiorem extremitatem dici de medio, de quo etiam minor extremitas prædicatur, nisi extremitates, seu extrema coniungi inter se in conclusione, quia in præmissis coniuncta præcesserunt cum tertio, scilicet Medio: ergo tandem vis syllogistica ad commune illud principium deuoluenda est. Confirmo. *Dici de omni*, nihil est aliud, quam prædicatum vniuersale, verbi gratia, Animal, quod affirmatur de subiecto vniuersali, nempe homine, affirmari de quolibet singulari sub homine contento, videlicet Petro, Paulo, &c. Et *dici de nullo*, aliud non est, quam prædicatum Vniuersale, verbi gratia, lapis, quod negatur de subiecto vniuersali, nempe homine, negari etiam de quolibet singulari sub homine cõtento, scilicet Petro, Paulo, &c. Id autem præcisis vocibus, aliud re non est, quam extrema identificari inter se in conclusione, vel diuidi, quando in præmissis identificata sunt cum tertio, vel diuisa: ergo tandem deueniendum est ad illud principium, *Quæ sunt eadem vni tertio*, &c. Dici de omni tantum deuoluitur ad identitatem cum tertio.

19. Tertiò. Quia illud principium, *dici de omni*, nihil concludit, quousque deueniat ad illud, *Quæ sunt eadem vni tertio*, &c. ergo tota vis syllogistica ad nostrum principium referenda est. Antecedens probatur. Quia dici de omni, est, prædicatum, quod dicitur de subiecto vniuersali, dici etiam de quolibet Nec quidquam concludit nisi deueniat ad identitatem cum tertio.

libet singulari sub illo contento, id non conuincitur, nisi fiat recursus ad aliud principium, scilicet, *Quæ sunt eadem, vni tertio*: &c. ergo. Minor ostenditur, quia prædicatum, quod dicitur de subiecto vniuersali, verbi gratia, Animal de homine, non conuincitur dicendum de Petro, Paulo, &c. quousque ostendatur Petrum, Paulum, &c. esse homines: id non ostenditur absque eo principio, *Quæ sunt eadem vni tertio*, &c. ergo. Minor probatur, quia Petrum esse animal, quia omnis homo est animal, & Petrus est homo: est, Petrum, & animal identificari inter se, quia identificantur cum tertio, scilicet homine: ergo omnem hominem esse animal, & aliunde ostendere, Petrum esse hominem, fit eo principio, *Quæ sunt eadem vni tertio*, &c.

Vtrumque principium eisdem expositum angustiis in Mysterio Trinitatis.

20. Quartò, quia vtrumque principium easdem patitur angustias in Mysterio Trinitatis: frustraneus ergo est Vasquij labor. Antecedens probatur in hoc syllogismo. *Essentia diuina est Pater, Essentia diuina est Filius. ergo Pater est Filius.* Quem Vasquez fieri existimat ex eo principio, *dici de omni*, Et quod quidquid dicitur de omni essentia, dici etiam debet de omni sub illa contento, & Pater, & Filius sub eadem essentia diuina continentur.

21. Occurrit Vasquez in eo syllogismo irrepsisse defectum, quod non seruentur in conclusione termini iidem, qui præcesserunt in præmisis. Nam in istis dicitur, essentia diuina est idem cum Patre, & est idem cum Filio; in conclusione vero infertur: *Pater & Filius esse idem*, cum prædicatum maioris fuerit, non *Pater*, sed *idem cum Patre.* Vnde debuisset inferri: ergo idem cum Patre est idem cum Filio, quod verum est.

Responsio P. Vasquez infringitur ad hominē.

22. Contra istam responsionem P. Vasquez bene instat P. Arriaga. Nam cum Vasquez initio capitis syllogismum à nobis obiectum eisdem terminis proposuerit, quibus nos, talis defectus non extat. Non enim dicitur. *Essentia diuina est idem cum Patre*, sed *Essentia diuina est Pater.* Et quamuis diceretur, nullum esset effugium. Tum quia esse idem cum alio, idem valet, ac esse aliud; atque adeo essentiam diuinam esse idem cum Patre, idem valebit ac esse Patrem. Tum præterea, quia ex eo principio, *dici de omni*, in hoc syllogismo, *Omnis homo*

homo est animal; Petrus est homo, non infertur, ***ergo idem cum animali; est idem cum Petro***, sed, ***Petrus est homo*** : ergo ex eodem principio in eo syllogismo: Essentia diuina est filius, inferendum nō est: ergo idem cum Patre, est idem cum Filio; sed Pater est Filius. Tum denique, quia ex his præmissis: ***Homo est idem cum animali, Petrus est idem cum homine***, non infertur, ***idem cum animali, esse idem cum Petro***, sed, ***Petrum, & animal esse idem inter se***, ergo ex aliis præmissis, essentia diuina est idem cum Patre, essentia diuina est idem cum Filio; inferri non debet, ergo idem cum Patre est idem cum Filio; sed Pater, & Filius sunt idem inter se. Quod si respondeas, hæc vera esse in creatis; non vero in diuinis, ergo principium illud, *dici de omni*, ex quo in sententia Vasquij nascuntur omnes illæ consequentiæ, verum tantum est in creatis, non in diuinis, quod intendimus.

23. Alium syllogismum ex suo illo principio, sibi obiicit Vasquez, scilicet, ***Deus est Pater, Deus est Filius, ergo Pater est Filius.*** Cui respondet inesse defectum, quia cum sit expositorius, ponitur terminus non singularis, sed communis, scilicet ***Deus.*** Non quia logice sit communis, sicut ***homo***, sintque multi dij, sed quia identificatur pluribus distinctis. Bene quidem, ergo vbi est terminus communis vitiatur forma syllogistica, nixa eo principio, ***dici de hmoni***: In Trinitate autem est terminus communis: ergo vitiatur principium illud, ergo eadem est difficultas de illo, ac de alio, Quæ sunt eadem vni tertio, nam similiter interpretari posset de tertio singulari, & non pluribus communi. Eam autem explicationem vitiosam esse constat ex dictis contra P. Valentiam sect. 1. Nam terminum esse communem, aliud re non est, quam identificari distinctis, ergo dicere, tunc non concludi identitatem duorum inter se, quando ponitur terminus communis, idem est, ac dicere, tunc duo non identificari inter se, quando sunt distincta, quod est idem per idem, & rem inexplicatam relinquere.

Alia responsio P. Vasquez ex ipsius doctrina confutata.

I SECTIO

SECTIO III.

Vera Responsio.

Regula generalis non frustratur, eo quod patiatur aliquam exceptionem.

24. IN difficilioribus controuersiis facilius semper fuit, aliorum sententias impetere, quàm propriam communire. Cæterum vt facilius proprium sensum explicemus. Aduertas primo, Regulam generalem non frustrari, eo quod patiatur aliquam exceptionem. Res est etiam Grammaticis notissima, quorum regulæ stant mille exceptionibus stipatæ: res in iure Ciuili, & Canonico indubitata; in Theologia autem, & Philosophia non est, qui ambigat. Et ratio est, quia exceptio potius est declaratio, & explicatio regulæ generalis, quam expugnatio illius. Aduerte *Secundò*. Regulam generalem fieri posse præscindendo ab exceptione vno è duobus modis. Primo, negatiue, quando nulla est exceptionis notitia. Secundò, positiue, habita iam exceptionis notitia, eamque à regula generali secernendo, hoc vel simili actu in nostro casu: *Præscindendo à Mysterio Trinitatis, Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se.* His positis.

Mysterium Trinitatis non dissonat rationi naturali, eo quod sit exceptio regulæ generalis.

25. Censeo. Mysterium Trinitatis non contrariari, nec dissonum esse rationi naturali, quia est exceptio regulæ generalis ante fidem præscindentes negatiue ab eo mysterio, & post fidem positiue. Probatur assertum, quia cum ea præcisione, verum semper est, & fuit Mysterium Trinitatis; vera item semper est, & fuit regula illa generalis, *Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se*, verum autem non opponitur vero: ergo neque Mysterium Trinitatis illi principio. Maior explicatur. Nam eo ipso, quod principium illud ante fidem præscindat negatiue à Mysterio Trinitatis, hoc non comprehenditur eo principio, sed cætera omnia infra Trinitatem, de hisque dicitur, Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se, quod semper verum est, & fuit, quin exceptio Trinitatis principium illud falsum reddat, aut expugnet. Sicut propositio illa generalis: *omnes in Adam peccauerunt*. Vera semper est, & fuit, quin exceptio Mariæ reddat illam falsam, quia in ea propositione

tione præscinditur à Beata Virgine: ergo sicut exceptio Mariæ ab originali non dissonat regulæ illi generali, *omnes in Adam peccauerunt*; ita neque Mysterium Trinitatis illi principio, *Quæ sunt eadem vni tertio*, &c. quia sicut in priori præscinditur à Maria, ita in posteriori præscinditur à Mysterio Trinitatis.

26. Dices, stando lumini naturali, ex eo principio, *Quæ sunt eadem vni tertio*, &c. negaretur à Philosophis Mysterium Trinitatis, ergo signum est comprehendi eo principio. *Respondeo* concesso antecedente, negans consequentiam. Tunc enim negaretur à Philosophis Mysterium Trinitatis, non quia comprehenderetur illo principio, sed quia præscisio illius à Trinitate nota ipsis non esset; quam ignorantiam expulit à nobis fidei lumen, eam præscisionem Philosophis occultam manifestans.

27. Dices iterum. Propositio vniuersalis falsa est, si illius prædicatum alicui particulari non conueniat; sic propositio ista, *omnis homo currit*, falsa est, sedente Petro. Principium autem illud, *Quæ sunt eadem vni tertio*, &c. est propositio vnuersalis, cuius prædicatum, scilicet, esse idem inter se, non conuenit particulari, videlicet, Mysterio Trinitatis: ergo falsum erit. *Respondeo*, propositionem vniuersalem falsam esse, si comprehendat singularem, cui ipsius prædicatum non conueniat, secus si ab eo præscindat, vt sic enim, verissima est, quia integro subiecto illius prædicationis, conuenit prædicatum. Sic, propositio ista, *Omnis homo currit*, verissima esset sedente Petro, si ab eo præscinderet, ita vt Petrus nullo modo esset subiectum illius propositionis, sed soli cæteri homines, Petro dempto. Sic dicimus Trinitatem nullo modo esse subiectum illius propositionis generalis, *Quæ sunt eadem vni tertio*, &c. atque adeo nec posse reddere illam falsam.

Præscisio illius principij, Quæ sunt eadem vni tertio, &c. à Mysterio Trinitatis ex fide nota.

28. Sed difficultas est in assignanda ratione, cur Principium illud præscindat à Mysterio Trinitatis, hocque esset exceptio illius. Constat enim ex dictis sect. 1. rationem huius præscisionis non esse identitatem inadæquatam tertij cum extremis, vt tentauerunt Recentiores. Nec tertium esse vnum, & simul plura, vt aiebat Valentia. Nec distinctio ex natura rei, ad quam

Scotus confugiebat. Nec distinctio virtualis, qua se protegebat Arriaga cum Recentioribus non paucis. Assignanda ergo superest ratio, quam non feriant iacula à nobis contra aliorum sententias vibratas.

Vnde principium illud præscindat à Mysterio Trinitatis, hæcque sit exceptio illius.

29. Respondeo ergo. Principium illud præscindere à Mysterio Trinitatis, hocque esse exceptionem illius. Quia inter personalitates, seu personas, quæ sunt idem cum Tertio intercedit ratio producentis simpliciter, & producti, sufficiens ad impediendam identitatem extremorum inter se. Dixi sufficiens, & non dixi necessaria, vt præscinderē ab ea quæstione, an si Spiritus sanctus non procederet à Filio, distingueretur ab illo. Casu enim quo distingueretur, ratio distinctionis, assignanda quoque erit ratio præscisionis illius principij à Mysterio Trinitatis, hæcque exceptio illius respectu Filij, & Spiritus sancti.

30. Explicatur responsio. Nam inter ea, quæ sunt idem cum tertio, posse intercedere rationem producentis simpliciter, & producti, res erat Philosophis ignota prorsus, & supra omnem luminis naturalis euidentiam, & nobis ex fide reuelata, sufficiensque, ne extrema cum tertio identificata, valeant inter se identificari; vnde nos contra distinctionem virtualem arguebamus; nam præcisa distinctio virtualis duorum à tertio non reddit impossibilem identitatem eorum inter se, vt patet in intellectione, & volitione respectu Paternitatis: at ratio producentis simpliciter, & producti inter extrema, prorsus impossibilem reddit identitatem eorum inter se: Ergo hæc, erit ratio sufficiens, vt principium lumine naturæ euidens præscinderet ante fidem negatiue à Mysterio Trinitatis, hocque esset exceptio illius, Quæ omnia obiectionum solutione clariora fient.

31. Obiicies primò. Fieri ex nostra responsione principium illud, *Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se*, habere hunc sensum, Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se, quando non intercedit inter illa ratio producentis simpliciter, & producti hoc autem est idem per idem: tunc scilicet extrema identificari inter se, quando inter se non distinguuntur; ergo. Minor probatur, quia intercedere rationem producentis simpliciter, & producti, idem

est

est, ac distingui, seu non esse idem: ergo dicere, quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se, quando inter illa non intercedit ratio producentis simpliciter, & producti, idem est, ac dicere, Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se, quando non sunt distincta, quod est dicere idem per idem, vt nos supra obiiciebamus.

32. In primis falsa est maior. Principium enim illud, vtpote lumine naturali euidens non complectitur eam partem, Quando non intercedit inter illa ratio producentis simpliciter, & producti; hæc enim exceptio fidei est, non rationis naturalis: atque adeo principium illud negatiue præscindit à tali exceptione absque vlla mensione illius. Respondeo insuper permissa maiore negans minorem. Ad cuius probationem, nego antecedens. produci enim vnum ab alio, non est formaliter distingui ab illo, sed accipere esse, & ratio optima, cur distinguuntur, nec sint idem producens, & productus. Sic interrogatus, cur Pater, & Filius distinguantur? optime responderet quia inter Patrem, & Filium est relatio producentis, & producti, quæ intercedere non potest inter idem, & se ipsum, cum idem non possit saltem connaturaliter producere se ipsum qua ratione Pater producit Filium. Nostra sententia salua ab inconuenientibus à nobis obiectis.

33. Obiicies secundò. Intercedere relationem producentis, & producti, inter ea, quæ cum tertio identificantur, idem est, ac virtualiter distingui ab illo: ergo siue ante, siue post fidem dicere, quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se, nisi inter illa intercedat relatio producentis simpliciter, & producti, idem erit, ac dicere, nisi cum tertio, intercedat distinctio virtualis, ergo inutiliter derelicta à nobis est, distinctio virtualis. Antecedens probatur, quia intercedere relationem producentis, & producti inter ea, quæ cum tertio identificantur, est, componere prædicata alioqui contradictoria, id autem est virtualiter distingui, ergo intercedere relationem producentis, & producti inter ea, quæ cum tertio identificantur, idem est ac virtualiter distingui ab illo.

34. Respondeo negans antecedens. Ad probationem distinguo maiorem. Intercedere relationem pruducentis, & producti inter ea, quæ cũ tertio identificantur, est cõponere prædicata Intercedere relationem producentis, & producti, non est præcise prædicata alioqui contradictoria componere.

contradictoria, præcise, nego; plura enim componunt prædicata alioqui contradictoria, absque relatione producentis,& producti; vt patet in intellectione, & volitione, in perfectionibus liberis, & necessariis: est componere prædicata alioqui contradictoria speciali titulo, & differentia,concedo. Et nego id esse præcise virtualiter distingui, est ergo differentia specialis distinctionis virtualis, quam nec Arriaga, nec Recentiores explicarunt,& nos dicimus esse relationem producentis, & producti inter ea, quæ cum tertio identificantur. Addo præterea principium illud, Quæ sunt eadem vni tertio, non minus præscindere à distinctione virtuali, quam à relatione producentis, & producti, vtraque enim nota tantum nobis est ex fide. Quod si instes: ergo ex speciali distinctione virtuali, scilicet propria relationis producentis, & producti bene conciliatur principium illud cum Mysterio Trinitatis. Libens annuam, quia nostra sententia est conclusio ista.



DISPVTATIO IV.

De diuinis Processionibus in communi.

1 Quid sit processio personalis.



PROCESSIO Personalis in diuinis nihil est aliud, quàm origo vnius Personæ ab altera, tanquam à principio productiuo, simpliciter; siue vt alij loquuntur realiter absolute, vel vt alteri realiter formaliter. Principium enim virtuale non est simpliciter principium, sed secundum quid, seu per æquiualentiam: sicut distinctio virtualis. Quod non sufficere ad constituendam Personam adhuc virtualem constabit infra, vbi discrimen inter originem virtualem, & realem ad constituendam Personam aperietur.

SECTIO

SECTIO I.

Sint ne in Deo reales Processiones ad intra.

2. NEgarunt Processiones Diuinas ad intra Eunomius, Arrius, & alij tres essentias tribus Diuinis Personis supponentes, vnde docebant, Filium factum à Patre, atque adeo non procedere ab illo ad intrà in eadem essentia, seu natura, sed ad extra in natura distincta. A quo errore parum distant Valentinus Gentilis, & Transiluani, statuentes, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum esse tres æternos Spiritus, essentiæ numero differentes, & inæquales. Negarunt insuper Processiones personales in Deo. Qui Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum vnam tantum personam asserebant, solisque nominibus, & operationibus distinguebant. Ita Praxeas, Hermogenes, Montanistæ, Sabellius, & Sectatores, Deistæ præterea, seu Trinitarij. Clarius Autotheani docentes Christum Dominum esse Deum à se ipso, non à Patre.

Qui negauerint diuinas Processiones ad intra.

3. Asserendum est dari in Deo Processiones Personales. Conclusio est de Fide. Ioannis 5. *Sic dedit & Filio vitam habere in semetipso.* cap.6. *Ego viuo propter Patrem.* cap. 7. *Ego scio eum, quia ab ipso sum.* cap. 8. *Ego ex Deo processi.* Et de Spiritu sancto Ioannis 15. dicitur. *Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre Spiritum, qui à Patre procedit.* Tota hæc veritas stabilitur in symbolis, præcipue Nicæno, vbi Filius dicitur genitus à Patre. Et Spiritus sanctus, qui à Patre, Filioque procedit.

Processiones Personales esse fide in Deo stabilitur.

4. Dices tamen, ea Scripturæ testimonia exponi posse de Processione temporali Filij, & Spiritus Sancti, seu Missione illorum, vt opinati sunt Iansenius, Montanus, & Maldonatus sequutus Originem. Euthymium, & Theophilactum ad ea Scripturæ testimonia. Cæterum responsio ista valde displicet. Tum quia Concilia, præsertim Nicænum, & Constantinopolitanum 1. Dum diuinas Processiones ad intra definiunt, firmo trahuntur Scripturarum fundamento eas Processiones æternas continente

Ea scripturæ testimonia vsurpanda non esse de Processione temporali.

continente: si quæ autem extant huiusmodi Scripturæ testimonia, ea sunt quæ nos produximus: ergo accipienda sunt, non de processione temporali, sed æterna. Tum etiam. Quia Patrem dare Filio, vitam habere in semetipso, id est manendo in Patre, aptari nequit processioni temporali, sed æternæ, qua Filius manet in Patre. Tum denique quia in eo testimonio Ioannis 15. distinguit Christus inter missionem, & processionem Spiritus sancti. ***Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre spiritum veritatis, qui à patre procedit.*** Vbi statuta prius missione Spiritus à Patre, & Filio, additur processio, vt instruamur Spiritum mittendum, esse verum Deum: ergo sermo est de processione æterna, Addo missionem vnius ab altero consistere non posse absque processione personæ missæ à mittente; ergo etiam si ea Scripturarum testimonia ad processionem temporalem detorqueantur, excludi nequit æterna.

Distinctio Personarum non est ratio diuinarum Processionum.

5. Sed difficultas est in assignanda ratione, cur in Deo admittanda sit processio Personalis. Communis sententia docet, ideo admittendam esse in Deo processionem Personalem, quia est distinctio Personarum, quæ stare nequit, nisi vna persona ab altera procedat; nam in Diuinis sola datur realis distinctio inter producens, & productum: ergo quia sunt personæ realiter distinctæ, processio quoque personalis admittenda est. Hæc tamen ratio apta non est; colligit enim distinctionem personarum ex reali earundem processione; & processionem iterum colligit ex distinctione: si enim interroges, cur sint processiones personales in Deo? Respondet, quia est distinctio personarum. Quod si iterum inquiras, cur sit personarum distinctio? Respondet, quia est processio realis inter illas, quod aliud non est, quam circumagi circulo vitioso, & rem inexplicatam relinquere; nam inquirentes rationem processionis, simul etiam rationem distinctionis expectant. Vnde si ab his Doctoribus vno ictu exigeres rationem processionis simul & distinctionis, omnis prorsus deficeret ratio: noua ergo vtriusque reddenda est.

Diuinæ fœcunditas naturæ ratio est Diuinarum processionum.

6. Assero igitur, ideo admittendam esse in Deo processionem personalem Personarumque distinctionem: quia Natura Diuina, vtpote simpliciter infinita, continet omnem perfectionem

fectionem, sine imperfectione, qualis est fœcunditas se communicandi media processione: ergo ea naturæ diuinæ fœcunditas erit ratio à priori, tam processionis, quam distinctionis Personarũ, Nec fœcunditas se pluribus communicandi supponit plura, quibus communicetur, sed infert plura tanquam principium virtuale omnium Personalitatum; vnde fœcunditas naturæ diuinæ semper manet ratio à priori, tam processionis personalis, quam distinctionis Personarum. Quod si à me inquiras, cur stet in natura diuina fœcunditas illa? Iam respondi, quia est perfectio sine imperfectione, & melior ipsa, quam non ipsa.

7. Obiicies primò. Essentia diuina nec genuit, nec genita est. cap *Damnamus* de summa Trinitate: ergo in Deo non datur generans, & genitus: ergo neque procedens. Concesso antecedenti, distinguo consequens. Non datur essentia generans, & genita, concedo: non datur Persona generans, scilicet Pater, & genita videlicet Filius, nego. Et nego consequentiam. Aliud enim est essentiam generari, quod falsum; aliud vero generari Personam, quod verissimum est.

8. Obiicies secundò. Si Filius à Patre procederet, Pater esset essentiator, Filius verò essentiatus. Hic autem fuit error Valentini Gentilis, & Transsiluanorum: ergo Filius à Patre non procedit: sequella probatur, quia essentiator est, qui essentiam donat alteri; essentiatus vero, qui eam accipit: si Filius autem procederet à Patre, Pater donaret illi essentiam, & Filius acciperet: ergo Pater esset essentiator. Filius vero essentiatus. *Respondeo* voces illas *essentiator*, & *essentiatus*, significasse olim productionem essentiæ, quo sensu à valentino, & Transiluanis vsurpatæ sunt; Vnde patrem esse essentiatorem idem valebat, ac esse productorem essentiæ Filij, Filium vero esse essentiatum, aliud non erat, quam habere essentiam à patre productam. Ex quo errore tres essentias distinctas, & inæquales tribus personis impingebant. Si vero voces illæ ad catholicum sensum deuoluantur, ita vt essentiari, idem valeat, ac accipere essentiam, non productam, sed communicatam, dici potest Pater essentiator, Filius vero essentiatus, in quo sensu Dionysius de diuinis nominibus cap. 2.

Essentiator & essentiatus, quid olim significauerint, & quomodo nunc vsurpari possint.

K dixit

dixit, *Vsiusthe*, quod est essentiari. Et Pachymeres interpres Dionysij asseruit, Spiritum Filij simul essentiatum. Et Eusebius Cæsariensis lib. 1. histor. Eccles. cap. 4. Filium appellauit essentiatum.

SECTIO II.

Quot sint in Deo reales processiones.

De fide est, duas esse tantum processiones personales.

9. Certum est de fide, duas tantum esse processiones reales Personales, nec plures, nec pauciores, vnam Verbi, alteram Spiritus sancti. Nam fide certum est, duas tantum esse Personas procedentes, scilicet Filium à patre, & Spiritum sanctum à patre simul, & Filio: ergo duæ tantum erunt processiones, patrem enim à nullo procedere de fide est, vt habetur in symbolo. *Pater à nullo est factus, nec creatus, nec genitus.* patet consequentia, quia processio multiplicatur ad multiplicitatē personarum procedentium: si ergo personæ procedentes sunt duæ tantum ex fide, duæ quoque tantum processiones erunt, nec plures, nec pauciores.

Cur duplex tantum sit processio personalis.

10. Difficultas tamen est non leuis in assignanda ratione, seorsim à fide, cur non sit vnica tantum processio, vel cur non sint plures duabus. Dixi seorsim à fide, quia ex principiis fidei res certo concluditur. Nam quidquid Deus dicit, verum est: Deus dicit duas esse processiones tantum: ergo processiones Diuinæ sunt duæ tantum. Nec omnino excluditur fides, sed supposito ex illa, quod in Deo sit processio; inquiritur, cur sit duplex tantum. Nec item inuestigamus rationem naturalem euidentem; istam enim circa processiones Diuinas pœnitus impossibilem esse constat ex disp. 1. Inquiritur ergo ratio certo, aut euidenter, ex quocumque capite deriuetur, conueniens geminam tantum processionem, quin fiat recursus ad fidem, siue quia Deus dicit, esse duas tantum.

B. Thomas. Scotus. Henricus

11. Communis sententia docet cum S. Thoma 4. contra gentes cap. 26. & de potentia quæst. 9. art. 9. corpore & quæst. 10. art. 2. corpore. Et 1. sent. dist. quæst. 1. art 4. Et hic. quæst. 27. art. 5.

27. art. 5. Ideo in Deo esse duas tantum processiones, quia omnis processio realiter immanens, qualis est Diuina, debet esse per aliquem actum proprium naturæ, in qua est processio; in natura autem Diuina, vtpote pure intellectuali, tantum sunt duo actus, intellectio videlicet, & volitio: ergo duæ tantum erunt processiones. Quam rationem approbant Scotus 1. dist. 2. p. 2. quæst. 2. quæ est quinta ordine. Henricus quodlib. 6. quæst. 1. inter principium & medium. Et in summa art. 53. quæst. 8. & nona. Richardus in 1. dist. 2. art. 2. quæst. 2. Carthusianus in 1. dist. 2. quæst. 6. Maior. in 1. distinct. 20. quæst. 2. Marsilius in 1. quæst. 14. art. 2. Argentinas in 1. dist. 10. quæst. 1. art. 2. P. Soarius lib. de Trinitate cap. 9. num. 6. P. Ruiz disp. 3. sect. 1. num. 3. Richardus Carthusianus. Maior. Marsilius. Argentinas P. Soarius P. Ruiz.

12. Assero tamen primò. Eam rationem esse quidem valde probabilem, & congruentiam non leuem; non tamen argumentum efficax, ad conuincendam duplicem tantum processionem. Ita cum citato Ruiz. P. Arriaga disp. 44. sect. 2. sub sect. 2. num. 9. Et ratio est, quia etiam si processio debeat esse per actum proprium naturæ, in qua est processio, & in Deo sit duplex actus: adhuc desideratur probandum, cur vnica processio non sit per vtrumque actum intelligendi, & volendi: vnde non conuincitur ex duplici actu duplex processio, vel si per vtrumque actũ potest esse duplex, cur non poterit esse triplex. Quod si instes vnicam processionem non posse esse per vtrumque actum, quia simul esset Verbum, & Spiritus sanctus, Probandum tibi restat. Primo, cur eadem processio, non possit esse Verbum simul, & Spiritus sanctus. Si dicas quia sunt Personæ distinctæ. Vnde id conuinces, nisi ad fidem confugias: & vnde distinctas Personas procedentes probabis contra negantem distinctas earum processiones. Ratio communis duplicis tantum processionis expensa.

13. Aliqui Recentiores tuentur. Ideo asserũt duas tantũ esse processiones. Quia si omnes tres diuinę Personæ essent procedentes, vel procederent realiter ab alia à tribus distinctæ, vel procederent mutuo à se ipsis, vel à concreto Dei tribus illis communi. Non primum, quia daretur quarta Persona contra fidem. Non secundum, quia implicat mutua duorum aut trium connaturalis productio. Nec tertium, quia concretum Ratio Recentiorum.

Dei non differt realiter à Personis procedentibus: ergo neque poterit illas producere: ergo in diuinis duæ tantum sunt processiones.

14. Assero secundò. Rationem istam efficacem non esse ostenditur, Quia licet ex suppositione trium tantum Personarum bene probet duplicem tantum processionem; tamen momenti erat aduertere, inquirentes, cur in Deo sint duæ tantum processiones, & non tres, consequenter inquirere, cur non sint quatuor Personæ, sed tres tantum. Respondere autem esse duas tantum processiones, quia sunt tres tantum Personæ, quia quarta est contra fidem, est dare nobis quæstionem, & fidem pro ratione. *Confirmo.* Recentiores illi colligunt Trinitatem Personarum ex duplici tantum processione, ergo iterum inferre duplicem tantum processionem ex Trinitate Personarum circuli vitium redolebit. Addo ex Trinitate Personarum non conuinci duplicem processionem, nisi supponatur ad distinctionem in diuinis necessariam esse relationem producentis, & producti. id autem difficile conuinci potest. Tum quia in creatis passim occurrunt distincta absque relatione originis inter illa; Tum etiam quia docent non pauci, Spiritum sanctum distinguendum à Filio etiamsi non procederet ab illo.

Aliorum ratio ab expleta fœcunditate desumpta.

15. Alij denique aiunt. Ideo in Deo esse duas tantum processiones, Quia illis pœnitus expletur fœcunditas naturæ diuinæ. Quod si instes rogans: cur duplici tantum processione pœnitus expleta sit fœcunditas naturæ Diuinæ? Respondent. Quia cum Deus ad intra tantum sit intelligens, & volens, posita vna processione generis intellectiui, qualis est processio verbi, & altera volitiui, qualis est processio Spiritus sancti, expleta manet fœcunditas naturæ diuinæ, quæ tantum intelligens est, & volens. Hæc tamen ratio verbis tantum discrepat à prima, quia communis sententia ex duplici tantum operatione intellectus, & voluntatis, duplicem tantum processionem infert. Quare idem de illa iudicium ferendum est.

16. Assero igitur tertiò. Diuinas processiones esse duas tantum, nec plures, nec pauciores certo nobis ex sola fide consta

constare. Constat ex dictis, quia nullum extat argumentum efficaciter id conuincens præcisa fide, sicut nec extat, seorsim à fide, ratio efficax Trinitatem euincens. Omnia ergo ex fide supponenda sunt, scilicet Trinitas Personarum, & duplex processio, vnam Verbi, alteram Spiritus sancti.

Duplex tantum Processio ex sola fide constat.

17. Obiicies primò. Potest vna actio in creatis producere plures terminos: ergo & vna processio in Diuinis producere plures Personas: ergo ex duplici Persona procedente non sequitur duplex processio. *Respondeo* concesso antecedente, negans vtramque consequentiam. Disparitas est prima, quia in creatis ideo plures termini possunt eadem actione produci, quia vnus ea actione non producit alterum, sed vterque producitur ab eadem causa: Quod si vnus alterum produceret, non posset vterque eadem actione produci, quia vnus deberet esse principium actionis, qua ipse produceretur, cum principium actionis, qua alter producitur ab ipso, & eadem sit vtriusque actio. In Diuinis autem ex Personis productis, vna producit aliam, Filius scilicet Spiritum sanctum. Vnde non potest esse vna vtriusque processio, quia Filius esset principium suæ processionis, cum sit principium processionis Spiritus sancti. Secunda disparitas est, quia actio in creatis est quid medium inter principium, & terminum; si enim esset indistincta à termino, non posset esse actio vnica duplicis termini. In Diuinis autem processio passiua est omnino idem etiam virtualiter cum termino producto, cumque sit duplex terminus productus, non potest esse vnica vtriusque productio.

Cur duplicis Personæ non posset esse vnica processio.

18. Sed instabis. Eadem res in diuinis potest identificari distinctis. Sic eadem relatio Spiratoris identificatur Paternitati, & Filiationi cum sola distinctione virtuali ab illis: ergo similiter eadem processio poterit identificari terminis distinctis cum sola distinctione virtuali ab illis: ergo ex identitate reali processionis cum terminis distinctis, non bene arguuntur distinctæ processiones. Insuper sola distinctione virtuali inter essentiam, & Filiationem, componitur, Filiationem produci à Patre non vero essentiam: ergo

Cur vnica processio nō possit identificari terminis distinctis.

 cum

cum sola distinctione virtuali inter processinem Filij, & Spiritus sancti, componi poterit, processionem, Spiritus esse à Filio, non vero processionem ipsius Filij. *Respondeo*, admitti non posse eam distinctionem virtualem processionum inter se, nec cum terminis productis, quia nouæ consurgerent relationes, quod est absurdum; sicut spiratio actiua sola distinctione virtuali à Paternitate, & Filiatione noua est relatio ab illis distincta.

19. Obiicies secundò. Si esset duplex processio neutra esset simpliciter infinita; ergo vnica tantum est. Antecedens probatur. Si esset duplex processio, vna esset per intellectionem, altera per volitionem, hoc ipso neutra esset simpliciter infinita, ergo. Minor probatur. Quia neutra contineret omnem perfectionem processionis, cum neutra esset per vtrumque actum intelligendi, & volendi, ergo neutra processio esset simpliciter infinita, hæc enim continere debet omnem perfectionem processionis. *Confirmatur primò.* Si esset duplex processio per actum intelligendi, neutra esset simpliciter infinita in ratione processionis per intellectum, & si esset duplex processio per actum volendi, neutra similiter esset simpliciter infinita in ratione processionis. *Secundò.* Si virtus productiua ad extra non contineret omnem virtutem productiuam, non esset simpliciter infinita, ergo si processio non contineat omnem rationem processionis, non erit simpliciter infinita; si autem esset duplex, neutra contineret omnem rationem processionis, ergo neque esset simpliciter infinita.

Qua ratione vnaquæque processio simpliciter infinita sit.

20. Respondeo de ratione processionis diuinæ non esse, quod sit simpliciter infinita in omni genere processionis, sed in proprio genere, cum autem processiones diuinæ, vna sit generis intellectiui, nempe Verbi, altera volitiui, nempe Spiritus sancti, inde de ratione processionis tantum est, esse simpliciter infinitam in proprio genere, scilicet, vel intelligendi, vel volendi. Vnde patet ad vtramque confirmationem, nam in eo genere in quo res aliqua est simpliciter infinita, includere debet omnem perfectionem sub tali genere comprehensam, idcirco omnipotentia claudere debet omnem virtutem productiuam, quia est simpliciter infinita in genere productiuo,

ctiua, quod si duplex esset omnipotentia, neutra esset simpliciter infinita in genere virtutis productiuæ, sed productiuæ in proprio genere. Quod idem dicimus de processionibus diuinis.

21. Obiicies tertiò. Intellectio, & volitio non distinguntur realiter, ergo neque processiones per intellectionem, & volitionem poterunt realiter distingui. *Respondeo*, concesso antecedente negans consequentiam. Ratio est, quia res realiter indistinctæ, possunt habere terminos productos realiter distinctos, & consequenter processiones. Sic eminentiæ hominis, & Leonis productiuæ, licet indistinctæ realiter, habent terminos, & actiones realiter distinctos. Idemque est de animali, & rationali, & aliis sexcentis.

SECTIO III.

An processiones diuinæ sint per intellectum, & voluntatem.

22. NEgat Durandus in 1. dist. 6. quæst. 2. & dist. 10. quæst. 2. & dist. 27. quæst. 3. docens neque Filium propriè procedere per intellectum, neque Spiritum sanctum per voluntatem, sed vtrumque per naturam Diuinam, vt natura est, non vt intellectus est, aut voluntas. Quod autem processio verbi tribuatur intellectui, & processio Spiritus sancti voluntati. Censet id accomodatitium esse, & improprium. Vnde infert nullam esse rationem congruentiæ, qua S. Thomas hic quæst. 27. art. 5. duplicem processionem infert ex duplici operatione immanenti intellectus, & voluntatis. Quæ Durandi sententia, tanquam erronea respuitur communiter à Theologis. Nec longe ab ea distat Gregorius in 1. dist. 10. & 12. quæst. 2. docens processionem Verbi non magis esse per intellectum, quam per voluntatem, & naturam; & similiter processionem Spiritus sancti, non magis esse per voluntatem, quam per intellectum, & naturam, sed vtramque eodem modo esse per intellectum, voluntatem, & naturam Diuinam; qui omnia

Durandus negans diuinas processiones esse per intellectum, & voluntatem.

omnia ista re, & ratione supponit omnino idem.

Diuinæ processiones sunt per intellectum, & voluntatem. Ita. S Thomas. Alexander. Albertus. S Bonauen. Henricus. Scotus. Richardus. Argentinas. Marsilius. Capreolus. Ferrariensis Caietanus. Canariensis Bañez. Zumel. P. Molina. P Soarius. P. Vasquez. P. Valentia. P. Ruiz. P Arriaga. P Zuniga. P. Perez.

23. Asserendum est cum communi sententia. Processiones diuinas proxime, & immediate, esse per intellectum, & voluntatem, siue in illis, aut aliquo eorum consistat natura Diuina, siue non. Ita S. Thomas hic quæst. 27. art. 1. 3. & 5. & alibi sæpe. Alexander 1. part. quæst. 42. membr. 2. & quæst. 43. membr. 3. Albertus 1. part. quæst. 30. memb. 2. & quæst. 31. membr. 2. S. Bonauentura in 1. dist. 6. art. 1. quæst. 2. & alibi. Henricus quodlib. 6. quæst. 1. & in summa art. 54. quæst. 9. & 10. Et copiosius art. 60. quæst. 1. Scotus quodlib. 2. art. 2. & in 1. sententiarum dist. 2. quæst. 1. Richardus dist. 2. art. 2. quæst. 2. & dist. 10. art. 1. quæst. 1. & dist. 27. art. 2. quæst. 1. & 2. Argentinas in 1. dist. 10. quæst. vnica, art. 2. Marsilius 1. sententiarum quæst. 14. art. 2. Capreolus in 1. dist. 9. 10. & 27. quæst. 1. Ferrariensis 4. contra gentes cap. 11. 12. & 13. Caietanus. Canariensis. Bañez, & Zumel ad quæst. 27. 1. part. Ibidemque ex nostris. P. Molina. P. Soarius, lib. 1. de Trinit. cap. 5. P. Vasquez disp. 111. P. Valentia hic cum aliis. P. Ruiz. disput. 2. sect. 2. P. Arriaga disp. 44. sect. 2. P. Zuniga disp. 2. dub. 5. P. Perez. disp. 2. sect. 4. & multi alij.

24. Conclusio nostra adeo certa est, vt P. Ruiz citatus eam existimet fidei proximam. Nec contendit conclusio vtramque processionem esse per intellectum simul, & voluntatem; sed vnam, scilicet verbi, esse per intellectum; alteram vero, scilicet Spiritus, per voluntatem. Probatur. Quia in scripturis, & Conciliis secunda Trinitatis persona, nempe Filius, dicitur Verbum, & sapientia Patris: de ratione autem verbi est procedere per intellectum: Insuper tertia Persona dicitur Amor, cuius proprium est procedere per voluntatem: ergo diuinæ processiones sunt per intellectum, & voluntatem. Nec audiendus est Durandus respondens, eas locutiones vsurpandas esse, non stricte, & proprie, sed accomodatitie, & improprie. Quia secunda Trinitatis Persona eodem modo dicitur Filius, & Verbum: ergo sicut non est Filius improprie, ita neque Verbum.

Sanctus Basilius.

25. Confirmatur ex Patribus. Basilius homil. 16. ad illud In principio erat Verbum. ait; *Cur Verbum? vt quod ex mente procedit*

procedit, *ostendatur*. Dionysius Alexand. apud Athanasium Epist.de sententia Dionysij Episcopi Alexandrini contra Arianos circa finem. *Verbum autem veluti Filius mentis, quod vt ante mentem extiterit impossibile est, ita nequaquam sine ea, sed vna cum ea extitit, & ab illa progerminatum est.* Cirillus Alexand. lib.1.in Ioann.cap.5. *Filius appellatur Verbum & Sapientia quoniam ex intellectu immediate atque indiuisibiliter est.* Alios Patres videre poteris apud Ruiz citatum.

Dionysius.

Cirillus

26. Obiicit primò Durandus. Aliquos Patres asserentes Filium procedere ex natura Patris, & non ex voluntate: ergo Filius non procedit per intellectum, sed per naturam. *Respondeo* negans consequentiam, Tum quia, mea opinione natura Diuina consistit in intellectu diuino; atque adeo procedere ex natura, non excludit processionem per intellectum. Tum etiam quia esto natura Diuina ab intellectu distinguatur. Patres illi loquuti sunt de principio remoto, non excludentes proximum, scilicet intellectum.

Explicantur Patres asserentes, Filiũ procedere ex natura, & non ex voluntate.

27. Obiicit secundò. Processiones Diuinæ sunt ex naturæ fæcunditate: ergo non per intellectum & voluntatem. *Respondeo* concesso antecedente de principio remoto, negans consequentiam. Quia processiones esse per intellectum, & voluntatem non impedit esse ex fœcunditate naturæ; licet enim natura immediate per se non operetur, sed per suas potentias, totum tamen id descendit ex fœcunditate naturæ. *Instat* Durandus. In creatis, productio Personæ non potest esse immediate per intellectum, & voluntatem: ergo neque in diuinis. Nulla est consequentia. Nam processiones personales in diuinis sunt immanentes, quales non sunt creatæ, ideo possunt, & debent esse per intellectum, & voluntatem, quorum operationes immanentes sunt.

Processiones esse per intellectum, & voluntatem, non impedit, esse ex naturæ fœcunditate.

28. Obiicit tertiò. Intellectus, & voluntas non possunt esse principium productiuum, nec intellectio, & volitio possunt esse productiones: ergo processiones Diuinæ non possunt esse per intellectum & voluntatem. Antecedens probatur, quia principium productiuum distinctum debet esse realiter à termino producto: intellectus autem & voluntas non ita distinguntur à personis productis: insuper productio Filij est rea-

liter distincta à productione Spiritus sancti: intellectio autem, & volitio non ita distinguntur, ergo non possunt esse productio. *Respondeo* concesso antecedenti, negans consequentiam. Nam etiamsi intellectus, & voluntas non sint principium productiuum, nec intellectio, & volitio sint productio; possunt diuinæ processiones esse per intellectum & voluntatem, modo suo loco expendendo: quia scilicet intellectus, & voluntas sunt principium communicatiuum, intellectio vero, & volitio sunt communicatio.

Quomodo processiones sint per intellectum, & voluntatem.

29. Obiicit quartò. In intellectu diuino nihil productum continetur, cum in eo aliud non sit, quam intellectio, quæ est proprie Verbum tribus omnibus personis commune: ergo ex intellectu diuino non procedit aliud Verbum personale. *Respondeo* Distinguens antecedens, in intellectu diuino nihil continetur productum ab eodem intellectu, concedo: nihil continetur productum à Patre, nego. Sicut in sententia Durandi in natura Diuina continetur Filiatio à Patre producta. Et nego consequentiam. Quia si Verbum personale non posset esse per intellectum, eo quod intellectus, & intellectio, sunt quid commune omnibus personis, nec Filius posset esse per naturam, cum ista etiam omnibus personis communis sit.

SECTIO IV.

An Processiones diuinæ sint per intellectionem & volitionem.

Scotus negans diuinas processiones esse per intellectionem & volitionem.

30. PRior sententia negat. Ita Scotus apud Vasquez disp. 112. cap. 2. Qui cum tenuerit nobiscum processiones diuinas esse per intellectum, & voluntatem, negat tamen esse per intellectionem, & volitionem. Si autem inquiras quomodo processiones diuinæ sint per intellectum, & voluntatem, cum tamen non sint per intellectionem, & volitionem? Respondet, ab intellectu diuino prodire duos actus inter se disparatos, scilicet intellectionem, & dictionem, & Verbum procedere ab intellectu per dictionem; non vero per intelle-

telle

telectionem, quia hæc communis est, illa vero propria Patris. Similiter docet à voluntate prodire duos actus, scilicet volitionem respondentem intellectioni, & impulsum dictioni, & Spiritum sanctum ob eandem rationem procedere per impulsum; non vero per volitionem, quia hæc communis est toti Trinitati, cui communis non est processio personalis. *Secunda sententia* docet, ab intellectu diuino duplicem prodire intellectionem, duplicemque à voluntate volitionem: vnam quasi remissam, nihil producentem, & toti Trinitati communem; alteram potentiorem, personæ productiuam, & propriam Personæ producentis, ex qua ait emanare diuinas processiones. Ita Henricus quodlib. 6. quæst. 1. & alij apud P. Valentiam hic cap. 1. *Tertia*, & communis sententia censet processiones diuinas esse per intellectionem, & volitionem essentiales siue toti Trinitati communes. Ita Doctores sect. præcedenti citati, repudiante quacumque alia intellectione, dictione, vel impulsu,

31. Assero. Processiones Diuinas esse per intellectionem, & volitionem essentiales, seu toti Trinitati communes. Probatur conclusio. Primo ex Patribus. Augustinus enim 6. de Trinitate cap. 1. & 2. Filium vocat sapientiam genitam de sapientia generante. Et 15. de Trinit. cap. 10. inquit. *Necesse est cum Verbum loquimur, ex ipsa scientia, quam memoria tenemus, nascatur Verbum*: ergo ex scientia, siue intellectione nascitur Verbum. Insuper Fulgentius lib. 3. ad Monimum cap. 7. *Nihil aliud est*, inquit, *apud se dicere, quam apud se cogitare. Cum ergo mens cogitat, cogitando Verbum generat*: ergo per cogitationem, seu intellectionem procedit Verbum. Irenæus lib. 2. aduersus hæreses cap. 48. ait. *Ex cogitatione, & sensu Verbum emittitur.* Cyrillus Alexandrinus thesauri cap. 7. inter medium, & finem. *Intelligendum est, sic ex Patre natum Filium, vt sapientia ex mente, quæ quodammodo esse à mente per expressionem videtur.* Esse autem per expressionem, idem valet, ac per intellectionem: ergo.

Processiones diuinæ sunt per intellectionem & volitionem essentiales.

S. Augustin. Fulgentius. Irenæus Cyrillus.

32. Probatur secundò ratione. Si processiones diuinæ non essent per intellectionem, & volitionem, maximè, quia intellectio esset productio Verbi, & volitio Spiritus sancti, quæ

Concutitur Scoti fundamentum.

communes esse non possunt; id falsum est: ergo. Maior est vnicum Scoti fundamentum. Minor probatur, Quia vt Verbum procedat per intellectionem, sat est, intellectionem esse communicationem, seu rationem formalem communicandi respectu illius. Et vt Spiritus sanctus procedat per volitionem, satis est, quod volitio sit communicatio, seu ratio formalis communicandi respectu ipsius: ergo opus non est, quod intellectio, & volitio sint productio. Patet consequentia, quia esse communicationem, seu rationem formalem communicandi, quid distinctum est à conceptu productionis, vt ostendam disp. 7. ergo etiam si intellectio, & volitio non sint productiones, poterunt per illas emanare diuinas processiones.

33. Probari solet tertio. Nam si actus essentiales, quia communes non possunt esse principia processionum, ne omnes Personæ sint producentes: ergo neque intellectus diuinus, vtpote communis poterit esse principium processionis Verbi, nec voluntas Spiritus sancti, ne omnes Personæ sint producentes. Quod si intellectus communis potest in Patre esse principiũ Dictionis, quin id præstet in Filio, & Spiritu sancto; cur intellectio, quantumuis communis, non poterit esse principium Filij in Patre, quin id præstet in aliis Personis? Certe, inquit, P. Arriaga disp. 44. sect. 3. num. 29. quod in hoc nulla est assignabilis differentia. Fateor argumentum istud fore efficacissimum, si Dictioni, & Impulsui concederet Scotus rationem principij, quam negat intellectioni, & volitioni. Nam licet intellectui communi concedatur ratio principij (idemque est de voluntate) non inde fit omnes Personas esse principium processionum: ergo neque fieret, etiamsi intellectio, & volitio communes, essent principium. Quæ vnica ratio impulit Scotum ad eos actus distinctionis, & impulsus multiplicandos.

Qualiter hoc argumentum efficax vt cõtra Scotum.

34. Si vero dictioni, & impulsui sola concedatur ratio actionis, seu productionis, vix vrgeri potest Scotus à Doctoribus constituentibus in absoluto principium productiuum, & in relatiuo actionem, seu productionem, quorum vnus est P. Arriaga. Etenim sicut apud Doctores illos actio non potest esse quid commune, esto possit principium. Ita dicet Scotus, actum, per quem procedit Verbum ab intellectu necessario debere

debere esse actionem : quid autem absolutum non potest esse actio : ergo aliquid proprium Patris, scilicet, dictio.

35. Probari solet quartò conclusio, quia absque sufficienti fundamento multiplicantur in Deo actus illi dictionis, & impulsus ; cum nec in creaturis reperiantur, nec necessarij sint ad diuinas processiones, & Trinitatis Mysterium explicandum : ergo. Minus vrget hæc ratio ; occurret enim Scotus processiones Diuinas necessario esse per intellectum, & voluntatem ; & consequenter per actionem ab intellectu, & Voluntate : hæc non potest esse quid commune : ergo debet esse actus notionalis, seu proprius Personæ producentis. Quare priori illo nostro insistimus fundamento. Videlicet processiones Diuinas esse posse per intellectum, & voluntatem, quin intellectus, & voluntas sint principium productiuum, nec intellectio, & volitio sint productio; dummodo intellectus & voluntas sint principium communicatiuum; intellectio vero, & volitio communicatio ; ad id autem superflui sunt, & omnino otiosi actus illi dictionis, & impulsus: ergo.

36. Cæterum ad hominem vrgeri potest Scotus. Nam vt constabit infra, non minus principium productiuum distingui debet à termino producto, quam actio, sicut enim idem non potest esse actio sui ipsius productiua; ita nec potest esse principium. His tamen non obstantibus quid commune videlicet intellectus, & voluntas, coniunctum relatiuo, potest esse principium productiuum, nec id est sufficiens fundamentum ad multiplicandos intellectum, & voluntatem notionales ab essentialibus distinctos : ergo pariter quid commune, nempe intellectio, & volitio coniunctum relatiuo, poterit esse actio, nec id sufficiens erit fundamentum ad multiplicandas intellectiones, & volitiones notionales ab essentialibus distinctas. **Ad hominẽ vrgendus Scotus.**

SECTIO V.

Cur Diuinæ processiones non sint dependentiæ, nec causalitates, aut actiones.

Depēdentia late sumpta quid sit.

37. DEpendentia non sumitur hic late, quatenus idem valet, ac connexio, qua ratione Patres Græci vsurparunt in Diuinis nomen dependentiæ, hoc enim pacto indubitatum est diuinas processiones esse dependentias, cum sint essentialis connexio personæ producentis cum producta, & è contra. Difficultas ergo est de dependentia strictè, & in rigore sumpta. Vnde videlicet repugnet processionibus Diuinis. Et me quidem iudice litis compositio pendet ab explicatione nominis *Dependentiæ*. In qua suo quisque trahitur fundamento.

Sententia P. Hurtadi constituentis dependentiam in posterioritate naturæ.

38. Pater Hurtadus disp. 8. Physicorum censet, dependentiam vnius ab alio, consistere in eo quod terminus sit naturâ posterior principio.

Non placet. *Primò*, quia inter effectum & aliquam actionem nulla datur prioritas naturæ, cum tamen vera sit dependentia. *Secundò*, quia inde fieret scientiam conditionatam strictè pendere à futuro conditionato, quo est natura posterior, & similiter Scientiam visionis à futuro absoluto. Vnde aliquid diuinum strictè penderet à creatura, quod est absursum. *Tertiò*, quia citra rationem termini, & principij datur stricta dependentia; vt patet in vnione respectu extremorum, in vbicatione respectu loci, & aliis infra contra P. Arrubal subiiciendis: ergo dependentia non exigit rationem termini, & principij. *Quartò*, quia terminum esse posteriorem natura principio, est formalissime terminum dependere à principio independenti: ergo explicare dependentiā termini per posterioritatē naturæ erit explicare dependentiā per dependentiā. *Quintò*, quia de facto nō datur mutua prioritas, & posterioritas naturæ; datur autē mutua dependentia inter aliquam actionē, & effectum, inter indistantiam à loco, & præsentiam, si modus

sit,

sit, & mille alia: ergo dependentia non consistit in posterioritate naturæ termini. *Confirmatur.* Causa pendet essentialiter à possibilitate sui effectus connaturalis, & econtra effectus pendet essentialiter à possibilitate suæ causæ, nec tamen causa est natura posterior possibilitate sui effectus connaturalis, nec effectus saltem possibilis est natura posterior possibilitate suæ causæ: ergo.

39. Quod si P. Hurtadus terminum posteriorem natura principio appellet terminum origine tantum posteriorem; clarius reiicitur. *Primo*, quia actio non est posterior origine termino, cum ab illo non oriatur, & tamen est ab illo dependens, idemque est de vnione respectu extremorum, de vbicatione respectu loci, & mille aliis: ergo ad dependentiam necessaria non est posterioritas originis, *Secundo*, quia si posterioritas originis sufficeret dependentiæ, Personæ procedentes strictæ dependerent, cum sint origine posteriores; hoc enim aliud non est, quam vnum oriri ab alio, & non econtra. Vnde diuinæ processiones essent dependentiæ.

40. Pater Arriaga 1. part. disp. 44. sect. 1. sub sect. 3. num. 16. & 17. existimat non omnem dependentiam dicere imperfectionem dependere enim non in natura distincta, sed in relatione infinitæ perfectionis, & æqualis cum principio nullam iudicat imperfectionem. Vnde admittere non horret processiones diuinas esse dependentias, non in natura distinctas, sed in relatione infinitæ perfectionis, & æqualis cum principio. Quod si illi obiicias: ergo similiter diuinæ processiones erunt causalitates, non in natura distincta, sed in relatione infinitæ perfectionis, & æqualis cum principio. Respondet negans consequentiam. Quia ratio, quæ vnice Latinos impulit ad negandam causalitatem in diuinis, ea fuit præcise, quia non producitur natura diuina. Vnde nomine causalitatis venit, non solius relationis productio, sed etiam naturæ.

Sententia P. Arriagæ admittentis diuinas processiones esse dependentias non in natura, sed in relatione producta.

41. Non satisfacit P. Arriaga, Latini enim vtrumque fugiunt impingere diuinis relationibus, siue processionibus, & dependentiam, & causalitatem. Si ergo his non obstantibus diuinæ processiones possunt esse dependentia relationis productæ à producente, cur non poterunt esse causalitas eiusdem relationis

tionis productæ à producente; quod si causalitas necessario, debet dicere productionem, non solius relationis: sed etiam naturæ; cur id etiam non dicere debet dependentia.

Sententia P. Arrubalis, Zuñigæ, & Perezij de productione totius realitatis termini.

42. Pater Arrubal disp. 55. cap. 4. constituit dependentiam in productione totius entitatis termini, siue omnium, quæ reali identitate sunt termino coniuncta. Vnde infert processiones diuinas non esse dependentiãs, quia non sunt productio totius entitatis termini, nam natura Diuina termino identificata, improducta manet. Consentiunt Zuñiga disp. 2. & Perez disp. 2. sect. 7. exigentes ad dependentiam distinctam naturam in termino, & principio.

43. Displicent omnes, quia extra omnem productionem termini, reperitur vera, & stricta dependentia: ergo conceptus dependentiæ non consistit in productione termini. Antecedens clarum est. *Primo* in vnione, quæ productio non est suorum extremorum; cum tamen ab illis vera sit dependentia. *Secundo* in effectu dependente essentialiter ab aliqua actione, cum tamen productio non sit alicuius actionis ipsam producentis. *Tertio*, in actu intuitiuo pendente essentialiter ab existentia sui obiecti, cuius nulla ratione est productio. *Quarto* in vbicatione quæ sit modus pendente essentialiter à loco, cuius nulla ratione est productio. *Quinto* in causis naturalibus pendentibus à suis effectibus possibilibus, quin ab istis producantur: ergo.

Sententia Recentiorũ de influxu in terminũ defectibilem.

44. Recentiores vero nostri communiter explicant dependentiam per influxum in terminum defectibilem, siue per indigentiam alterius ad sui defectibilem existentiam. Vnde liberant processiones Diuinas à conceptu dependentiæ, quia Persona producta cum necessario existat, non indiget producente ad sui defectibilem existentiam.

Grata mihi non est explicatio ista. *Primo*, quia non saluat à conceptu dependentiæ scientiam, & volitionem liberas in Deo, quæ indigent Deo & obiecto ad sui defectibilem existentiam, cum simpliciter defectibiles sint. *Secundo*, quia in eorum Recentium sententia possibilia in statu possibilitatis pendent essentialiter à Deo, nec tamen indigent Deo ad sui possibilitatem defectibilem. *Tertio*, quia, qua parte exigit influxum

fluxum ad dependentiam, falsitatis conuincitur ex superiori sententia. *Quarto*, quia hæc sententia supponit causam esse principium influens esse defectibiliter in effectum, & ens necessarium constitui in indefectibilitate, vtrumque vero falsum esse ostendi de essentia, & attributis: ergo.

45. His reiectis nouam semitam ingressus est ingeniosus Recentior, explicans dependentiam per entitatem, seu realitatem indigentem ad existendum existentia alterius realitatis; quando vero non indiget ad existendum alia realitate, sed ipsa realitas præstat, siue vt ita dicam, obligat, vt altera, quam requirit ad existendum, existat, tunc non dependet ab illa. Hinc colligit Patrem non dependere à Filio neque econtra, quia realitas Patris (idemque est de Filio) præstat, vt ad sui existentiam existat realitas Filij, cum habeat eandem naturam cum Filio. Noua Recentioris Sententia.

46. Non placet, quia vnam realitatem præstare existentiam alterius, vel est, esse principium illius, vel tantum exigere existentiam illius? Si primum: ergo Filius non præstat existentiam Patris, cum nullatenus sit principium Patris; vnde Filius pendebit à Patre. Si secundum etiam vnio exigit existentiam extremorum, & tamen pendet ab illis: ergo præstare existentiam alterius non impedit dependentiam. Insuper actio se ipsa præstat existentiam termini, & tamen pendet ab illo. Idem est de Physica præmotione caloris præstante existentiam illius, cum tamen à calore dependeat. Si vero nomine realitatis intelligas res distinctas naturas habentes, incidis in sententiam P. Zuñigæ, & P. Perez Nec saluantur à dependentia scientia conditionata, & visionis, aut complacentiæ liberæ, quæ distinctam habent naturam à suis terminis, eosque exigunt, nec tamen præstant eorum existentiam: ergo stricte à suis terminis dependebunt.

47. Placuit aliquando alicui processiones diuinas, ideo non esse dependentias, quia dependentia dicit inferioritatem, & subiectionem Personæ dependentis; & superioritatem, aut dominium Personæ independentis. Etenim nulla est Persona ab altera physice dependens, quæ inferior non sit, & independenti subiecta. Sic Filij, titulo generationis, quæ est de- Specialis sententia constituens dependentiam in subiectione & inferioritate ad alterum superiorem.

M pendem

pendentia eorum à Parentibus, euadunt iure naturali inferiores, & subiecti Parentibus, & creaturæ omnes titulo creationis, quæ est dependentia eorum à Deo, nascuntur subiectæ dominio Dei: ergo omnis dependentia fundata in ortu naturali vnius Personæ ab alia, arguit in principio, dominium & subiectionem in termino; at processiones diuinæ, siue origines naturales Personarum procedentium fundare non possunt dominium in principio, & subiectionem in termino: ergo neque esse dependentiæ.

Capita, vnde hæc specialis cogitatio displiceat.

48. Non arridet modo hæc enodatio. Quia citra dominium principij, & subiectionem termini datur vera, & stricta dependentia: ergo quamuis Filius non dependeat à Patre illa subiectionis dependentia, poterit alia dependere. Antecedens probatur, quia licet causæ liberæ habeant dominium in suas actiones, non tamen necessariæ, & tamen actio à causa necessaria est vera dependentia ab illa: ergo. Maior est certa. Quod enim dominium potest habere vnus ignis in alterum à se productum, aut quam superioritatem habere valet causa instrumentalis, verbi gratia, lapis eleuatur ad producendum Angelum; cum tamen Angeli productio vera sit dependentia? ergo citra dominium, & subiectionem vera datur dependentia. *Confirmatur.* In vnione respectu extremorum reperitur vera ab illis dependentia, nec tamen in extremis est dominium, nec in vnione subiectio; cur ergo similis dependentia repugnabit processionibus diuinis? Quod si rem premas, dominium in aliquam, nihil est aliud, quam potestas ponendi, & non ponendi illius actionem: ergo dicere dependentiam esse productionem ab habente potestatem, seu dominium in illam, idem erit ac dicere, esse productionem potentem esse, & non esse. Vnde processiones diuinæ ideo non erunt dependentiæ, quia liberæ non sunt, & consequenter, quia indefectibiles, quod est incidere in sententiam Recentiorum, & non saluare independentiam perfectionum liberarum.

In quo consistat stricta dependentia.

49. Assero igitur, dependentiam consistere in ente adæquate producto, vel producibili indigente altero ad sui existentiam, vel possibilitatem. Explico assertum. Pro ente adæquate

quate

quate producto, aut producibili, intelligo ens, cuius omnia, quæ realiter ipsi identificata sunt produci possint, vel producta sint. Dixi, ad sui existentiam, vel possibilitatem, vt non excluderem dependentiam possibilium à Deo, & inter se. Vnde colligo nihil diuinum pendere ad aliquo diuino, vel creato, quia nihil diuinum potest esse adæquate productum, cum natura Diuina cum eo identificata, semper improducta maneat. Colligo secundo creaturas possibiles pendere à Deo quia sunt adæquate producibiles, & indigent Deo ad sui possibilitatem. Idem est de creaturarum existentia. Probanda est nostra conclusio. *Primo*, cæterarum impugnatione. *Secundo*, quia conuenit omni, & soli dependenti, in quo tota præsentis controuersiæ victoria posita est, ad saluandas ab imperfectione dependentiæ diuinas processiones: ergo.

& immunitas diuinarū processionū ab illa.

50. Assero secundo causalitatem consistere in productione totius realitatis termini, id est, omnium, quæ realiter identificatæ sunt termino, & ipsi coniuncta. Probatur, quia vnica ratio, quæ Patres latinos impulit, ad exterminandum à processionibus Diuinis causalitatis nomen, fuit, ne existimaretur natura Diuina vna cum relatione producta: ergo nomine causalitatis existimabant Patres Latini significare productionem totius realitatis termini, id est, omnium, quæ reali identitate sunt termino coniuncta. Inde colligo processiones diuinas ideo non esse causalitates, quia non sunt productio totius realitatis termini, id est omnium, quæ reali identitate sunt termino coniuncta. Nam diuinitas, & omnis absoluta perfectio, quantumuis identificatæ realiter cum relatione producta, manent inproductæ.

Qui deausalitas & immunitas diuinarum processionum ab illa.

51. Ex dictis colligo diuinas processiones non esse actiones. Tum quia actio dicit dependentiam à principio, quæ in diuinis nulla est. Tum etiam, quia dicit causalitatē. Tum denique, quia vt ostēdi in physicis, actio est modus medius inter principium, & terminum: at nulla processio diuina est modus, nec quid medium inter principium, & terminum: ergo neque erit actio. Quod si aliquando Patres Græci vsurparunt in diuinis nomina dependentiæ, causalitatis, & actionis; id non stricte, sed late præstiterunt.

SECTIO VI.

Cur diuinæ processiones non sint ex nihilo, nec ab alio.

Quid sit processioné aliquam esse ex nihilo.

52. PRocessionem aliquam esse ex nihilo, idem est, ac non esse ex substantia producentis, sed ex substantia distincta, & aliena. Idcirco, qui tres essentias, seu substantias in Deo constituebant; siue inæquales, vt Arriani; siue æquales, vt Trinitarij; diuinas processiones ex nihilo asserere cogebantur. Errarunt ergo in hoc puncto Arriani, qui referente concilio Nicæno docebant Filium produci à Patre ex nihilo, id est, non ex propria, sed aliena substantia. Qui error Damnatus est in Concilio Nicæno sæpius decernente, Filium diuinum non esse, ex non extantibus, neque ex nihilo, neque ex aliena substantia, sed ex substantia Genitoris. Idem stabilitur in Tholetano I. & II. ad illa verba Psal. 109. *Ex vtero ante luciferum genui te*, Vbi nomine *vteri* intelligit substantiam Genitoris.

Cur diuinæ processiones non sint ex nihilo.

53. Assero ergo primo, diuinas processiones, ideo non esse ex nihilo, quia prioritate à quo supponitur natura Personæ procedentis in principio à quo procedit. Probatur quia vt aliqua processio sit ex nihilo, nihil Personæ procedentis debet præcedere existens in principio, à quo procedit: processiones autem diuinæ supponunt naturam Personarum procedentium in principio à quo procedunt: ergo non sunt ex nihilo. Minor certa est, nam in principio prioritate à quo præcedere debent ea omnia, quæ processione communicantur: communicatur autem natura Diuina: ergo ista præcedere debet in principio. Sed rogabis, quid sit processiones Diuinas esse ex substantia producentis? Omissis variis dicendi modis quos iudico solo modo loquendi discrepantes. *Respondeo*, processiones diuinas esse ex substantia producentis, aliud non esse, quam Personam productam communicare in eadem natura cum principio,

prio, siue eandem habere naturam, vnde Persona producta euadit consubstantialis producenti.

54. Assero secundo, processiones diuinas ideo non esse simpliciter, & absolute ens ab alio, quia hoc supponit pro termino producto, non communicante in eadem natura cum principio; vel pro termino stricta dependentia, & causalitate producto. Vtrumque autem, vt constat ex dictis, alienum prorsus est à processionibus Diuinis: ergo & ens ab alio. *Confirmo.* Illud dicitur simpliciter ens ab alio, quod oritur ab alio adæquate distincto: processiones autem diuinæ non oriuntur ab alio adæquate distincto, cum eadem sit natura, tam personæ producentis, quam productæ: ergo. Si autem quæras, an personæ procedentes dici possint ens ab alio, tanquam à principio productiuo inadæquate distincto? Respondeo posse, quia id non est simpliciter esse ab alio; sicut non est dependere: aut causalitate produci. Cur non sint ens ab alio.

55. Obiicies, Pater simpliciter est alius à Filio, quia etiamsi eadem sit vtriusque natura, relatio tamen est diuersa: ergo Filius simpliciter erit ens ab alio. Probatur consequentia. Filius est simpliciter à Patre: Pater simpliciter est alius à Filio, ergo Filius simpliciter est ab alio, nempe à Patre. *Respondeo*, distinguens; Pater simpliciter est alius à Filio, si to *simpliciter*, idem valeat ac adæquate, nego, si præscindat ab adæquata, & inadæquata distinctione, concedo. Et nego consequentiam. Ad probationem concessa maiori, distinguo minorem. Pater simpliciter est alius à Filio, id est adæquate distinctus, nego, inadequate concedo, & nego consequentiam. Quia voces istæ *simpliciter*. & *absolute*, iunctæ his aliis *ab alio*, ex communi Theologorum consensu idem valent, ac adæquate, etiamsi in aliis locutionibus, non ita vsurpari solitæ sint. Vnde etiam si recte dicamus, Filium simpliciter à Patre procedere, ab eoque distingui, dici tamen non potest esse ab alio, quia idem est, ac adæquate produci. Nec pro diuersitate earum vsurpationum alia ratio exigenda est, quam vsus loquendi, qui in presenti materia diligenter attendendus est.



DISPVTATIO V.

De processione actiua, & passiua.

Processio actiua & passiua non sunt quid realiter medium inter principium & terminũ.

1. ROCESSIONEM actiuam, aut passiuam non esse quid realiter medium inter Personam producentem, & productam, certum est Catholicis. Tum quia darentur in Diuinis quinque realiter distincta, nempe tres Personalitates, & duæ processiones. Tum etiam, quia processio realiter media inter principium, & terminum, tantum admittitur, vbi principium indifferens est ad producendum, & terminus ab existendum, vel non existendum, saltem hoc, vel illo modo: in Diuinis autem, talis indifferentia non est, sed summa determinatio principij ad producendum, & termini ad existendum, nam Pater non potest, non producere Filium, nec alio modo eum producere, pariter Filius non potest non procedere à Patre, & tali modo procedere; idemque est de Spiritu sancto respectu Spiratoris: nulla ergo erit in diuinis processio realiter media inter principium, & terminum.

SECTIO I.

An Processio actiua, & passiua sint aliquid absolutum, vel relatiuum.

Quid sit processio actiua, quid passiua.

2. PRocessio actiua dicitur elargitio Esse, passiua vero acceptio ipsius Esse. Controuersia igitur est, an processiones

cessiones, tam actiuæ, quam passiuæ sint aliquid absolutum, vel relatiuum: id est, an processio Filij sit Personalitas Patris, vel intellectio absoluta, & processio Spiritus sancti sit relatio Spiratoris, vel amor absolutus. Et quidem cum in qualibet processione diuina intercedat productio, & communicatio, monitum volo, in præsenti non agi de processione diuina, vt communicatio est, sed tantum vt productio est.

3. *Prior* sententia docet vtrasque processiones actiuas, & passiuas consistere in absoluto, non quidem secundum se, sed quatenus connotante in obliquo Personas producentes, vel productas. Vnde processio actiua Filij erit intellectio connotans Paternitatem; passiua, eadem intellectio vt connotans Filiationem; Processio vero actiua Spiritus sancti erit amor absolutus vt connotans relationem Spiratoris; passiua vero idem amor vt connotans relationem Spiritus sancti. Ita Zumel 1.part.quæst.41.art.1. *Secunda* sententia consentit ex parte primæ asserens, processiones actiuas consistere in absoluto, vt connotante Personam producentem; passiuas vero in sola relatione producta. Ita Caietanus, P. Vasquez, P. Torres, P. Arrubal, quos refert, & sequitur, P. Granadus tract. 2. disp. 3. sect. 3. *Tertia* Vera sententia affirmat, vtrasque processiones actiuas, & passiuas, consistere in solo relatiuo. Ita P. Molina quæst. 27. art. 3. disp. 4. cum S. Thoma quæst. 41. art. 1. ad 2. P. Suarez lib. cap. 8. num. 6. & lib. 6. cap. 2. num. 5. P. Zuñiga, P. Valentia, & alij, quos refert, & sequitur P. Perez disp. 2. sect. 4.

Zumel. Caietanus. P. Vasquez. P. Arrubal. P. Granadus. P. Molina. P. Suarius. P. Valentia P. Perez.

4. Assero ergo processiones tam actiuas, quam passiuas non consistere in absoluto, sed tantum in relatiuo. Probant aliqui primo, quia processio non potest esse principium suæ causæ, non enim actio est principium suæ causæ; at si processio esset intellectio esset principium suæ causæ: ergo processio non est intellectio. Minor probatur, quia si intellectio esset processio formaliter, hæc esset principium eius, cuius est intellectio principium; at intellectio est principium causæ processionis, est enim principium Paternitatis, quæ est causa processionis Filij: ergo.

Processiones tam actiuæ, quam passiuæ in solo relatiuo consistunt.

5. Hæc tamen ratio mihi solida non est. *Primo*, quia seorsim à processionibus diuinis soluenda est ab omnibus. Nam in

Præcedentis probationis examen.

Filio

Filio est intellectio : at intellectio est principium Paternitatis: ergo & Filius erit principium eius, cuius est principium intellectio, nempe Paternitatis : ergo erit principium sui principij. Si vero dicas intellectionem prout in Filio non esse principium Paternitatis; idem dicent aduersarij. Vnde vrgere non possunt tuo argumento probante processionem passiuam Filij, id est, intellectionem in Filio, esse principium Paternitatis. *Secundò*, quia in communi sententia principium communicatiuum, & communicatio respectu Filij, est intellectio: ergo eius erit principium in Filio, cuius est principium intellectio: at intellectio est principium Paternitatis : ergo & communicatio in Filio erit principium Paternitatis : ergo Persona Filij ratione intellectionis communicatæ, erit principium Patris communicantis : ergo erit principium sui principij.

Secunda aliorum ratio à priori expensa.

6. Probant secundo à priori, quia processio habet prædicata non solum distincta, sed etiam independentia ab intellectione, & intellectio à processione, sed quæ ita se habent, formaliter distinguntur : ergo & intellectio, & processio. Maior probatur, quia intellectio est expressio, & repræsentatio obiecti, processio vero fluxus, & emanatio : at ista prædicata sunt independentia; in creatis enim est fluxus, & emanatio absque intellectione, & intellectio absque fluxu, & emanatione in alterum : ergo.

7. Nec ratio ista est robustior præcedenti, quia tantum probat intellectionem, & processionem distingui ex modo concipiendi, quia similes conceptus mutuo in creatis separari, non arguit maiorem distinctionem in Deo; ita in communi sententia intellectio, & substantia absoluta tantum ex modo concipiendi differunt, cum tamen in creatis mutuo realiter separentur. Idem est de intellectione; & attributis transcendentibus, tantum ex modo concipiendi distinctis; cum tamen intellectio in creatis realiter sit ab illis distincta. Insuper processio passiua, & terminus non differunt formaliter obiectiue, & tamen in creatis realiter distinguntur, ergo ea ratio solum probat distinctionem ex modo concipiendi, quam libenter amplectentur aduersarij, cum nos etiam illam admittamus inter

inter conceptum relationis, & processionis, qui conceptus in creatis inter se realiter distinguuntur.

8. Tertio probatur communiter assertum, quia processio est conceptus respectiuus: ergo non consistit in absoluto, sed in relatiuo. Antecedens probatur; quia processio alicuius termini debet esse processio: ergo concipi non potest sine aliquo termino: ergo est conceptus respectiuus. *Confirmatur*, quia processio in creatis dicit essentialiter conceptum respectiuum, ergo & in diuinis, maxime, cum processio in creatis sit respectiua; non tantum ex conceptu creati, sed etiam ex conceptu processionis. Tertia aliorum ratio ex conceptu respectiuo cuius sit momenti.

9. Hæc ratio, quoad antecedentis probationem mihi firma non est. Etenim si processio respectiua debet esse termini, quia alicuius debet esse processio: ergo cum etiam debeat esse processio ab aliquo principio, pariter erit respectiua principij. Vnde fieret processionem distinguendam realiter à principio, & termino, & consequenter esse quid medium inter vtrumque, quod dici non potest. Nec instantia processionis creatæ vrget, nam hæc cum distincta sit à principio, & termino, vtriusque potest esse respectiua; at processio in diuinis distingui non potest à principio, & termino: ergo sicut processio, casu quo sit idem cum principio, potest intelligi esse ab aliquo principio absque conceptu respectiuo ad illud, ita poterit esse processio alicuius termini absque conceptu respectiuo ad terminum.

10. Probatur ergo nostra conclusio, quia processio in Diuinis, vel est producens ipsum, vel productum; non enim potest esse medium inter vtrumque; quid autem absolutum non potest esse producens, nec productum: ergo neque processio poterit esse quid absolutum, erit ergo quid relatiuum. Maior est certa, quia hic non agitur de processione, quatenus dicit communicationem, sed quatenus productio est: ergo cum productio non possit esse quid medium inter producens & productum, necessatio debet esse, vel ipsum producens, vel productum. Minor ergo probatur, quia idem non potest se ipsum naturaliter producere, vt est constans, & perspicuum lumine naturæ: Si quid autem absolutum esset producens, aut Vnde processio futura sit quid relatiuum & non quid absolutum.

productum, idem se ipsum naturaliter produceret: ergo non est. Minor probatur, quodlibet absolutum est vnum, & idem cum omni relatiuo, & absoluto: ergo si posset esse producens, vel productum, aut vtrumque, idem se ipsum naturaliter. producet. *Confir.* In diuinis totum distinctionis fundamentum stat in producente, & producto: ergo si quid absolutum absque distinctione reali posset esse producens, vel productum, pœnitus rueret distinctionis realis fundamendum. Vnde enim relationes diuinæ distingui possint, si essent obliquum, & connotatum productionis; quando rectũ, & quod reuera produceret, minime distingueretur à producto. Quibus præclusa manẽt effugia cõnotationis, & obliqui, quibus aduersarij proteguntur.

Augustinus, & Thomas enodati.

11. Obiicies primo aliquos Patres, quæ nostræ sententiæ refragari videntur. Nam Augustinus 5, de Trinit. cap. 10. asserit, dicere, nihil aliud esse, quàm cogitare, & intelligere: at dicere, est, producere Verbum: ergo productio Verbi est formaliter ipsa intellectio. Insuper S. Thomas quæst. 27. art. 2. absolute docet processiones in diuinis accipiendas esse secundum duas actiones immanentes, nimirum, intelligere, & velle: ergo intelligere, & velle ex mente S. Thomæ sunt processio. *Respondeo* eos Patres loqui de processione, vt communicatio est, qua ratione iuxta inferius dicenda de communicatione, sunt actus intelligendi, & volendi.

Quomodo Verbum generatur à Patre per intelleđionẽ.

12. Obiicies secundo. Verbum generatur à Patre per intellectionem: ergo intellectio est processio Verbi à Patre. Patet consequentia. Illud est processio Verbi à Patre, per quod Verbum generatur à Patre: Verbum autem generatur per intellectionem: ergo intellectio erit processio. *Respondeo* Verbum generari à Patre per intellectionem, tanquam per rationem formalem communicandi, non vero producendi quia nihil absolutum potest esse producens, aut productum. Vnde falsa est consequentia. *Instabis.* Processio Verbi est Locutio: Locutio autem est intellectio: ergo & processio Verbi. *Respondeo* locutionem duo dicere in diuinis, scilicet, & productionem Verbi & communicationem intellectionis, nego igitur, vt productio est, esse intellectionem, propter eandem rationem, qua processio, vt productio, non est intellectio.

SECTIO

SECTIO II.

An Processio Actiua distinguatur realiter à Passiua

13. PRima sententia docet processionem actiuam esse idem cum persona producente, & passiuam cum Persona producta, & consequenter processionem actiuam, & passiuam esse inter se realiter distinctas. Hanc sententiam tenet P. Soarius lib. 6. cap. 1. num. 5. P. Zuñiga disp. 1. dub. 7. memb. 7. num. 2. & dub. 14. memb. 2. P. Granadus tract. 2. disp. 3. sect. 1. P. Hurtadus difficul. 5. P. Perez, disp. 2. sect. 5. & multi alij apud ipsos. In hac sententia processio actiua Filij est Paternitas, & passiua Filiatio; processio vero actiua Spiritus sancti, est relatio Spiratoris, & passiua relatio Spiritus sancti. P. Soarius. P. Zuñiga P. Granadus P. Hurtadus P. Perez.

14. Secunda sententia distinguit inter processionem actiuam in actu primo, scilicet virtutem productiuam, & processionem in actu secundo, scilicet influxum, vel quasi actionem, qua Pater, verbi gratia, producit Filium, Vnde docet processionem actiuam in actu primo indistinctam à Persona producente; in actu vero secundo identificari cum processione passiua, & Persona producta. Quare Pater in hac sententia non est producens Filium per se ipsum, sed per Filiationem à se productam. Huic sententiæ communiter adscribuntur, Henricus, Richardus, Scotus, & Zumel, eamque tenent nobiles Recentiores. Henricus. Richardus. Scotus. Zumel.

15. Tertia sententia distinguit duplicem processionem actiuam; vnam intrinsecam Personæ producenti, & extrinsecam productæ, & hanc distinguit à processione passiua intrinseca termino producto. Alteram extrinsecam Personæ producenti, & intrinsecam termino producto, quam identificat cum processione passiua, & intrinseca termino producto. Existimat enim per processionem actiuam intrinsecam personæ producenti denominari terminum extrinsece productum, & per processionem passiuam intrinsecam termino producto, etiam Singularis Sententia P. Arriagæ.

denominari principium extrinsece producens, sicut per quamlibet vnionem partialem continui vnum extremum denominatur intrinsece vnitum: alterum vero extrinsece. Ita Arriaga disp. 46. tota sect. 1. & fusè sub sect. 3. sequuntur aliqui Recentiores.

16. Communis sententia asserens processionem actiuam identificari cum Persona producente, & consequenter distingui à processione passiua identificata termino producto. Probari solet primo, quia processio actiua nihil est aliud, quam determinatio principij ad terminum: at Paternitas, verbi gratia, se ipsa est intrinsece, & essentialiter determinatio ad Filium: ergo se ipsa est processio actiua Filij. Minor probatur. Tum quia paternitas se ipsa non est indifferens ad producendum, & non producendum Filium, nec ad producendum hoc vel illo modo: ergo se ipsa est determinata ad producendum, & hoc modo producendum: ergo se ipsa est determinatio Patris ad Filium: Tum etiam, quia ideo Filius est se ipso processio passiua à Patre, quia indifferens non est, vt procedat, sed summe determinatus, vnde est determinatio, & processio à Patre: ergo cum Pater se ipso non sit indifferens, sed summe determinatus ad producendum Filium, se ipso erit determinatio, & productio Filij.

Libratum communis sententiæ fundamentum.

17. Hæc tamen ratio si quid probat, conuincit, Paternitatem, & Filiationem se ipsis esse processionem actiuam Spiritus sancti, & non media relatione Spiratoris, quod falsum esse, pleno ore fatentur illius argumenti patroni. Etenim Paternitas, & Filiatio se ipsis sunt essentialiter determinatæ ad Spiritum sanctum, cum se ipsis non sint indifferentes ad producendum, & non producendum, nec ad producendum hoc vel illo modo, sed tali modo tantum: ergo se ipsis sunt determinatio essentialiter ad producendum Spiritum sanctum: ergo & processio; cum hæc vnica sit ratio, vnde paternitas probetur, esse processionem actiuam Filij. Si vero dicas Paternitatem, & Filiationem non esse se ipsis processionem actiuam Spiritus sancti, quia seorsim à relatione Spiratoris non sunt virtus productiua; & determinatio in diuinis, vt sit processio, debet esse virtutis productiuæ determinatio, qualis est

est paternitas respectu Filij, & Spiratoris relatio respectu Spiritus sancti. Non saluas tuum argumentum. Nam Pater, & Filius sunt essentialiter determinati ad producendum Spiritum sanctum, nec tamen per se ipsos producunt, nec sunt virtus productiua, sed vtrumque præstant per relationem spiratoris ab ipsis virtualiter distinctum: ergo quantumuis Paternitas sit determinata ad producendum Filium; poterit illum producere per productionem distinctam.

18. Nec instantia processionis passiuæ identificatæ cum termino producto, conuincit processionem actiuam identificatam cum principio. Tum, quia processio magis accedit ad terminum, quam ad principium, ex quocumque capite id contingat; ideo in creatis. quamuis media sit, & distincta inter principium, & terminum, tamen est intrinseca termino; non vero principio. Tum etiam quia filius non ideo præcisè est processio passiua, quia determinatus ad procedendum à Patre, sed quia est actus secundus, ad quem spectat omnis fluxus, via, aut emanatio: at Pater, quamuis summe determinatus ad producendum filium, est per modũ principi, siue actus primi cum secundo connexi; Vnde ad illũ non spectat fluxus, via, aut emanatio, & consequenter neque processio.

Processio passiua idẽtificata termino non conuincit pr. cessionẽ actiuam identificatã principio.

19. Nec est cur mirentur aduersarij virtutem productiuam à productione distinctam, & cum illa connexam, cum nec ipsi mirentur productionem actiuam à passiua distinctam, & cum ea connexam. Et fere omnes fateantur, quidquid sit de facto, possibilem esse physicam præmotionem respectu effectus necessarij, quæ sit virtus productiua connexa essentialiter cum productione, & ab ipsa distincta. Vel saltem nullus est, qui neget, decretum absolutum, & efficax producendi Petrum spectare ad actum primum virtutis proxime productiuæ etiã si connexum essentialiter sit cũ productione Petri, ab eaque distinctum. Idemque est in creatis de excitatione speciei impressæ respectu actionis intelligẽdi, & de actu imperante efficaci respectu actionis actus imperati, tam interni, quàm externi. Vnde liquida est, & clara argumenti solutio. Paternitas enim tantum est determinatio ad filium per modum principij; aut virtutis productiuæ, sicut

Nihil implicat virtus productiua à productione distincta.

ſicut præmotio, & decretum; non vero per modum fluxus, viæ, aut emanationis, quia omnia iſta propria ſunt actus ſecundi, ideoque à nobis in terminum productum referuntur.

20. Probant ſecundò. Pater eſt intrinſece determinatus ad producendum Filium, ergo paternitas eſt productio actiua Filij. Probant antecedens, quia Pater eſſentialiter eſt in actu ſecundo Pater: ergo eſt eſſentialiter, & intrinſece per ſe ipſum determinatus ad generandum Filium. Antecedens patet, nam Pater intrinſece conſtituitur per Paternitatem, Paternitas autem eſt conſtitutiuum Patris in actu ſecundo, ergo Pater eſt intrinſece, & eſſentialiter in actu ſecundo Pater; non enim apparet, quid ſit paternitas, niſi conſtituat Patrem in actu ſecundo talem.

Qualiter Pater ſit intrinſece determinatus ad producendum Filium.

21. Obiectio facile poteſt retorqueri. Nam pater eſſentialiter, & intrinſece eſt determinatus ad producendum Spiritum ſanctum: ergo paternitas eſt productio actiua Spiritus ſancti. Deinde non capio, qua ratione, eſſe Patrem ſit actus ſecundus, cum in Patre nulla ſit ratio termini producti, ſed ſola ratio principij, quæ actus primus eſt, & non ſecundus. Diſtinguo igitur antecedens Pater eſt intrinſece determinatus ad producendum Filium per modum fluxus, viæ, aut emanationis, nego: per modum virtutis productiuæ, ſiue actus primi, aut principij, inſtar phyſicæ præmotionis, aut decreti connexi cum effectu, eiuſque productione, concedo. Et nego conſequentiam. Ad probationem nego ſuppoſitum, eſſe ſcilicet in Patre actum ſecundum intrinſece; nam Paternitas, cum nullius ſit terminus productus, ſed tantum principium Filij, tantum eſt actus primus reſpectu Filij, reſpectu vero ſui neque eſt actus primus, neque actus ſecundus.

22. Probant tertio inculcantes eandem determinationem. Quia Pater habet intrinſece relationem, per quam conſtituitur actualiter, & eſſentialiter relatus ad Filium, vt Filium, hæc autem relatio nequit intelligi, quin ſit generatio actiua, ergo relatio propria Patris eſt generatio actiua Filij. Minor probatur, quia prædicatum eſſentiale conſtitutiuum proceſſionis actiuæ, eſt determinatio principij ad terminum productum, relatio autem Patris eſt determinatio ad Filium productum, cum

cum nequeat intelligi indifferens, sed dans essentialiter esse in actu secundo Filio, ergo relatio Patris intelligi non potest, quin intrinsece intelligatur generatio actiua. *Confirm.* Generatio actiua est id, per quod producens dat esse termino producto, tanquam Filio; nequit autem intelligi relatio Patris respiciens Filium, vt Filium, quin per illam det esse ipsi Filio ergo. Minor probatur. Nam per talem relationem respicit Pater Filium, vt terminum a se productum, nec alia est ratio oppositionis inter Patrem & Filium, in qua fundetur distinctio, nisi producentis, & producti.

25. Hæc ratio sola est præcedentium repetitio; ideo nostra illi solutio repetanda est. Concessa igitur maiori, nego minorem. Ad cuius probationem distinguo maiorem. Prædicatum essentiale processionis actiuæ est determinatio principij ad terminum per modum virtutis productiuæ connexæ cum termino, nego, per modum fluxus, viæ, aut emanationis, concedo. Et nego relationem Patris esse determinationem ad Filium per modum fluxus, aut viæ. Tantum enim est determinatio per modum virtutis productiuæ connexæ cum termino producto, sicut physica prædeterminatio ad hunc numero terminum, aut actionem, & decretum, aut imperium efficax determinatum huius numero effectus, & actionis. Nec confirmatio libat aliquid noui; falsa enim est minor, si loquatur de fluxu, & via, qua Pater dat esse Filio, cuius probatio nulla est. Tum quia Pater respicit Filium à se productum, non vero per paternitatem productum, sicut physica præmotio caloris A, respicit essentialiter calorem à se productum; non vero per seipsam productum, sed per productionem à se distinctam. Tum etiam, quia ratio oppositionis inter Patrem, & Filium non est producens in actu secundo, & productum, sed producens specificatiue, id est res, quæ producit, siue quæ est producens.

24. Probant quarto ex Patribus. Nam Athanasius Dialogo 1. de Trinit. ait, diuinas Personas tantum distingui, quia gignere, & gigni, emittere, & emitti distinguuntur: at gignere est generatio actiua, gigni vero passiua, ergo generatio actiua, & passiua distinguntur inter se; vnde cum passiua sit idem Athanasius & Thomas explicati.

cum

cum persona producta, actiua erit idem cum persona producente. Insuper S. Thomas quæst. 41. art. 1. approbat dictum Magistri asserentis generationem, & natiuitatem aliis nominibus esse Paternitatem, & Filiationem, ergo generatio actiua erit Paternitas, & passiua Filiatio. *Respondeo* eos Patres cum Magistro non sumere gignere, & generare per modum fluxus, aut viæ, sed intelligere principium, aut virtutem generandi non quidem indifferentem, sed determinatam, & connexam cum genito, quod satis non est ad distinguendam processionem actuam à passiua, vt in superioribus abunde à nobis ostensum est, & stabilitum.

SECTIO III.

Eligitur processio actiua identificata cum Passiua.

Processiua actiua identificata realiter cum passiua.

25. PRimo, quia processio actiua est id, quo Pater producit Filium, id autem quò Pater producit Filium, est processio passiua: ergo processio actiua, & passiua non distinguuntur. Maior est certa, quia processio actiua est id, quo Pater est producens Filium: ergo est id, quo Pater producit Filium Minor ergo probatur. Id quo Pater producit Filium, est id, quo Filius, producitur à Patre, id autem quo Filius producitur à Patre est processio passiua: ergo id, quo Pater producit Filium, est processio passiua Filij. Minor est certa, quia processio passiua Filij est id, quo Filius accipit esse productum à Patre ergo est id, quo Filius est productus, siue producitur à Patre. Maior, quæ sola desiderat probationem, mihi adeo clara est, ac perspicuum est Grammaticis, orationem in voce passiua idem valere, ac in voce actiua: sicut ergo id, quo amo Deum, est id, quo Deus amatur à me: & id quo Pater intelligit Filium, est id, quo Filius intelligitur à Patre, similiter id, quo Pater producit Filium, erit id, quo Filius producitur à Patre: sicut Patrem generare Filium, idem valet, ac Filium

genera

generari à Patre. *Confirmatur.* Nequit intelligi Pater in actu secundo producens, quin ea productione aliquid intelligatur productum; quomodo enim percipies productionem Filij, quin eo ipso intelligas Filium productum? ergo productione, qua Pater est producens Filium, eadem erit Filius productus à Patre: ergo id quo Pater est producens, Filium, erit id, quo Filius est productus à Patre.

26. Respondent primò Recentiores ex communi sententia, veram esse nostram argumentationem, quando determinatio est media inter principium indifferens, & terminum indifferentem, vt contingit in creatis; vbi actio est quid medium inter principium, & terminum indifferentes; cumque sit vtriusque determinatio, ideo eadem actione, qua agens est producens, etiam terminus est productus: idem est de cognitione, & amore. At in diuinis, determinatio non est media, inter principium, & terminum, cum ambo se ipsis sint omnino determinati. Idcirco processio actiua, & passiua, quæ in creatis vnica est, & realiter indiuisibilis, diuiditur in diuinis, quia pariter diuisa est determinatio, & processio actiua refertur in Paternitatem se ipsa determinatam ad producendum Filium.

27. Contra tamen. Quia determinatio per modum principij aut virtutis productiuæ essentialiter cum termino connexæ, sufficiens non est ad processionem actiuam, seu productionem in actu secũdo. Etenim physica prædeterminatio ad amorẽ *A*, eiusque actionem indiuiduam, se ipsa est essentialiter determinata ad amorem *A*, eiusque indiuiduam actionem, idemque est de decreto, nec tamen est pocessio actiua, nec productio amoris, aut actionis, quia determinatio per modum principij, aut virtutis productiuæ cum termino connexæ, non spectat ad actum secundum, cuius sunt fluxus, & via, sed ad actum primum: determinatio autem Paternitatis, est determinatio per modum principij, & virtutis productiuæ cum termino connexæ, ergo non erit processio termini, sed actus primus ad illum. *Determinatio per modum principij, aut virtutis productiuæ pro cessio non est.*

28. *Confirmatur.* Licet in creatis actus primus possibilis sit se ipso determinatus ad actionem, & terminum possibilem, cum eoque connexus, tamen actus primus possibilis non est *Actus primus possibilis se ipso determinatus.*

tus est ad actionem & terminum possibilem, nec tamen est processio.

processio actiua possibilis sui termini, quia ea determinatio est per modum principij, aut virtutis productiuæ cum termino connexæ, & consequenter est actus primus possibilis,ad quem non spectat productio possibilis: Paternitas autem tantum est determinatio ad Filium actualem per modum principij, & virtutis productiuæ cum Filio connexæ: ergo non erit productio Filij, sed actus primus productionis, & termini. Oportebat enim eos Recentiores distinxisse inter actum primum, & secundum; & vtrumque æquiuoca determinatione non confundere. Rem totam denuo confirmo, & assumptum contra aduersarios efficaciter ita vrgeo. Nam ea responsio non satisfacit argumento nostro. Etenim etiamsi Paternitas esset processio actiua Filij, eiusque productio, adhuc contendimus Filium denominandum ab ea productum; atque adeo eadem productione,qua Pater est producens Filium quoque esse productum, nam ea productio vere est productio Filij: ergo vere per illam Filius est productus: ergo id, quo Pater est producens, est id, quo Filius est productus, & id, quo Filius est productus,est id, quo pater est producens.

Responsio duplicis processionis tam actiuæ quam passiuæ.

29. Melius ergo, & solius respondet P. Arriaga distinguens duplicem processionem tam actiuam, quam passiuam respectu vniuscuiusque personæ procedentis. Vnam, intrinsecam principio, qua Pater, verbi gratia, est intrinsece producens Filium, & filius est extrinsece productus à Patre. Alteram vero intrinsecam termino, qua Filius,verbi gratia, est intrinsece productus à Patre,& Pater est extrinsece producens Filium. Firmat exemplo vnionis continuatiuæ,qua duo indiuisibilia vniuntur inter se, quæ composita est ex duplici, vna intrinseca indiuisibili *A*, & extrinseca indiuisibili *B*, qua indiuisibile *A*, intrinsece vnitur *B*, indiuisibile vero *B*, extrinsece tantum vnitur *A*, Altera intrinseca indiuisibili *B*, & extrinseca indiuisibili *A*, qua indiuisibile *B*, intrinsece vnitur *A*, & indiuisibile *A*, extrinsece vnitur *B*,

30. Hinc respondet, verum quidem esse, id, quo Pater est producens Filium,esse id,quo Filius est productus à Patre; hoc tamen discrimine, quod id, quo Pater est intrinsece producens Filium,est id, quo Filius est extrinsece productus à Patre

sicut

sicut id, quo indiuisibile *A*, intrinsece vnitur indiuisibili *B*. est id, quo indiuisibile *B*, extrisece vniter indiuisibili *A*, id autem, quo Filius est intrinsece productus à patre, est id, quo Pater est extrinsece producens Filium; sicut id, quo indiuisibile *B*, intrinsece vnitur *A*, est id, quo indiuisibile *A*, extrinsece vnitur *B*.

31. Contra tamen. Primo, quia hæc sententia reipsa admittit quatuor processiones actiuas, totidemque passiuas in diuinis: etenim Paternitas est processio actiua intrinseca, & passiua extrinseca, cum sit id, quo Pater est extrinsece producens Filium, & id, quo Filius est extrinse productus à Patre. Similiter relatio Spiratoris est processio actiua, intrinseca & passiua extrinseca ob similem rationem. Præterea Filiatio est processio passiua intrinseca, & actiua extrinseca, quia est id, quo Filius est intrinsece productus à Patre, & id quo Pater est extrinsece producens Filium, & idem est de relatione Spiritus sancti: ergo essent in Deo quatuor processiones actiuæ totidemque passiuæ, quod absurdissimum est. Fide enim constat duas esse tantum processiones in diuinis. Vnde falsam existimo communem sententiam distinguentem processionem actiuam à passiua, quia reipsa quatuor admittit processiones, duas actiuas, & passiuas duas. Ab inconuenienti præcedens responsio exterminata

32. Nec dicas eas processiones esse partiales, & inadæquatas, & ex illis consurgere duas tantum processiones integras, & adæquatas, Quia adeo certum est in diuinis, esse tantum duas processiones, ac esse vnicum Spiratorem; at admitti non potest vnicus spirator ex pluribus partialibus, & inadæquatis constitutus: ergo neque duplex processio ex quatuor, vel ex octo partialibus constituta, maxime cum saluari possit duplex processio absque compositione, si actiua identificetur cum passiua, & vtraque cum termino producto.

33. Contra secundò. Quia nulla est necessitas productionis intrinsecæ principio, cum ostenderimus subsistere virtutem productiuam essentialiter determinatam ad terminum, absque vlla productione illi intrinseca, quæ vnica ratio impulit aduersarios ad eam productionem intrinsecam principio sta- Nulla est necessitas processionis actiuæ intrinsecæ principio.

 tuendam:

tuendam: ergo. *Confirmatur.* Principio actiuo sufficiens est productio intrinseca termino, & extrinseca principio. At per te Filiatio est productio intrinseca termino, & extrinseca principio, qua scilicet Filius vere est productus, & Pater producens: ergo superflua est alia productio intrinseca principio. Nec exemplum vnionis continuatiuæ momenti est: ego enim non video, cur diuinæ processiones imitari debeant vnionem continui, & non potius productionem creatam, quæ vnica tantum est intrinseca termino, & extrinseca agenti.

34. Probatur secundo conclusio. Omnis productio est per ipsam à principio producente, eo modo, quo ipsius terminus est ab eodem principio per productionem: Filiatio autem est realiter absolute à Paternitate per productionem: ergo & omnis illius productio erit realiter absolute à Paternitate per se ipsam: ergo Paternitas erit principium reale omnis productionis Filij: ergo & omnis productio Filij erit à Paternitate distincta. cum idem non possit esse sui connaturale principium. Maior liquet, nam terminus oritur à principio per productionem, productio vero per se ipsam: ergo eo modo, quo terminus est à principio per productionem, productio erit à principio per se ipsam. *Confir.* Omnis terminus procedens vt *quod* à principio est productus vt *quod* ab illo: ergo omnis processio, qua terminus est procedens vt *quod* erit per se ipsam procedens vt *quo*: eo enim differunt processio, & terminus; quod terminus, qua talis, dicitur, vt *quod* procedens: processio vero vt *quo* procedens: at omne procedens vt *quo*, est à principio per se ipsum, ergo & omnis processio erit à principio per se ipsam.

35. Dices hoc argumentum similiter probare processionem esse distinctam à termino producto, quia sicut processio est vt *quo* à principio; ita est productio vt *quo* termini, ergo etiam distinguetur à termino. *Contra* tamen, quia processio, & terminus complent intrinsece vnum actum secundum, ideoque inter se non opponuntur in diuinis, cum principio autem non potest componere intrinsece vnum actum primum, quia processio non spectat ad actum primum, sed secundum; insuper; productio, & terminus complent vnum productum, ideoque inter se non opponuntur; bene vero cum principio, quia

quia producens, quale est principium, & productum, quale est actus secundus, inter se distinguuntur, & opponuntur ex illo principio: id non posse se ipsum naturaliter producere. Mitto alias aliorum rationes, quia facilem habent retorsionem, & solutionem ex dictis.

36 Obiicies. Tota ratio distinguendi in creatis actionem ab agente, est indifferentia principij ad producendum, & hoc, vel illo modo producendum: ergo vbi nulla est indifferentia, vt contingit in diuinis, nulla erit ratio distinguendi productionem à principio. *Respondeo* negans antecedens. Ostendimus enim dari in creatis agens summe determinatum ad producendum, & hoc modo producendum, cuius tamen actio distinguitur ab illo. Ratio ergo distinguens principium à productione est, quia productio nulla ratione spectat ad actum primum, sed secundum; ideo identificari non valet cum principio actum primum constituente. Ratio distinguendi principiū à productione.

SECTIO IV.

An proceßio actiua, & paßiua identificentur relationi Personæ producentis, vel productæ.

37. Constat ex dictis, processionem actiuam, & passiuam esse idem inter se. Inquirimus nunc, cui relationi vtraque processio identificetur, An scilicet relationi producentis, an producti. Ratio dubitandi est, quia processio non potest esse quid medium inter principium, & terminum; Aliunde nulla apparet maior ratio, cur vtraque processio potius in terminum productum, quam in principium referatur, cum vtrumque sit essentialiter determinatum ergo.

38. Assero tamen processionem tam actiuam, quam passiuam, identificari realiter cum relatione producta. Probatur primo, quia processio passiua idētificatur realiter cū relatione producta vt cōmuniter fatentur omnes: processio autem actiua, vt in superi Processio tam actiua, quā passiua identificantur realiter cum relatione producta

perioribus ostensum est, non distinguitur realiter à processione passiua: ergo vtraque erit realiter idem cum relatione producta. Maior ostenditur, quia processio passiua est intrinseca termino, etiam in creatis, vbi est quid medium inter principium, & terminum: ergo etiam in diuinis est intrinseca termino: & non potest esse intrinseca per vnionem, aut modum: ergo per identitatem.

39. Dices argumentationem istam non valere in Trinitate, vbi, licet Paternitas sit idem cum essentia, & essentia cum Filiatione, inde tamen non sequitur, Paternitatem esse idem cum Filiatione: ergo licet processio actiua sit idem cum passiua, & ista cum relatione producta, non inde sequitur processionem actiuam esse idem cum termino, siue relatione producta. *Contra* tamen, quia nostra argumentatio valet, vbi non intercedit distinctio virtualis componens prædicata contradictoria, qualis reperitur inter Paternitatem, & essentiam, inter processionem autem actiuam, passiuam, & terminum nulla intercedit distinctio virtualis componens prædicata contradictoria: ergo optima est argumentatio nostra. Minorem ostenda infra disputans de distinctione virtuali, aut rationis, processionis actiuæ à passiua, & vtriusque à termino.

Nec processio actiua neque passiua opponuntur relationi productæ.

40. Probatur secundo conclusio, quia neque processio actiua neque passiua opponuntur relationi productæ: ergo neque ab ea distinguuntur. Consequentia patet, quia in diuinis nulla est distinctio, vbi nulla est oppositio relatiua. Antecedens probatur, quia actus secundus diuinus nullam intra se claudit oppositionē relatiuā: processio autem actiua, passiua, & terminus, constituunt actum secundum Diuinum: ergo nulla est inter ipsas oppositio relatiua. Minor est certa, quia ad actum primum sola spectat virtus productiua, & requisita, si quæ sint, ad productionem termini; productio vero, eiusque terminus propria sunt actus secundi ex plana, & communi Philosophia. Maior probatur, quia actus secundus solam fundat oppositionem cum actu primo, siue principio productiuo, adæquate ab ipso distincto: ergo intra se nullam dicit oppositionem. *Confirmatur.* Nam si actus secundus aliquam intra se diceret oppositionem relatiuam, fieret, includere plura realiter inter se, & à principio

cipio distincta, quod dici non potest, aliter in processione Filij non duo tantum, sed tria essent distincta, videlicet, principium, & actus secundus duo continens inter se diuersa. Sequela probatur. Nam integer actus secundus dicit oppositionem relatiuam cum principio, cuius est actus secundus; Vnde principium & actus secundus sunt duo distincta, ergo si actus secundus vlterius intra se diceret oppositionem relatiuam, diceret quoque realiter distincta, non solum à principio, sed etiam inter se.

41. Obiicies. Ideo processio opponitur principio, ab eoque distinguitur, quia processio ab aliquo principio debet esse processio, sed etiam debet esse processio alicuius termini, ergo etiam distinguetur à termino. Probatur consequentia, quia conceptus processionis, seu productionis termini à principio non minus est respectiuus termini, quam principij, ergo si processio, eo quod si à principio distincta, debet esse realiter ab illo; pariter etiam, eo quod sit productio termini, necessario distincta erit à termino. Hoc argumentum, si quid probat, rem ab omnibus soluendam euincit, videlicet, processionem Diuinam esse quid realiter medium inter principium, & terminum, quod dici non potest, *Respondeo* igitur, processionem ideo opponi, & distingui à principio, quia vere accipit esse ab illo, idem autem non accipit esse, nec potest naturaliter à se ipso, at terminus nō accipit esse à processione, sed à principio; ideoque opponitur soli principio; non vero processioni. Cur processio distinguatur à principio & non à termino.

42. Instabis. Processio est productio termini; ergo vere dat esse termino; sicut actio increatis vere dat esse effectui; ergo opponitur termino, nam idem non potest naturaliter dare sibi esse. *Confirmatur*. Non minus repugnat idem esse sui productionem, quam esse sui principium, at terminus opponitur sui principio, ergo & productioni. *Respondeo*, distinguens antecedens, processio est productio puri termini, nego; non puri, sed admixti processione, concedo. Et nego consequentiam; actio enim ideo dat esse effectui, quia effectus est purus terminus. Ad confirmationem nego maiorem. Nam actio in creatis est productio sui, cum tamen non possit esse principium, similiter in Diuinis processio est pro-

ductio

ductio sui; cum tamen non possit esse principium.

Cur processio diuina non sit productio puri termini, cũ tamen sit processio à puro principio.

43. Si autem quæras cur processio diuina non sit productio puri termini, cum tamen sit processio à puro principio, id est nullam continente rationem processionis? *Respondeo* ideo id contingere, quia terminus est actus secundus, nullatenus indifferens ad procedendum à principio, sed summe determinatus ad procedendum, & tali modo procedendum; cumque processio se teneat ex parte actus secundi, & non primi, titulo fluxus, viæ. & emanationis, inde termino adscribenda est, & non principio; ideoque non potest esse productio puri termini, quamuis processio sit à puro principio. Id quod processio creata, vnde instantia vires acuebat, efficaciter confirmat. Nam licet quid medium sit inter principium, & terminum, intrinseca est termino, & extrinseca principio: ergo idem erit in processione diuina; Hæc autem non potest esse intrinseca termino, vinculo vnionis mediæ, vt est certum: ergo debet esse intriseca vinculo idẽtitatis. Et hic intrinsecus accessus processionis ad terminum, & non ad principium, ratio est, cur processio Diuina non possit esse puri termini, quamuis à puro sit principio.

SECTIO V.

Qua ratione processio actiua, & passiua differant inter se, & à termino producto.

44. NOn est difficultas de distinctione reali absoluta; constat enim ex dictis processionem actiuam, & passiuam esse idem realiter inter se, & cum relatione producta. Controuersia igitur est, de distinctione virtuali, obiectiua, & ex modo concipiendi; qua videlicet, ex eiusmodi distinctionibus, differant inter se, & à termino processio actiua, & passiua, & quo fundamento subsistat distinctio illa, qualiscumque ea sit Communis sententia docet processionem passiuam nec virtualiter, nec obiectiue distingui à termino producto

producto; idemque asserit de processione actiua respectu principij producentis, cui identificat illam. Qui vero actiuam, & passiuam identificant realiter inter se, & cum termino producto, similiter docent non distingui virtualiter, nec obiectiue à relatione producta. Circa Distinctionem vero ex modo concipiendi, Molina censet non distingui processionem passiuam à termino cum fundamento ex parte obiecti. Communis vero sententia oppositum tuetur.

45. Assero prima processionem actiuam, & passiuam non distingui virtualiter, aut obiectiue inter se. Probatur, quia vt statui de essentia & Attributis, ea tantū in diuinis distinguuntur virtualiter, aut obiectiuè, quæ cum identitate reali, vel componunt prædicata realiter contradictoria, vel sunt virtute, & æquiualenter, principium, & terminus; at processio actiua, & passiua inter se non fundant prædicata realiter contradictoria, nec sunt virtute, & æquiualenter principium, & terminus: ergo neque distinguuntur virtualiter, aut obiectiue inter se. Secunda minoris pars clara est, quia integra ratio principij realis est in sola relatione producentis, à qua distinctam esse processionem, tam actiuam, quam passiuam, ostendimus supra; ratio vero principij virtualis solum competit absoluto respectiue ad processionem: ergo. Prima probatur, quia nihil competit realiter processioni actiuæ, quod non etiam competat passiuæ: ergo nulla fundant inter se prædicata realiter contradictoria.

46. Et confirmatur. Quia si processio actiua & passiua distinguerentur virtualiter inter se, essent duæ relationes inter se virtualiter distinctæ: id autem implicat: ergo. Minor est certa, essent enim in diuinis octo relationes, scilicet Paternitas, Filiatio, eiusque processio actiua, & passiua, Spirator, & Spiritus sanctus, eiusque processio actiua, & passiua, contra certam Theologiam quatuor tantum relationes in diuinis profitentem. Sequela ostenditur, quia quilibet conceptus processionis, cum absolutus non sit, debet esse respectiuus: ergo si processio actiua virtualiter esset à passiua distincta, essent duæ relationes; Etenim ad relationes multiplicandas sufficit distinctio virtualis inter ipsás, vt patet in relatione Spiratoris, quæ

Processio actiua, & passiua non distinguuntur virtualiter, aut obiectiue inter se.

P virtualiter

virtualiter tantum distincta est à Paternitate, & Filiatione.

47. Probatur secundò nostra conclusio. Quia intelligi non potest processio actiua, quin formaliter & directè passiua concipiatur: ergo non distinguuntur obiectiuè. Antecedens probatur, eo ipso, quod intelligatur id, quo terminus producitur à principio, intelligitur id, quo principium est producens terminum, & è contra; nam formaliter in obiecto, id, quo terminus est productus à principio, est id, quo principium est producens terminum: ergo non poterit intelligi formaliter processio actiua, siue id, quo principium est producens terminum, quin intelligatur passiua, siue id, quo terminus est productus à principio.

Nec processio actiua aut passiua distinguuntur virtualiter, aut obiectiuè à termino producto.

48. Assero secundò, neque processionem actiuam, & passiuam distingui virtualiter, aut obiectiuè à termino producto. Patet ex dictis: Etenim processio esset relatio à principio realiter distincta: à termino vero virtualiter: ergo processio Filij esset relatio distincta à Paternitate, & Filiatione, & processio Spiritus sancti esset relatio distincta à relatione Spiratoris, & Spiritus Sancti; vnde sex essent in diuinis relationes, quod absurdum est, ergo processio actiua& passiua, nec virtualiter, nec obiectiue distinguuntur à termino.

Processio actiua, & passiua non distinguuntur inter se ex modo concipiendi cum fundamento ex parte obiecti.

49. Assero tertiò processionem actiuam & passiuã nõ distingui inter se ex modo concipiendi cũ fundamento ex parte obiecti. Probatur quia nullum est fundamentũ ex parte obiecti, ad distinguendum id, quo principium producit terminum, ab illo, quo terminus est productus à principio; sicut fundamentum non est ex parte obiecti, ad distinguendũ id, quo ego amo Deum, ab illo, quo Deus amatur a me: id autem, quo principium producit terminum, est processio actiua, id vero, quo terminus producitur à principio, est processio passiua: ergo nullum est fundamentum ex parte obieci ad distinguendas ex modo concipiendi processionem actiuam, & passiuam.

50. Confirmatur. Fundamentum ex parte obiecti, ad distinguendos conceptus ex nostro modo intelligendi, vel essent diuersa connotata, vel æquiualentia entibus realiter distinctis, vel esse rationem conueniendi, & disconueniendi: nihil horum competit processioni actiuæ, & passiuæ: ergo.

Minor

Minor probatur, quia eadem connotata respicit processio actiua, & passiua, vtraque enim respicit principium, & terminum, vt constat ex dictis: insuper nulla est in illis æquiualentia entibus realiter distinctis, cum nullibi appareat processio actiua, sine passiua, aut econtrà. Denique, neque est ratio conueniendi, & disconueniendi, quia cum nullo est ratio conueniendi processio actiua, quocum non sit etiam ratio conueniendi passiua: ergo, &c.

51. Assero quartò processionem actiuam, & passiuam distingui à termino ex modo concipiendi cum fundamento ex parte obiecti. Fundamentum autem ex parte obiecti voco, non quod sufficiens sit ad aliquid affirmandum de vno conceptu, & idem negandum de alio; hoc enim impossibile est absque distinctione ex parte obiecti, sed quod dat ansam intellectui ad concipiendum præscisiuè idem obiectum, modo vt rationem conueniendi, modo vt distinguendi, quod in indiuisibilem formalitatem cadere potest. Dixi *præscisiuè*, quia negatiue concipere vt rationem conueniendi, & non conueniendi possibile non est vnicæ formalitati, cum sint prædicata contradictoria. Hoc posito.

Processio actiua, & passiua distinguuntur à termino ex modo cōcipiendi cū fundamento ex parte obiecti.

52. Probo assertum. Quia processio diuina tam actiua, quàm passiua, quâ processio est, est ratio conueniendi cum processione creata; quâ vero terminus est, est ratio disconueniendi cum illa; econtrà, quâ terminus est ratio conueniendi cum effectu creato, & quâ processio, est ratio disconueniendi cum illo. Insuper processio diuina, & terminus æquiualent entibus realiter distinctis, actioni scilicet, & termino creatis: ergo sicut natura diuina, & subsistentia absoluta ob similes rationes distinguuntur ex modo concipiendi cum fundamento ex parte obiecti, idem erit de processione diuina, & termino, cum eadem sit omnium ratio.



DISPVTATIO VI.

De principiis diuinarum proceſsionum productiuis.

Quid ſit principium (quod) diuinæ proceſſionis.

1. DHVC non diſputo de proceſſione, vt communicatio eſt, id præſtiturus diſputatione ſequenti, ſed quatenus productio eſt. Principium ergo proceſſionis eſt duplex. Vnum *quod*, qualis eſt Pater reſpectu Filij, & Spirator reſpectu Spiritus ſancti. Alterum *quo*, id eſt, potentia, ſeu virtus productiua proceſſionis. Sic homo generans dicitur principium *quod* geniti: anima vero, quæ ſola eſt potentia, ſeu virtus productiua geniti, eſt principium *quo*. Præcipuum ergo certamen ineundum nobis eſt de principio *quo* diuinæ proceſſionis.

SECTIO I.

Quid ſit principium quo *proximum productiuum diuinæ proceſsionis.*

2. DIxi *proximum*, nam de principio productiuo remoto, An ſcilicet natura diuina ſit principium *quo* remote productiuum diuinæ proceſsionis, futura eſt nobis in ſequentibus Diſputatio. Præſens igitur controuerſia eſt, An principium *quo*, realiter immediate productiuum, (non enim agitur de virtuali) diuinæ proceſsionis ſit quid relatiuum, ſcilicet relatio producentis, vel quid abſolutum, videlicet natura Diuina, aut intellectio, aut volitio.

Primo

3. *Prima*, & communis sententia tuetur principium, *quo* proximum productiuum diuinarum processionum esse quid absolutum, intellectionem, scilicet respectu Filij, & volitionem respectu Spiritus sancti. Ita Thomistæ, & ex nostris P. Soarius, Zuñiga, Tannerus, Granadus, quos citat, & sequitur P. Arriaga fere tota disp. 45. Maxime sect. 4. Qui omnes docent, relationem, verbi gratia, Patris, solam esse conditionem, vel quasi actionem virtutis generatiuæ, & relationem Spiratoris, virtutis Spiratiuæ; virtutem autem generatiuam solam esse intellectionem, & Spiratiuam solam volitionem. Thomistæ. P. Soarius. P. Zuñiga P. Tannerus P. Granadus P. Arriaga.

Secunda sententia asserit principium *quo* proximum productiuum diuinarum processionum consistere in absoluto simul, & relatiuo, tanquam in potentiis, & virtutibus partialibus, ita vt sua virtus correspondeat absoluto, & sua quoque relatiuo. Ita P. Valentia disp. 2. quæst. 5. p. 2. P. Ruiz, disp. 100. sect. 4. P. Valentia P. Ruiz

Tertia defendit integram, & adæquatam virtutem productiuam, siue principium *quo* proximum consistere in sola relatione producentis, vt virtualiter ab omni absoluto distincta. Tribui solet Bonauenturæ, Durando, Alarcon, & Albis, eamque tenet melior Recentiorum pars. S. Bonauent. Durandus Albis P. Alarcon.

4. Asserendum est cum tertia sententia principium *quo* siue virtutem productiuam diuinarum processionum consistere in solo relatiuo Personæ producentis; vnde principium Filij, erit sola Paternitas, & Spiritus sancti sola relatio Spiratoris. Communis huius asserti ratio mihi solida est, & efficax, quam sic expono. Idem non potest esse naturaliter potentia, seu virtus physice, & realiter productiua sui ipsius: principium autem *quo* proximum productiuum est virtus, seu potentia physice, realiter, & naturaliter productiua: ergo non potest esse virtus, seu potentia productiua sui ipsius; ergo termini producti ab ipsa realiter distincti: at nihil absolutũ est realiter distinctum à termino producto: ergo neque poterit esse adęquate vel inadequate potentia, seu virtus productiua illius. Minor certa est, & vtrique sententiæ cõmunis. Maior autem hactenus inconcussa fuit in omni Philosophia, & Theologia. Etenim, licet plures doceant in Philosophia idem posse de absoluta potentia, & extraordinario concursu, se ipsum producere; id vero connatu- Principium quo diuinarum processionum cõsistit in solo relatiuo Personæ producentis.

raliter possibile esse, merito detestantur omnes, tanquam rem vni ex principiis per se notis inimicam.

5. Confirmo. Quia potentia, seu virtus productiua, quæ connaturaliter non est Deo possibilis, id est, quæ connaturalis non est Deo, nec possibilis est illi de absoluta potentia, maxime in his, quæ Deo necessaria sunt. Etenim respectu Dei nulla est possibilis eleuatio, cum nullum sit possibile principium iuuans, & firmans ipsius virtutem. Deo autem impossibilis est potentia, seu virtus physice, realiter, & connaturaliter productiua sui ipsius, ergo omnino erit illi impossibilis: ergo virtus, seu potentia physice, & realiter productiua, debet esse termini physice, & realiter distincti.

6. Firmo iterum. Idem non potest esse virtualis potentia sui ipsius virtualiter productiua, ergo neque poterit esse potentia sui ipsius realiter productiua. Antecedens est commune, etiam aduersariis constituentibus distinctionem virtualem inter potentiam productiuam, & terminum virtualiter productum. Consequentia autem firma est; ideo enim idem non potest esse sui virtualis potentia productiua, quia idem eo modo, quo non distinguitur, non potest esse principium, ergo quod realiter non distinguitur, non potest esse reale principium, connaturaliter saltem. Et ratio omnium est, quia continentia emminentialis, qualis est potentia productiua, essentialiter est termini distincti, aliter esset continentia formalis; vnde continentia virtualis est termini virtualiter distincti, ergo continentia realis, erit termini realiter distincti.

Responsio P. Arriagæ expuncta.

7. Respondet P. Arriaga idem posse esse potentiam, seu virtutem physice, & realiter productiuam sui ipsius, dummodo actio sit distincta. (Actionem vocat in diuinis processionem actiuam, quam identificat cum relatione producentis.) Hæc tamen responsio, qua parte supponit processionem actiuam identificatam cum relatione producentis, expuncta à nobis est disputatione præcedenti. Qua vero parte asserit, idem posse esse potentiam, seu virtutem physice, & realiter sui productiuam, valde displicet. Etenim vel loquitur de potentia absoluta, & id locum non habet in Deo. Vel connaturaliter, & sic rogo, ex qua bona Philosophia traxerit originem

Doctrina

Doctrina illa, vnde P. Arriaga suam tentat firmare solutionem. Mihi quidem somnium est in creatis, posse idem esse potentiam, & virtutem physicam sui connaturaliter productiuam, quidquid sit de potentia absoluta, quamuis mille superabundent actiones à termino producto distinctæ: ergo.

8. Melius, & probabilius responderi posset, idem non posse esse potentiam, & virtutem productiuam physicam, & connaturalem sui ipsius, quando inter virtutem, & terminum nulla intercedit virtualis distinctio componens prædicata realiter contradictoria, vt contingit in creatis: Secus vero in diuinis, vbi ea reperitur distinctio inter absoluta, & relatiua, & consequenter inter virtutem physice productiuam, & terminum productum. Cur etenim distinctio virtualis inter absoluta, & relatiua, poterit connaturaliter componere produci, realiter, & non produci realiter, & non poterit connaturaliter componere, esse potentiam, seu virtutem realiter productiuam, & terminum realiter productum. Responsio distinctionis virtualis reiecta.

9. Contra tamen, quia si semel licitum esset extendere in diuinis à paritate distinctionem virtualem, pœnitus rueret Trinitas, & distinctio Personarum. Etenim si, quia absoluta, & relatiua cum distinctione virtuali componere possunt produci, & non produci realiter, etiam possunt componere potentiam, seu virtutem productiuam realiter, & terminum productum: ergo quia similiter absoluta, & relatiua cum distinctione virtuali componere possunt productum, & improductum, etiam possunt componere producens, & productum. Vnde principium *quod* producens, non distingueretur realiter à producto, & consequenter neque Pater à Filio, nec vterque à Spiritu sancto; sicut ergo distinctio virtualis extendi non potest ad principium *quod*, eiusque terminum productum. Similiter contendimus, nec posse extendi ad principium *quo*, eiusque terminum. Et ratio est, quia principium *quod* realiter opponitur termino producto, ratione solius virtutis physice, & realiter productiuæ: ergo potentia, seu virtus physice, & realiter productiua erit realis oppositio cum termino producto: ergo & realis distinctio, quæ in diuinis tota nititur in reali oppositione. Vnde distinctio virtualis ad virtutem realiter productiuam, eiusque terminum extendi non possit.

10. Nec

10. Nec dicas principium *quod* opponi realiter termino producto, quia continet conditionem necessariam virtutis productiuæ, & oppositam termino. Nam conditio virtutis productiuæ nullam potest dicere maiorem oppositionem cum termino, quam ipsa potentia productiua; Aliter dicito mihi, vnde conditio opponatur termino, si neque sit virtus productiua, nec productio illius. Quomodo insuper conditio posset esse conceptus realiter respectiuus, cum virtus realiter productiua talis non sit. Libens parco aliis Recentiorum rationibus, quæ mihi efficaces non sunt, nec nostri fundamenti hactenus vidi solidam responsionem.

Perfectio absoluta nec inadæquate potest esse virtus realiter productiua.

11. Ex dictis colligo contra secundam sententiam perfectiones absolutas non esse adhuc inadæquatam potentiam, seu virtutem productiuam realem. Tum quia idem inadæquate esset potentia, & virtus realis, & connaturaliter, sui productiua, quod pænitus repugnat. Tum etiam quia si aliquid posset esse inadæquatum, & reale principium absque reali distinctione à termino: ergo relatiuum, verbi gratia, Paternitas cum tantum esset reale principium inadæquatum, non posset inde realiter à termino distingui; vnde illi sententia explicanda restat oppositio principij *quo* inadæquati cum termino, seorsim à potentia reali inadæquate productiua, cum ista ex se non opponatur termino producto.

SECTIO II.

Obiectionum solutione firmatur nostra conclusio.

Qualiter principium *quo* Persona generat solũ sit, quod communicabile est.

12. Obiicies primò, in Concilio Florentino sessione 18. approbata fuit, quamuis non definita, hæc propositio Ioannis Theologi. Principium quo Persona generat, est id solum, quod communicabile est: at relatiuum Personæ generantis, verbi gratia, Paternitas, non est communicabile, sed solum absolutum: ergo solum absolutum est principium *quo* Persona generat, & nullatenus relatiuum, quod prorsus incommunicabile est. *Respondeo* primo eam doctrinam intelligendam

gendam esse de principio *quo* communicatiua; non vero de productiuo. *Secundo* intelligendam esse de principio *quo* redicali, id est, de radice principij formalis, & proximi, qualis est substantia, seu essentia Diuina respectu Paternitatis, quæ est principium productiuum *quo* Persona generat. Similiter intelligendi sunt Patres illam Doctrinam amplectentes.

13. Obiicies secundo. Si absolutum non posset esse principium *quo* productiuum, neque posset esse principium *quod*; Vnde intellectio nulla ratione esset principium Verbi, nec amor Spiritus sancti: ergo. Sequela probatur. Ideo absolutum non potest esse principium *quo* productiuum, quia hoc debet distingui à termino producto: sed etiam principium *quod* debet distingui à termino producto: ergo sicut absolutum non potest esse principium *quo*, neque posset esse principium *quod*. *Respondeo*, principium *quod* absolute, nec dici solum absolutum, nec solum relatiuum, sed coniunctum ex vtroque; Nihilominus tamen negari potest sequela. Et ad probationem distinguo maiorem, ideo absolutum non potest esse principium *quo* productiuum, quia hoc debet distingui adæquate à termino, concedo: inadequate, nego. At principium *quod*, cum sit integra Persona producens, non debet, nec potest adæquate distingui à termino producto, cum natura indistincta sit. Vnde intellectio poterit esse principium *quod* communicatur, quamuis non poterit esse principium *quo* terminus producitur. Qua ratione absolutum posset esse principium *quod*; non vero *quo*.

14. Obiicies tertiò. Illud est principium *quo*, seu virtus productiua à qua immediate oritur termini productio; atqui termini productio immediate oritur à natura Diuina, seu essentia Diuina, ergo essentia diuina erit principiũ *quo*, seu potentia productiua. Minor probatur. Quia vel productio termini, verbi gratia, Filij est Paternitas, vel ipsa Filiatio: vtraq; oritur immediate à natura Diuina: ergo & productio termini. Minor certa videtur, quia natura Diuina est immediata radix omniũ relationũ. *Resp.* distinguens maiorem. Illud est principium *quo*, seu potentia productiua à qua immediate oritur termini productio, realiter, concedo: virtualiter, nego: à Diuina vero essentia virtualiter oritur termini productio, sicut ipsæmet relationes; quia tantum virtualiter distinguitur ab illis. Hic autem Qualiter à principio *quo* oriri debeat termini productio.

non differtur de principio *quo*, seu potentia virtuali, sed reali formali, vnde sicut potentia virtualiter productiua debet esse virtualiter à termino distincta, ita contendimus potentiam realiter productiuam debere esse distinctam realiter à termino, ideoque non posse esse aliquid absolutum, sed solum quid relatiuum.

Qualiter de ratione Verbi sit produci ab intellectu, & de ratione amoris à voluntate.

15. Obiicies quartò. In Diuinis Secunda Persona est proprie Verbum; Tertia vero amor: atqui de ratione Verbi est produci ab intellectu, & de ratione amoris produci à voluntate, tanquam à principiis proximis: ergo potentia productiua Verbi, & Spiritus sancti erit quid absolutum, scilicet intellectus, & voluntas. *Respondeo* distinguens Minorem. De ratione Verbi est produci ab intellectu, & de ratione amoris produci à voluntate realiter, nego: virtualiter, concedo. Et nego consequentiam de potentia realiter productiua. Nam in creatis Verbum realiter producitur ab intellectu, & amor à voluntate, quia inter eos actus, eorumque potentias realis intercedit distinctio; in diuinis autem impossibilis est talis distinctio, & consequenter impossibile etiam, quod intellectus sit potentia realiter productiua Verbi, & voluntas productiua realiter Spiritus sancti.

16. Obiicies quintò. Potentia radicalis, & remota, in diuinis non distinguitur realiter à termino producto: ergo neque potentia proxima distingui debet realiter à termino producto; vnde poterit esse quid absolutum. Consequentia videtur manifesta, quia vtraque virtus tam proxima, quam remota est verissime virtus, & potentia productiua: ergo vtraque, vel neutra distinguenda est à termino producto. Antecedens ergo probatur, quia natura Diuina est potentia radicalis, & remota, cum sit radix potentiæ proximæ, scilicet Paternitatis, & Spirationis actiuæ: at natura diuina non distinguitur realiter à termino producto, ergo.

Cur potentia proxima debeat esse à termino distincta & nō remota.

17. Respondeo concesso antecedenti, negans consequentiam. Disparitas est, quia in diuinis potentia proxima est realiter productiua termini; ideoque realiter ab illo distincta: potentia autem remota non est realiter virtus productiua termini, quia ad id non sufficit, esse virtuale principium poten-

tiæ

tiæ, seu virtutis proximæ, sed deberet esse reale principium illius; Etenim potentia remota non aliter est principium termini, seu relationis, nisi quatenus est principium potentiæ, seu virtutis proximæ: ergo si non sit principium reale potentiæ, seu virtutis proximæ, neque erit potentia realis remota termini. Dicitur ergo natura Diuina potentia radicalis, & remota, non quia producat realiter adhuc remote, sed quia est virtualis radix, & principium potentiæ realiter productiuæ.

18. Instabis. Natura diuina est potentia radicalis, & remota termini producti: non autem est potentia radicalis, & remota termini producti virtualiter, ergo realiter formaliter, cum inter has potentias medium non detur. Minor probatur. Quia potentia remota virtualis non respicit terminum per potentiam proximam illius realiter productiuam, sed per potentiam proximam virtualiter tantùm productiuam: at natura diuina, vt est potentia remota Verbi diuini, seu Filij, respicit illum per potentiam proximam, scilicet Paternitatem realiter productiuam: ergo non est potentia radicalis, seu remota virtualis, sed est potentia realis formalis.

19. Confirmatur. Natura diuina est principium virtuale proximum omnium relationum, vt posuimus tractatu de essentia, & Attributis: ergo non est principium virtuale remotum. Ad id enim opus est, non esse principium proximum, & immediatum; eo enim ipso, quod aliqua virtus, seu potentia, immediate sit principium alicuius termini, non est potentia illius remota, sed proxima; esse enim principium proximum, & immediatum, idem est: ergo cum natura Diuina sit principium virtuale proximum termini producti, remotum non erit.

20. Respondeo negans minorem, probationisque maiorem. Potentia enim remota virtualis respicere potest terminum per potentiam proximam realiter productiuam, dummodo respectu virtutis, & potentiæ proximæ, tantum sit radix, seu potentia virtualis, qualiter se habet natura Diuina respectu Paternitatis, & relationis Spiratoris, quæ sunt potentia proxima realiter productiua. Ad confirmationem, Respondeo, Essentiam diuinam dupliciter respicere terminum productum, Quot modis essentia diuina respiciat terminum productum.

& immediate per se ipsam, tanquam principium virtuale immediatum illius, & mediate per principium reale formale, cuius ipsa diuina essentia est radix virtualis. Idcirco nihil implicat, quod sit potentia virtualis, proxima simul, & remota termini producti.

Principium reale *quo* Filij sola Paternitas, & Spiritus sancti sola relatio Spiratoris.

21. Ex hactenus dictis collige. Principium reale, *quo*, seu potentiam realiter Filij productiuam solam esse Paternitatem. Principium vero, seu potentiam Spiritus sancti realiter productiuam, solam relationem Spiratoris.

SECTIO II.

Quæ prædicata communia connotentur à relationibus, quatenus sunt principia quo proxime productiua.

22. Cum productio Personalis in Deo connexa sit essentialiter communicationi alicuius prædicati absoluti, necessario principium *quo* proxime productiuum debet illud cõnotare. Dixi, proxime productiuum; non quod respectu productionis Personalis possibile sit in Deo principium remotum, quatenus hoc dicit absentiam, seu defectum requisiti, id enim impossibile Deo prorsus est; dicitur ergo proximum; quatenus excludit absentiam, seu defectum requisiti ad producendum. Quærimus ergo, quæ prædicata diuina absoluta connotentur à relationibus, quatenus sunt principium *quo* proxime productiuum, id est, quæ prædicata absoluta communicanda exigantur à relatiuis, vt suum terminum producant.

23. Hæc difficultas consimilis est alteri in hac materia celeberrimæ, illique connexa. Cur videlicet, secunda Persona Filius sit, & verbum, potius quam tertia. Qui ergo tuentur

Ablis. Perez.

cum Albis tract. 1. de scientia Dei disp, 2. sect. 6. & nostro Martino Perez hic disp. 3. sect. 3. ···rũque actum intelligendi, & volendi communicari formaliter ex vi processionis, tam secundæ, quam tertiæ Personæ, consequenter docere tenentur, tam relationem

lationem Paternitatis, quam Spiratoris, in esse principij proxime productiui, vtrumque actum connotare. Qui vero cum Magno Soario existimāt secundæ Personæ ex vi formalis processionis solam communicari intellectionem, & tertiæ solam volitionem; si principium *quo* proxime productiuum in relatiuo constituant, dicere tenentur, Paternitatem, in esse principij generatiui, connotare intellectionem tantum; Spirationem vero actiuam, in esse principij spiratiui, solam volitionem.

24. Ego vero ex dicendis suppono, secundæ Personæ ex vi processionis, saltem integralis, communicari omnia prædicata absoluta necessaria, quæ sunt in Deo, ita tamen, vt sola intellectio sit ratio formalis communicandi; cætera vero prædicata omnia, sint res per intellectionem communicatæ. Suppono insuper, tertiæ Personæ ex vi processionis saltem integralis communicari etiam omnia prædicata absoluta necessaria, quæ sunt in Deo; ita tamen, vt sola volitio sit ratio formalis communicandi, cætera vero prædicata communia sint res communicatæ, vt constabit disp. sequenti. Dixi, *saltem integralis*, quia ad constitutiuum formale Filij, sola pertinet natura diuina per intellectionem communicata. Et ad constitutiuum Spiritus eadem natura per volitionem ipsi coniuncta; & ad summum etiam intellectio propter specialem dependentiam volitionis ab illa. His inferius stabiliendis suppositis

Quid ex vi processionis vtrique Personæ communicetur.

25. Assero primo, Paternitatem in esse principij generatiui, de constitutiuo integrali, connotare omnia prædicata absoluta necessaria; hoc tamen discrimine, quod sola intellectio connotatur, vt ratio formalis commúnicandi; cætera vera vt res per intellectionem communicata. De constitutiuo vero formali, solam connotari naturam diuinam per intellectionem communicatam, Prima pars probatur, quia omnia prædicata absoluta necessaria pertinent ad integritatem Filij, vt est certum, aliunde sola intellectio est ratio formalis communicandi illi alias perfectiones absolutas, vt ostendam disp. sequenti: ergo Paternitas in esse principij generatiui integri, connotare debet omnes diuinas perfectiones absolutas per intellectionem communicandas.

Paternitas esse principij generatiui, quæ prædicata communia connotet.

 26. Secunda

26. Secunda pars, videlicet, Paternitatem, in esse principij generatiui, de constitutiuo formali, solam connotare naturam Diuinam per intellectionem communicatam, probatur. Quia ad constitutiuum formale alicuius entis, illud tantum pertinet, quo deficiente, etsi cætera ponãtur per possibile vel, impossibile, res deficeret: & quo persistente, etsi cætera per possibile, vel impossibile deficerent, persisteret res. Persistente autẽ sola natura Diuina per intellectionem communicata, persisteret Filius, & hac præscise deficiente, deficeret, & si cætera per possibile, vel impossibile manerent; vt in sequentibus ostendam: ergo id tantum erit de formali constitutiuo Filij: ergo Paternitas in esse principij generatiui, de constitutiuo formali solam connotabit naturam diuinam per intellectionem communicatam; id enim, de constitutiuo formali, connotare debet principium, quod formaliter terminum constituit.

27. *Confirmatur.* Principium generatiuum diuinum illud connotare debet de constitutiuo formali, quod formaliter exigitur ad generationem diuinam, ad istam autem sola exigitur formaliter natura diuina per intellectionem communicata: nam his præscise stantibus, consisteret in diuinis, origo viuentis à principio viuente coniuncto in similitudinem naturæ, vt disp. 10. constabit: ergo principium generatiuum de constitutiuo formali solam connotat naturam diuinam per intellectionem communicatam.

Relatio Spiratoris quæ prædicata communia connotet in esse principij spiratiui.

28. Assero secundo, Spirationem actiuam, seu relationem spiratoris, in esse principij spiratiui productiui Spiritus sancti, de constitutiuo integrali, connotare omnia prædicata absoluta necessaria; hoc tamen discrimine, quod sola volitio connotatur vt ratio formalis communicandi; cætera vero, vt res per volitionem communicata. De constitutiuo vero formali, solam connotari naturam, vel ad summum etiam intellectionem volitione communicatam. Prima pars probatur, quia omnia prædicata absoluta necessaria pertinent ad integritatem Spiritus sancti, non minus, quam Filij: ergo spiratio actiua in esse principij spiratiui integri, connotare debet omnes diuinas perfectiones necessarias absolutas volitione communicandas. Secunda pars ostenditur, quia stante natura Diuina per volitionem

tionem communicata, staret quidquid formalitèr necessarium est ad productionem Spiritus sancti, vt de natura per intellectionem communicata dictum est de Filio: ergo sicut principium generatiuum de constitutiuo formali, solam connotat, de constitutiuo formali naturam intellectione communicatam, ita spiratio actiua solam connotabit eandem naturam volitione communicatam.

29. Quæ autem hic obiici possent. Quomodo videlicet, sola intellectio sit ratio formalis communicandi respectu Filij; non vera volitio, cum tamen sint realiter idem. Quomodo insuper sola volitio, & non intellectio sit ratio formalis communicandi respectu Spiritus sancti. Quomodo denique vtrique Personæ formaliter ex vi processionis communicetur natura diuina, nec tamen vtriusque processio generatio sit, soluam, & dirimam ex professo, tum disputatione sequenti, tum etiam disput. 10.



DISPVTATIO VII.

De principio communicatiuo diuinarum processionum.



VPPONO, principium communicatiuum *quod*, esse Personam propriam perfectionem alteri communicantem, sicut principium productiuum *quod*, est Personam alteram producens. Difficultas autem præsens, non est de principio communicatiuo *quod*, sed de principio communicatiuo *quo*, seu virtute communicandi. Quia tamen huiusmodi principij notitia vnicè pendet ab intelligentia communicationis, præmittam, quid sit communicatio in processionibus diuinis, vnde clarius principium communicatiuum deprehendetur. Quid sit principium communicatiuum *quod*.

SECTIO

SECTIO I.

Quid sit communicatio in processionibus diuinis.

Quid communicatio in fieri, quid in facto esse

2. Communicatio solita est communiter distingui duplex. Vna in fieri, altera in facto esse. Communicatio in fieri se tenet ex parte Personalitatis productæ, estque identitas istius cum prædicato absoluto. Huiusmodi communicatio nihil est diuersum à relatione producta, seu productione illius; vnde principium communicatiuum in fieri, aliud re non est, quam principium productiuum, de quo satis actum in superioribus. An autem huiusmodi communicatio stricta, & rigorosa sit, quæstio posse esse de voce, in qua pars negatiua videtur probabilior: nam Personalitas producta est terminus *cui*, & quasi subiectum communicationis: à quo non minus communicatio, quam ipsa perfectio communicanda, distincta est à subiecto.

Communicationis in facto esse communis explicatio.

3. Communicatio in facto esse se tenet ex parte perfectionis absolutæ, estque stricta, & rigorosa communicatio, cuius quidditatem inquirimus. Communis sententia supponere videtur, communicationem in diuinis esse identitatem prædicati communis cum relatione producta, sicut communicatio in creatis est vnio formæ cum subiecto. Sic intellectio diuina, titulo identitatis cum Filiatione, est communicatio respectu Filij, & amor diuinus, titulo similis identitatis cum spiratione passiua, est communicatio respectu Spiritus sancti.

Communicatio non est præcise identitas realis.

4. Mihi tamen id absque vberiori declaratione, non probatur. Nam si communicatio in diuinis præcise esset identitas perfectionis absolutæ cum relatione producta, nulla posset in diuinis consistere communicatio formalis, quod ab illius sententiæ Patronis enixe repudiatur. Sequela probatur. Quia absque identitate reali, nulla posset in diuinis consistere communicatio realis: ergo neque formalis absque identitate formali. Implicat autem identitas formalis prædicati communis cum relatione producta: cum omnia prædicata absoluta, non

solum

solum formaliter ratione nostra, sed etiam virtualiter distinguantur à relatione producta: ergo & implicabit communicatio formalis.

5. Dices primo ad communicationem formalem sufficere identitatem realem, vices gerentem vnionis formalis. Contra, quia fieret inde prædicata omnia absoluta formaliter communicari vtrique Personæ procedenti, quod fugiunt constanter aduersarij. Sequela probatur, quia omnia prædicata absoluta identificantur realiter cum vtraque relatione producta: ergo si communicatio formalis esset præcise, identitas realis prædicati communis cum relatione producta, omnia prædicata absoluta vtrique Personæ procedenti, formaliter communicarentur, cum par, & æqualis sit identitas realis cum vtraque.

6. Dices secundo, formalem communicationem præter identitatem realem prædicati communis addere in relatione producta specialem exigentiam, qua postulat prædicatum absolutum, tanquam formale sui specificatiuum. Sic Filiatio exigit intellectionem, potius quam volitionem: econtra vero spiratio passiua exigit volitionem potius, quam intellectionem.

7. Contra *primo*, quia exigentia illa non spectat ad communicationem in facto esse, sed in fieri, qualiscumque ista sit, cum tota se teneat ex parte relationis productæ. *Secundo*, quia etiamsi materia exigeret vnam formam præ alia, nunquam ea exigentia spectaret ad communicationem formæ. *Tertio*, quia Filiatio, saltem mediate, exigit tanquam sui specificatiuum amorem diuinum, cum procedat formaliter ex illius cognitione, quæ immediate formaliter specificatur à suo obiecto: nec tamen vlla stat formalis communicatio adhuc mediata amoris respectu Filij, in sententia eorum Doctorum: ergo neque ratione exigentiæ immediatæ intellectionis stabit communicatio formalis immediata.

8. Assero igitur, communicationem in diuinis, esse operationem ad intra, intellectionem scilicet, & volitionem. Vnde formalis communicatio erit formalis intellectio, aut volitio. Probatur, quia in diuinis non alia ratione communicatur Cōmunicatio in diuinis est operatio ad intra, scilicet intellectio

 perfectio

respectu Filij, & volitio respectu Spiritus sancti.

perfectio aliqua, nisi intelligendo, aut volendo: ergo communicatio erit intellectio, aut volitio. Probatur consequentia, tum quia id, quo perfectio communicatur est communicatio: ergo cum in diuinis communicetur intelligendo, & volendo, intellectio, aut volitio erunt communicatio. Tum etiam, quia intellectio, & volitio, vt in superioribus statutum est, nec sunt virtus productiua, nec productio: ergo erunt communicatio, aliud enim munus illis obeundum in processionibus diuinis non restat.

Augustinus. Fulgentius. Cyrillus. S. Thomas.

9. *Confirmatur.* Nam Filium procedere per intellectionem necessariam & spiritum per similem amorem, constans est Patrum sententia. Augustinus 15. de Trinitate cap. 10. *Necesse est, cum Verbum loquitur ex ipsa scientia, quam memoria tenemus, nascatur Verbum.* Fulgentius lib. 3. ad Monimum cap. 7. *Nihil aliud est apud se dicere, quam apud se cogitare, cum ergo mens cogitat, cogitando Verbum generat.* Irenæus lib. 2. aduersus hæreses cap. 48. *Ex cogitatione, & sensu Verbum emittitur.* Cyrillus Alexandrinus lib. 1. thesauri cap. 7. *Intelligendum est, sic ex Patre natum Filium, vt sapientia ex mente, quæ quodammodo esse à mente per expressionem videtur.* S. Thomas quæst. 27. art. 3. duas in Deo processiones statuit, eo quod vna, scilicet Verbi, fit per intellectionem, quam vocat actionem intelligibilem, alteram verò, Spiritus sancti, per amorem. Ex hoc firmissima Patrum Doctrina, quamquam P. Zuñiga disp. 3. dub. 6. num. 5. vocat principium Fidei.

10. Ita differo. Filium procedere per intellectionem, & Spiritum sanctum per volitionem, denotat, munus aliquod speciale præstari ab illis actibus in processionibus diuinis: hoc aliud esse non potest, nisi munus communicationis: ergo. Minor probatur, quia munera, quæ præstare possent illi actus in processionibus diuinis, sunt. Vel esse virtutem productiuam, aut productionem, & id non habere locum, constat ex dictis. Vel esse principium communicatiuum, & isti assignanda est perfectio diuina, quæ sit communicatio: nulla autem alia assignabilis est, nec aptior tali muneri, quam intellectio, & volitio: ergo intellectio, & volitio sunt communicatio.

11. Dices, in creatis intellectio, & volitio non sunt, nec esse possunt

possunt communicatio naturæ: ergo neque in diuinis. Non est paritas momenti. Tum quia in creatis intellectio & volitio non habent terminos Personales productos, nec habere possunt: cum tamen habeant in diuinis. Tum etiam quia generationes creatæ sunt pure physicæ, & non per actus intelligendi, aut volendi, quales sunt diuinæ processiones, ideo in diuinis intellectio, & volitio possunt esse communicatio, etiam si non possint in creatis.

SECTIO II.

Cur intellectio, & volitio sint communicatio.

12. Constat ex dictis sectione præcedenti, præscisam identitatem realem sufficientem non esse ad communicationem Diuinam. Tum quia omnia prædicata absoluta identificantur realiter relationibus productis, nec tamen omnia sunt communicatio. Tum etiam, quia vt ostendam sect. sequenti, intellectio identificatur realiter relationi Spiritus sancti, nec tamen est communicatio respectu illius, & volitio identificatur realiter Filiationi, quin sit respectu ipsius communicatio. Speciale aliquid ergo desideratur ad communicationem in Diuinis vltra præscisam identitatem realem. Quid autem hoc sit inquirimus.

13. Vt clarius tamen procedamus aduertendum est. Communicationem bifariam posse contingere. *Primo* per vnionem, ratione formæ in creatis communicantur subiectis, & hæc locum non habet in Diuinis, vbi nulla est possibilis vnio realiter media inter perfectionem communicandam, & terminum cui communicatur. *Secundo*, per identitatem, quando res communicanda, & terminus, cui communicatur, sunt realiter idem. Vtroque modo communicatio est, immediata coniunctio rei communicandæ cum termino, aut subiecto, cui communicatur: sic vnio est immediata coniunctio formæ cum subiecto. Pariter dicendum est, communicationem per identitatem, esse immediatam coniunctionem perfectionis commu-

Communicatio alia per vnionẽ in creatis, alia per identitatem in Diuinis.

communicanda cum termino, cui communicatur. His præiactis, quibus nullus, qui rem bene nouerit, refragabitur.

Cur intellectio, & volitio sint cõmunicatio.

14. Assero primò, ideo intellectionem, & volitionem esse communicationes, quia sunt immediata coniunctio, seu identitas realis perfectionis communicandæ cum termino, cui communicantur. Et in ista immediata coniunctione, seu identitate reali consistit formalis communicatio, & etiam realis. Hæc conclusio constat ex dictis. Nam communicatio est immediata coniunctio perfectionis communicandæ cum termino, cui communicatur: ergo si intellectio, & volitio sint immediata coniunctio perfectionis communicandæ cum termino, cui communicatur, eo ipso erunt communicatio. Sicut in creatis vnio eo præscise est communicatio, quo est immediata coniunctio formæ cum subiecto.

15. Sed dices, vnde, aut quomodo intellectio, & volitio sint immediata coniunctio, seu identitas realis perfectionis communicandæ cum termino, cui communicatur? Hæc est vnica difficultas, quæ inexplicata nostram posset turbare sententiam. Et ratio dubitandi est. Quia omnis perfectio absoluta est identitas realis immediata, tam cum Filiatione, quam cum Spiratione passiua, seu relatione Spiritus sancti, nec tamen omnis perfectio absoluta est communicatio respectu Filij, aut Spiritus sancti, immo aliqua perfectio absoluta respectu nullius est communicatio: ergo hæc consistere non potest in coniunctione, seu identitate reali immediata perfectionis communicandæ cum termino, cui communicatur. Maior videtur perspicua, nam realiter non mediat identitas realis inter perfectiones absolutas, & relatiuas; atque adeo perfectiones absolutæ erunt immediata identitas realis ipsarum cum relationibus productis. Minor autem nostra est sententia, nam essentia diuina si ab intellectione distincta sit, respectu nullius est communicatio; nec volitio est communicatio respectu Filij, nec intellectio respectu Spiritus Sancti: ergo.

Cur intellectio sit immediata cõiunctio perfectionis communicandæ cum Filiatione.

16. Assero tamen secundò, Intellectionē ideo esse communicationem, seu identitatem realem immediatam perfectionis communicandæ cum termino, cui communicatur, scilicet Filiatione. Quia cum Filiatio, vt pote Verbum sit generis intelle

intellectiui tantum, formaliter, & realiter, solam exigit, & habet realiter, identitatem immediatam cum intellectione, cui identificari proprium est Verbi etiam in creatis. Cum autem in diuinis intellectio, titulo diuinæ simplicitatis identificetur realiter immediate cum volitione, & essentia diuina, etiam si ista sit virtualiter ab intellectione distincta, inde fit, Filiationem media intellectione identificari realiter volitioni, & essentiæ; & intellectionem esse immediatam coniunctionem earum perfectionum cum Filiatione. E contra vero cum spiratio passiua, sit generis tantum volitiui, formaliter, & realiter; solam exigit, & habet realiter identitatem realem immediatam cum volitione. Cum autem volitio in diuinis, titulo diuinæ simplicitatis, identificetur realiter cum intellectione, & essentia: inde fit Spirationem passiuam media volitione identificari realiter intellectioni, & essentiæ, & volitionem esse immediatam coniunctionem earum processionum cum Spiratione passiua.

Cur volitio sit immediata coniunctio perfectionis communicandæ cum Spiratione passiua.

17. Itaque Filiatio ita identificatur realiter intellectioni, vt si per impossibile intellectio non identificaretur realiter volitioni, neque illi realiter identificaretur Filiatio; vnde tota ratio formalis, cur filiatio identificetur realiter volitioni, ea est, quia intellectio illi immediate realiter identificatur, & in hac coniunctione consistit communicationis ratio, propria intellectionis: Non aliter spiratio ita identificatur realiter volitioni, vt si per impossibile volitio non identificaretur realiter intellectioni, neque illi realiter identificaretur spiratio passiua; vnde tota ratio formalis cur spiratio passiua identificetur realiter intellectioni, ea est, quia volitio illi realiter identificatur, & in hac coniunctione consistit communicationis ratio propria volitionis. Vnde satis constat cur, & quomodo intellectio, & volitio sint immediata coniunctio, seu identitas realis perfectionis communicandæ cum termino producto, cui communicatur. Restat nunc, vt obiectionum solutione rem amplius confirmemus.

18. Obiicies primò. Inter perfectiones absolutas, & relatiuas nulla intercedit distinctio realis immediata: ergo stat identi-

tas realis immediata: ergo Filiatio realiter immediate non solum identificatur intellectioni, & Spiratio passiua volitioni; sed vtraque omni perfectioni absolutæ, atque adeo Filiatio immediate realiter identificabitur volitioni, & Spiratio passiua intellectioni. Prior consequentia probatur, posterior enim clara est, quia vbi non intercedit distinctio realis immediata, stat identitas realis immediata; inter absoluta autem, & relatiua nulla intercedit distinctio realis immediata: ergo stat identitas realis immediata.

Distinctio realis immediata excludit etiam identitatem mediatam.

19. Respondeo, concesso antecedenti, negans primam consequentiam. Ad cuius probationem neganda est maior. Nam distinctio realis immediata non solum opponitur identitati reali immediatæ, sed etiam mediatæ: impossibile enim est, vt quæ immediate realiter distinguuntur, valeant medio aliquo inter se identificari. Vnde sufficit mediata identitas inter aliqua absoluta, & relatiua ad excludendam distinctionem realem immediatam. Idcirco Paternitas, & Filiatio, nec mediate, nec immediate identificantur inter se, etiamsi vtraque identificetur essentiæ, quia immediate distinguuntur, quæ immediata distinctio vtramque excludit identitatem: ergo pariter quælibet identitas tam mediata, quam immediata extremorum inter se, excludet distinctionem realem immediatam.

20. Obiicies secundò. Si Filiatio identificaretur immediate intellectioni, & mediate volitioni; etiam identificaretur realiter mediate Paternitati: id falsum est: ergo. Sequela probatur: ideo Filiatio identificatur realiter mediate volitioni, quia identificatur realiter immediate intellectioni, & hæc identificatur volitioni: sed intellectio etiam identificatur Paternitati: ergo Filiatio non minus erit idem realiter cum Paternitate, quam cum volitione. *Respondeo* negans sequelam. Ad probationem nego maiorem. Filiatio enim non eo præcise identificatur realiter mediate volitioni, quia identificatur realiter immediate intellectioni, & hæc volitioni, sed vlterius, quia nullam dicit oppositionem cum volitione, qualem dicit cum Paternitate tanquam cum principio realiter Filiationis productiuo.

21. Obiicies tertiò. Intellectio non est identitas realis media

dia inter Filiationem, & volitionem: ergo Filiatio non potest identificari realiter volitioni media intellectione. Patet consequentia, quia Filiatio non potest identificari realiter volitioni, media intellectione, nisi ista sit identitas realis media inter Filiationem, & volitionem. Antecedens ergo probatur, quia intellectio est realiter ipsa Filiatio, & ipsa volitio: ergo non est identitas realis media inter Filiationem, & volitionem; quod enim mediat realiter inter duo distinctum debet esse realiter ab vtroque; si enim sit vtrumque, vel alterum eorum, quomodo poterit esse medium inter illa? Idem argumentum fieri potest de volitione respectu intellectionis, & Spirationis passiuæ. Nam cum volitio sit realiter ipsamet intellectio, & spiratio passiua, non poterit esse identitas media realiter inter vtrumque.

22. Respondeo distinguens antecedens. Intellectio non est identitas realis media realiter inter Filiationē, & volitionem, concedo: non est identitas realis, media virtualiter, nego. Et neganda est consequentia, cuius probatio non vrget. Nam Filiatio identificari potest realiter mediate volitioni per intellectionem virtualiter tantum mediam inter vtramque, immo aliter identificari, realiter mediate non potest. Nam si identitas esset realiter media inter extrema, distincta quoque esset realiter ab illis; atque adeo non esset identitas. Sufficit ergo, vt vnum extremum mediate realiter identificetur alteri, si identitas realis sit virtualiter media inter vtrumque. Quia illa mediatio virtualis, vt pote æquiualens mediationi reali, præstat istius effectum, qualis esset extrema realiter mediate coniungi. Sicut distinctio virtualis inter Filiationem & essentiam, præstat illam vniri realiter immediate humanitati, & non istam; illam produci realiter, & non produci essentiam.

Qua ratione intellectio sit identitas media inter Filiationem, & volitionē.

23. Obiicies quartò. Filiatio est immediata identitas realis cum intellectione; ergo erit communicatio: ergo non sola intellectio talis erit. Patet prior consequentia, quia non alio titulo intellectio est communicatio, nisi quia est immediata identitas realis cum termino, cui communicatur, si ergo Filiatio sit immediata identitas intellectionis cum se ipsa, communicatio

municatio erit. Antecedens igitur probatur, quia Filiatio immediate identificatur realiter intellectioni: ergo est immediata identitas realis cum intellectione. Antecedens patet. Tum quia inter rationem formalem identificandi, qualis est intellectio, & terminum, qualis est Filiatio, non potest intercedere alia ratio formalis identificandi media, aliter abeundum esset in infinitum. Tum etiam, quia in creatis inter rationem formalem vniendi, scilicet vnionem, & subiectum, non datur alia ratio formalis vniendi media, sed subiectum immediate vnitur ipsi vnioni: ergo & Filiatio immediate identificabitur intellectioni.

Filiatio non est immediata identitas cum intellectione Et quamuis esset, non sufficeret communicationi.

24. In primis dicere posset aliquis, Filiationem non esse immediatam identitatem cum intellectione: sed identificari illi immediate per ipsammet intellectioně, sicut in creatis subiectum vnitur immediate vnioni per ipsammet vnionem, quæ est ratio formalis immediata vniendi. Quidquid tamen de hoc sit, quo plene occurritur argumento. *Respondeo* intellectionem ideo esse communicationem, quia est identitas realis immediata perfectionis communicandæ vt *quod* cum termino, cui cōmunicatur. Filiatio autem talis non est, quia etiam si esset immediata identitas realis cum intellectione, non tamen cum volitione, quæ sola est perfectio communicanda vt *quod*, intellectio enim tantum est communicatio respectu Filij.

Quo pacto intellectio communicetur Filio & volitio Spiritui Sancto.

25. Obiicies quintò. Fieri ex nostrâ sententia, intellectionem non communicari Filio ex vi processionis, nec volitionem Spiritui sancto: id autem absurdum est, quod nos vitare contendimus: ergo. Minor probatur, quia intellectio tantum est communicatio respectu Filij, & non res communicata, & similiter volitio tantum est communicatio respectu Spiritus sancti, & non res communicata: ergo intellectio non communicatur Filio ex vi processionis, neque volitio Spiritui sancto. *Respondeo*, intellectionem communicari Filio, vt quo, & volitionem similiter Spiritui sancto. Nec alia communicatio intellectionis necessaria est Filio, aut volitionis Spiritui sancto, vt vnius processio sit generatio, non vero alterius.

26. Obiicies

26. Obiicies sextò. Fieri ex nostra sententia, essentiam diuinam, si ab actuali intellectione distincta sit, non communicari immediate Filiationi; nec essentiam, & intellectionem spirationi passiuæ, quia essentia communicatur Filiationi media intellectione, & essentia, & intellectio communicatur spirationi passiuæ media volitione: id autem absurdum est: ergo. Minor probatur, quia fieret inde, Filium ex vi processionis non esse immediate Deum, nec Personam, cum illi immediate non communicetur. Deitas, aut natura Diuina: similiter Spiritum sanctum ex vi processionis non esse immediate Deum, nec Personam, nec intelligentem, cum illi immediate non communicetur Deitas, nec natura Diuina, nec intellectio: id autem non minus absurdum est, quam Spiritum ex vi processionis non esse Deum, nec Personam, nec intelligentem, quod nos absurdum reputamus: ergo.

27. Respondeo ex communi Philosophia, rationem formalem non tollere immediationem. Sicut ergo in creatis forma immediate communicatur subiecto, etiamsi mediet vnio, quæ est ratio formalis vniendi. Similiter dicimus essentiam immediate communicari Filiationi, etiamsi mediet intellectio, quia cum sit ratio formalis communicandi, non tollit immediationem. Idemque est de essentia, & intellectione respectu Spirationis passiuæ. Atque adeo vtramque Personam ex vi processionis esse immediate Deum, Personam, intelligentem, & volentem. Et quamuis immediate tales non essent, sed mediate, non incurritur absurdum eorum, qui admittunt Spiritum sanctum ex vi processionis, nullo modo, nec mediate, nec immediate esse Deum, nec Personam.

Ratio formalis communicandi non tollit immediationem rei communicatæ.

28. Obiicies vltimo. Nostram sententiam non saluare communicationem formalem ex vi processionis; ergo. Antecedens probatur. Quia identitas realis immediata, tantum est communicatio realis immediata: ergo non formalis ex vi processionis. *Respondeo*, negans antecedens. Ad cuius probationem negandum est similiter antecedens. Quia communicatio formalis in Diuinis, non dicitur talis, eo quod denotet identitatem reali maiorem, sed quia est immediata coniunctio perfectionis communicandæ cum termino, cui communicatur

Quomodo nostra sententia saluet communicationem formalem.

municatur. seu ratio formalis coniungendi, quod optime stat cum sola identitate reali immediata.

SECTIO III.

An sola intellectio sit communicatio respectu Filij & sola volitio respectu Spiritus sancti.

29. DVas vna hæc complectitur controuersias. *Prima*, An sola intellectio sit formaliter communicatio respectu Filij, & sola volitio respectu Spiritus sancti. *Secunda*, An sola intellectio sit, non solum formaliter, sed etiam realiter communicatio, respectu Filij, ita vt volitio nec realiter sit communicatio respectu illius. Et è contra, An sola volitio, sit communicatio, non solum formaliter, sed etiam realiter, respectu Spiritus sancti, ita vt intellectio, nec realiter sit communicatio respectu illius. Id est, An sicut de natura Diuina, & Filiatione simpliciter, & absolute (id sibi vult terminus ille *realiter*) vere dicitur, Filiatio producitur, natura non producitur: ita de intellectione, & volitione vere dicatur; intellectio est communicatio respectu Filij, non volitio, & econtra, volitio est communicatio respectu Spiritus sancti, non intellectio.

Sola intellectio est cõmunicatio formaliter respectu Filij, & sola volitio respectu Spiritus sancti.

30. Assero primò. Solam intellectionem esse formaliter communicationem respectu Filij, & solam volitionem respectu Spiritus sancti. Probatur, quia si vtraque operatio intellectionis, & volitionis esset formaliter communicatio vtriusque Personæ, Filij scilicet, & Spiritus sancti, nulla subsisteret ratio, cur secunda Persona, potius, quam tertia esset Verbum, & generis intellectiui; essentia enim diuina, mea opinione, vtrique Personæ formaliter communicatur. Nec insuper saluaretur constans locutio Patrum asserentium, Verbum procedere per intellectionem, & non per volitionem, & econtra Spiritum sanctum procedere per volitionem, & non per intellectionem, quod saltem formaliter verum esse debet: ergo formaliter

maliter sola intellectio erit communicatio respectu Filij,& sola volitio respectu Spiritus sancti.

31. Confirmatur. Processiones diuinæ ideo in communi sententia sunt duæ tantum, quia vna est per intellectionem, altera vero per volitionem, & non est in Deo vlterior operatio immanens: si autem vtraque processio esset per vtramque operationem immanentem intelligendi, & volendi, cur, sicut possunt esse duæ, non possent esse tres? signum ergo est, vnam processionem, saltem formaliter, esse per solam intellectionem; alteram vero per volitionem: ergo sola intellectio erit formaliter communicatio respectu Filij,& sola volitio respectu Spiritus sancti.

32. Maior tamen difficultas est, An sola intellectio sit communicatio respectu Filij, non solum formaliter, sed etiam realiter; ita vt volitio nec realiter sit communicatio respectu illius. Et econtra, sola volitio sit communicatio respectu Spiritus sancti, non solum formaliter, sed etiam realiter, ita vt intellectio nec realiter sit communicatio respectu illius. Ratio dubitandi est, quia intellectio, & volitio sunt realiter idem: ergo cuius est communicatio intellectio, erit etiam realiter volitio, aliter communicatio respectu Filij distincta realiter esset à communicatione respectu Spiritus, & econtra, & consequenter intellectio à volitione, quod dici non potest.

33. Assero tamen secundo, solam intellectionem esse realiter communicationem respectu Filij, & solam volitionem respectu Spiritus sancti. Probatur, quia Patres docentes, Filium procedere per intellectum,& non per voluntatem, similiterque Spiritum sanctum procedere per voluntatem, & non per intellectum, id asserunt absque vlla limitatione, ex qua colligi possit, eos loquutos in sensu tantum formali; aliunde ipsorum locutiones ad sensum realem deuolutæ nullum continent inconueniens, immo summam conuenientiam, in processionibus Diuinis: ergo ad mentem Patrum sola intellectio simpliciter, realiter, & absolute erit communicatio respectu Filij, & sola volitio respectu Spiritus sancti. Minor, quæ sola probationem desiderat plana fiet ex obiectionum solutione. Sola intellectio est realiter cómunicatio respectu Filij, & sola volitio respectu Spiritus sancti

Et confirmatur. Nam si quid obstaret, ne sola intellectio

esset realiter communicatio respectu Filij, & sola volitio respectu Spiritus sancti, maxime identitas realis inter vtramque operationem, intellectionem scilicet, & volitionem: illa nihil obstat: ergo. Minor probatur, quia in diuinis interuentu distinctionis virtualis ex duplici perfectione realiter identificata, potest vna subire realiter vnam denominationem, altera nec realiter illam subeunte. Sic natura Diuina manet realiter improducta, quamuis Filiatio illi realiter identificata, producta sit: ergo similiter poterit intellectio, esse realiter communicatio respectu Filij, quin talis sit volitio, & volitio poterit esse realiter communicatio respectu Spiritus sancti, quin talis sit intellectio etiamsi realiter identificentur inter se. Cur enim distinctio virtualis componere poterit alia producta contradictoria cum identitate reali, & non illa.

Quid præstet processio realis Filij per solam intellectionem, & Spiritus per solum amorem.

34. Dices, nullam vrgere necessitatem ad eam distinctionem virtualem inferendam intellectioni, vt volitioni. Nam si quæ esset necessitas, maxime ne Spiritus sanctus esset realiter Verbum procedens realiter per intellectionem. Id autem inconueniens non vitatur, eo quod sola intellectio sit communicatio realiter solius Filij, sed relatione spiratoris, qua distinguitur Filius à Spiritu sancto, & Spiritus sanctus à Filio, & Verbo? & qua deficiente, Filius cum sua processione reali per solam intellectionem, & Spiritus per solum amorem, non realiter, sed tantum formaliter distinguerentur; atque adeo Spiritus sanctus realiter esset Verbum.

35. Contra, quia ea processio realis Filij per solam intellectionem, & Spiritus per solam volitionem, non constituitur à nobis, ne Spiritus sanctus realiter sit Verbum, deficiente relatione spiratoris, vt contendit responsio, sed ne Spiritus sanctus sit realiter Verbum, stante relatione spiratoris. Nam sic vtraque processio esset realiter per intellectionem, non obstante relatione spiratoris: ergo vtraque Persona procedens esset realiter Verbum, cum id aliud non sit, quam per intellectionem procedere. Vnde tunc spiratio actiua non distingueret Verbum à nō Verbo, nec Filium à non Filio, sed Verbum, quod tale esset realiter, & formaliter, à Verbo, quod realiter tantum tale esset, idémque esset de Filio: ad id autem vitandum necessaria est processio

sio Verbi per solam intellectionem, & Spiritus per solam volitionem: ergo. *Confir.* si Spiritus sanctus, non obstante relatione spiratoris, formaliter procederet per intellectionem, formaliter esset Verbum: ergo si realiter procederet, realiter Verbũ esset.

56. Obiicies primò. Intellectio est realiter volitio; volitio autem est communicatio realiter respectu Spiritus sancti: ergo & intellectio erit realiter communicatio respectu illius. Pariter volitio est realiter intellectio: intellectio autem est realiter communicatio respectu Filij: ergo & volitio erit realiter communicatio respectu illius. *Confir.* Esse volitionem est, esse communicationem respectu Spiritus sancti; & esse intellectionem est esse communicationem respectu Filij: ergo quod realiter est volitio, erit realiter communicatio respectu Spiritus sancti; & quod est realiter intellectio, erit realiter communicatio respectu Filij: volitio autem est realiter intellectio, & intellectio est realiter volitio: ergo volitio erit realiter communicatio respectu Filij, & intellectio respectu Spiritus sancti.

37. Respondeo concessis præmissis, negans consequentiam. Quia ea forma argumentandi, non valet in diuinis, ratione distinctionis virtualis prædicata contradictoria componentis, aliter natura diuina, quæ est realiter Filiatio, producta realiter esset, & Paternitas, quæ realiter est essentia diuina communicaretur realiter Filio, & prædicata necessaria, quæ sunt realiter idem cum volitione libera, essent realiter libera, & contingentia. Sicut ergo in his ratione distinctionis virtualis non valet argumentatio, ita neque in intellectione, & volitione propter eandem, vel similẽ distinctionẽ virtualem inter illas repertum.

Quamuis intellectio sit realiter volitio, non id sufficit, vt sit realiter communicatio respectu Spiritus sancti.

38. Obiicies secundò. Si intellectio non esset realiter communicatio respectu Spiritus sancti, nec volitio respectu Filij; fieret, communicationem respectu Filij, esse virtualiter distinctam ab intellectione, & communicationem respectu Spiritus sancti à volitione: id falsum est: ergo. Sequela probatur. Nam de intellectione, & communicatione respectu Filij, pariterque de volitione, & communicatione respectu Spiritus sancti verificarentur prædicata realiter contradictoria, scilicet, intellectionem esse volitionem realiter; & non esse realiter communicationem respectu Spiritus

sancti, & volitionem esse realiter intellectionem, & non esse realiter communicationem respectu Filij, quæ sine dubio sunt prædicata contradictoria distinctionem virtualem arguentia: ergo.

Obiectio difficilis, sed soluenda ab omnibus.

39. Hoc argumentum publicis disputationibus à me prius propositum, quam à Recentioribus scriptum, soluendum est ab omnibus in Mysterio Trinitatis. Tum quia essentia diuina est realiter volitio libera, & contingens, non tamen est realiter essentia libera, & contingens; quod est prædicatum virtualiter indistinctum à volitione libera. Tum præterea, quia essentia diuina est realiter Filiatio, non tamen est realiter producta, quod est prædicatum à Filiatione virtualiter indistinctum. Tum insuper, quia essentia diuina est realiter Paternitas, non tamen est realiter incommunicabilis: quod est prædicatum à Paternitate virtualiter indistinctum. Tum denique, quia eadem Paternitas est realiter essentia Diuina, non tamen est terminus formalis communicationis respectu Filij, cum tamen hoc prædicatum sit ab essentia diuina in communi sententia virtualiter indistinctum.

Prædicata contradictoria solas perfectiones per se stantes in Deo distinguere valent.

40. Respondeo igitur, Prædicata contradictoria solum distinguere virtualiter inter se perfectiones diuinas, quæ sunt formaliter, & per se tales, id est, quæ seorsim ab aliis sunt perfectio in Deo. Quales sunt intellectio, Volitio, Essentia, Paternitas, Filiatio, &c. Non vero distingunt, quæ sunt pura prædicata, à suis subiectis, de quibus enunciantur; quia ista vere dicuntur de subiectis omnimoda identitate cum illis. Sic esse productam dicitur de Filiatione, & non esse productam de essentia. Hoc tamen discrimine, quod essentia, & Filiatio per se sunt perfectio in Deo seorsim ab aliis, ideoque inter se distinctæ. Esse autem productam, & non esse, seorsim à Filiatione, & essentia, & ab aliis perfectionibus per se talibus, nihil essent in Deo; atque adeo, vt quid sint, in aliqua alia perfectione, per se tali, imbibi formaliter debent, de qua enuntientur; & inde impossibilis prorsus est distinctio earum à subiectis, de quibus dicuntur. Idem sentimus de communicatione respectu Filij, & Spiritus sancti, esse scilicet purum prædicatum intellectionis, & volitionis, atque adeo

ab

ab illis distingui virtualiter non posse, quia ad id non minus opus est, esse perfectionem per se, quam prædicata contradictoria componere.

SECTIO IV.

Quid sit principium quo *communicatiuum.*

41. PRior sententia, quam cum Albis tuentur plures Recentiores, asserit, esse prædicatum absolutum connotans relatiuum Personæ producentis. Posterior econtra docet, esse prædicatum relatiuum Personæ producentis connotans absolutum. Docti vero Recentiores distingunt inter principium in genere causæ formalis communicatiuum, qua ratione pars se communicat toti, & hoc aiunt consistere in absoluto, intellectione, scilicet, respectu Filij, & volitione respectu Spiritus sancti: & principium communicatiuum in genere causæ efficientis, & hoc volunt consistere in relatiuo, paternitate, scilicet, respectu Filij, & relatione spiratoris respectu Spiritus sancti.

42. Assero primò, solum absolutum posse esse principium communicatiuum in genere, quasi causæ formalis. Probatur, quia solum absolutum Personæ producentis se communicat Personæ productæ, eamque constituit, & constituere potest: ergo solum absolutum poterit esse principium communicatiuum in genere, quasi causæ formalis. Quale autem sit hoc absolutum? *Respondeo*, de constitutiuo integrali, esse omnem perfectionem absolutam, dempta intellectione respectu Filij, quæ non est res communicata, sed ipsa formalis communicatio. De constitutiuo vero formali, principium communicatiuum sola est natura Diuina respectu Filij, & etiam respectu Spiritus sancti, quia his solis stantibus, etsi cætera deficerent, staret formaliter principium communicatiuum, vtrique processioni necessarium. Solum absolutum potest esse principium communicatiuum in genere quasi causæ formalis.

34. Assero secundò, principium communicatiuum quasi efficiens, esse intellectum diuinum respectu Filij, & voluntatem Intellectus diuinus, est principium communicatiuum

quasi efficiens respectu Filij, & voluntas respectu Spiritus sancti.

tatem Diuinam respectu Spiritus sancti. Probatur, quia illud est principium communicatiuum, quasi efficiens, quod est principium communicationis: intellectus autem Diuinus est principium communicationis respectu Filij; cum eius communicatio sit intellectio, & voluntas respectu Spiritus sancti. cuius communicatio est volitio: ergo. Si autem inquiras, quæ prædicata relatiua connotentur ab absolutis in esse principij communicatiui? Respondeo respectu Filij connotari Paternitatem, tanquam purum terminum; respectu vero Spiritus sancti relationem spiratoris, quia principium communicatiuum, cum sit connexum cum principio productiuo, connotare debet illud; principium autem productiuum Filij est Paternitas, vt vidimus, Spiritus vero sancti relatio spiratoris: ergo istæ connotari debent à principio communicatiuo.

Principium communicatiuum nō debet esse realiter distinctum à termino producto.

44. Obiicies primò. Principium communicatiuum debet esse realiter distinctum à termino producto: nihil autem absolutum potest esse distinctum realiter à termino producto: ergo. Maior probatur, quia principium productiuum debet esse realiter distinctum à termino: ergo & communicatiuum. *Respondeo*, negans maiorem. Ad probationem concesso antecedente, nego consequentiam. Nam in diuinis, hoc differunt principium communicatiuum, & productiuum; quod communicatiuum præstat suum, quasi effectum, communicando se illi, & constituendo, vnde non exigit distinctionem à termino, productiuum vero non ita, sed elargiendo esse distinctum suo termino.

45. Obiicies secundò. Intellectus, & voluntas tantum sunt principium virtualiter productiuum intellectionis & volitionis: ergo tantum erunt principium virtualiter communicatiuum, non vero realiter formaliter: ergo principium realiter formaliter communicatiuum, vel nullum erit, cum nulla sit realis formalis productio intellectionis, aut volitionis, vel communicatio non erunt intellectio, & volitio, sed quid relatiuum realiter, & absolute productum.

Qualiter intellectus, & voluntas sint principium rea-

46. Respondeo concesso antecedente, negans consequentiam, Nam ad realem formalem communicationem, sufficit virtualis productio communicationis, sicut ad realem formalem

malem cognoscentem, & volentem, saltem libere, sufficit, apud aduersarios non paucos, virtualis productio intellectionis, & volitionis. Sicut ergo ad realem formalem communicationem sufficit virtualis illius productio; pariter dicimus ad principium communicatiuum reale formale sufficere virtualem productionem communicationis. Et ratio est, quia posita virtuali productione intellectionis, & volitionis, stat realis formalis intellectio, & volitio, & consequenter realis formalis communicatio. Vnde principium quantumuis virtualiter tantum productiuum communicationis, est realiter formaliter communicans se ipsum; atque adeo principium realiter formaliter communicatiuum; quia hanc denominationem non haurit principium à præscisa productione virtuali, sed à formali intellectione, & volitione. Sicut essentia diuina non est realiter formaliter intelligens, aut volens, saltem libere à præscisa productione virtuali intellectionis, aut volitionis; sed potius ab ipsa formali intellectione, & volitione.

liter communicans cum sola virtuali productione communicationis.

47. Obiicies tertiò. Si principium communicatiuum esset quid absolutum, & commune, omnes personæ essent principium communicatiuum, tam respectu Filij, quam respectu Spiritus sancti: id autem dici non potest: ergo. Maior probatur, quia omne absolutum est commune omnibus personis: ergo si esse principium communicatiuum esset quid absolutum, commune quoque esset omnibus personis. Confirmatur *primò*, si principium productiuum esset quid absolutum, omnes personæ essent principium productiuum cuiuscumque processionis: ergo idem erit de principio communicatiuo. *Secundò*, ideo omnes personæ sunt Deus, quia Deitas est omnibus communis, eo quod sit quid absolutum: ergo si principium communicatiuum quid absolutum esset, hoc ipso omnes personæ principium essent. *Tertiò*, si deitas immediate foret incarnata, omnes personæ incarnatæ forent, eo quod vnio facta esset in aliquo absoluto omnibus communi: ergo pariter omnes personæ essent principium communicatiuum, si hoc quid absolutum esset.

48. Respondeo negans maiorem. Ad probationem, concesso antecedente, neganda est consequentia. Quia licet prin-

cipium communicatiuum sit quid absolutum, & existens in omnibus personis, non tamen est principium respectiue ad omnes, nec omnes, denominat principium, nec vt tale æqualiter se habet ad omnes, sed diuersimode; est enim principium Filij respectiue ad solum Patrem, & principium Spiritus sancti respectiue tantum ad Patrem, & Filium. Nec nouum est, aut difficile, eandem formam diuersis subiectis applicatam, dissimiles impertiri denominationes: ergo licet eadem forma, vel quasi forma absoluta, existat in omnibus personis diuinis, poterit vnam, & non alteram denominare principium communicatiuum, eo quod in vna, & non in altera coniuncta sit principio productiuo.

49. Ad primam confirmationem negandum est antecedens; idem enim dicimus, si virtus, seu principium productiuum in aliquo absoluto consisteret, videlicet non idcirco omnes personas futuras principium productiuum, quare nos perpetuo abstinuimus ab ea probatione agentes de principio productiuo. Ad secundam, & tertiam confirmationem solutio patet ex dictis; nam deitas, ad denominandum Deum, æqualiter se habet ad omnes personas, ideoque omnes denominat, & sunt Deus. Similiter facta vnione humanitatis immediate in essentia, omnes personæ incarnatæ forent, quia essentia cum tali vnione æqualiter se haberet ad omnes personas, nec respectiue potius ad vnam, quam ad alteram terminaret vnionem.

DISPVT.



DISPVTATIO VIII.

An processiones diuinæ sint per intelligere, & velle notionale.



HACTENVS egimus de processionibus diuinis per intellectionem, & volitionem essentiales, & omnibus Personis communes, quas diximus esse communicationes. Inquirimus nunc, An præter intellectionem, & volitionem essentiales, dentur in Deo intellectio, & volitio notionales; id est, propriæ alicuius Personæ, & alteri minime communes, per quas Personæ procedentes oriantur à suis principiis, siue tanquam per principium productiuum, siue communicatiuum siue tanquam per commnnicationem, aut rationem formalem cmunicandi, eo pacto, quo de essentialibus in superioribus dictum est.

SECTIO I.

Intellectionis, & volitionis, notionalis sententia eiusque fundamenta proponuntur.

1. NON disputo, An detur in Deo intelligere, & velle notionale, id enim libentes admittunt cum P. Vasquio, etiam negantes intellectionem, & volitionem notionales; Docent enim coniunctum ex Paternitate, & intellectione absoluta, optime dici intelligere notionale, & similiter dici

velle notionale coniunctum ex amore absoluto, & relatione Spiratoris, de quo infra. Difficultas ergo nobis est de intellectione, & volitione notionali ab essentiali distincta.

Sententiæ circa intellectionem & volitionē notionales.

3. Doctores affirmantes dari in Deo duplicem intellectionem, vnam essentialem, & notionalem alteram, duplicemque similiter amorem, diuisi sunt inter se, nec eodem trahantur fundamento. Nam Henricus quod lib. 6. quæst. 1. tuetur duplicem esse in nobis intellectionem, & volitionem, vnam directam, remissam, & imperfectam ad quam intellectus, & voluntas, se habent mere passiue; alteram reflexam, feruentem, & perfectam, ad quam intellectus, & voluntas actiue concurrunt. Hoc fundamento duplicem etiam impendit Deo intellectionem, & volitionem; vnam simplicem, & quasi passiuam, quam vocat essentialem, & omnibus Personis communem, alteram reflexam, & actiuam, quam vocat notionalem, & propriam Personarum producentium. Hæc tamen singularis opinio repudiatur communiter ab omnibus, & merito, quia nec fundamentum habet in creatis, vbi nulla est intellectio, & volitio ad quam intellectus, & voluntas actiue non concurrant; nec satis digne sentire videtur de diuina intellectione essentiali, vt reddit perspicuum fundamentum à creatis desumptum. Idcirco Doctores alij aliis trahuntur fundamentis statim subiiciendis. Cui autem identificentur intellectio, & volitio notionales, An scilicet relationi Personæ producentis, An vero relationi Personæ productæ, diuisi explicant. Nam cum Henrico citato docet Argentinas intellectionem notionalem esse idem virtualiter cum sola Paternitate, & amorem notionalem cum relatione spiratoris Quidam vero Recentior econtra tuetur intellectionem notionalem esse idem virtualiter cum sola Filiatione, & similiter amorem nationalem cum relatione Spiritus sancti. Alius denique Recentior duplicem statuit intellectionem nationalem, alteram virtualiter identificatam cum Paternitate; alteram vero cum Filiatione: & similiter duplicem amorem notionalem, alterum identificatum virtualiter cum relatione Spiratoris; alterum vero cum relatione Spiritus sancti,

4. Probari

4. Probari solet sententia ista· Primo, quia Patres communiter docent Filium esse sapientiam genitam, & Spiritum sanctum amorem productum. Athanasius oratione 3. contra Arianos Filium appellat. *Sapientiam vnigenitam*, quæ dixit.. *Ego iam concepta eram.* Prouerb. 8. Idque centies repetit quinque orationibus aduersus Arianos. Basilius lib. 5. contra Eunomium. *Pater Filij genitor, vt mens Verbi Pater, vt potentia potentis, vt sapiens, qui sapientiam genuit.* Eusebius Cæsariensis lib. 4. Demonstrationis Euangelicæ cap.2. Filium vocat. *Ipsam rationem, & Sapientiam primogenitam.* Cyrillus Alexandrinus lib. 1. Thesauri cap. 7. ait. *Ex Patre natum Filium, & sapientia ex mente.* Damascenus lib. 1. fidei cap. 13. *Filius Verbum, Sapientia, & potentia, imago, splendor, Character Patris ex Patre.* Similia habent innumeri alij Patres. Huiusmodi autem locutiones stare non possunt absque intellectione, & volitione notionali; Etenim sapientia seu intellectio essentialis non generatur, neque amor absolutus producitur: ergo.

Athanasius Basilius. Eusebius. Cyrillus. Damascenus.

5. Hoc argumentum nihil iuuat constituentes intellectionem notionalem in sola Paternitate, & amorem in sola relatione Spiratoris, immo contra illos efficaciter pugnat. Nam Paternitas non est sapientia genita, nec relatio Spiratoris amor productus: ergo doctrina Patrum asserentium Filium esse sapientiam genitam, & Spiritum sanctum amorem productum, nihil iuuat Doctores istos. *Respondeo*, eas Patrum locutiones intelligendas esse, non de sapientia, & amore in abstracto, sed in concreto scilicet pro coniuncto ex sapientia, & Filiatione, quod coniunctum genitum est, & sapientia, quia specialiter Filiatio exigit illam vt rationem formalem communicandi. Idem dicendum est de amore producto, scilicet in concreto pro coniuncto ex amore absoluto, & relatione Spiritus sancti, quia specialiter exigit illum, vt rationem formalem communicandi.

Quo pacto Filius dicatur sapientia genita, & Spiritus sanctus amor productus.

6. Instabis. Nomine abstracti, qualia sunt sapientia, & amor, intelligere concretum, est mala locutio: Etenim licet concretum hominis sit genitum, & Filius, tamen male quis loqueretur dicens: animam esse genitam, &

Filiam. Quod si diceret, se intelligere animam, non abstracte, sed concrete pro coniuncto ex anima, corpore, & vnione, peius loqueretur, quia nomine abstracti male intelligitur concretum: ergo nostra locutio non saluat integram Patrum locutionem. *Respondeo*, quidquid sit de abstractis creatis, negans consequentiam, quia sapientia Diuina est realiter totum concretum Verbi, & est totum concretum, Spiritus sancti; At abstracta creata realiter non sunt totum concretum ideoque sapientia, & amor Diuinus possunt sumi concrete, quamuis id non patiantur abstracta creata.

Inter abstracta creata, & increata disparitas

7. Probari solet secund. Expulsa intellectione, & volitione notionali, non apparet, vnde Paternitas sit generis intellectiui, & completiua Fœcunditatis intelligentis, cum neque sit intellectus, neque intellectio. Insuper neque apparet vnde Filius sit Verbum, & generis intellectiui, Etenim productio generis intellectiui habere debet pro termino aliquid generis intellectiui; terminus autem generis intellectiui sola est intellectio: ergo. Denique neque apparet vnde spiratio actiua, & passiua sint generis volitiui, cum neque sint voluntas, neque volitio: ergo admittendæ sunt intellectio, & volio notionales.

Cur Paternitas sit generis intellectiui, & spiratio volitiui.

8. Respondeo negans antecedens. Paternitas enim ideo est fœcunditas intelligentis, & generis intellectiui, quia ad producendum sola eget intellectione, vt ratione formali communicandi. Filius insuper ideo est Verbum, & generis intellectiui, quia illius communicatio est sola intellectio, vt in superioribus statutum est. Denique Spiratio actiua ideo est generis volitiui, quia ad producendum sola eget volitione, vt ratione formali communicandi; spiratio vero passiua, quia illius communicatio est sola volitio. Hæc autem omnia stare absque intellectione notionali perspicuum est, & vlterius de constitutiuo Filij stabilientur.

Subsistentia absoluta, & relatiua non euincit intellectionem absolutam, & relatiuam.

9. Probari solet tertiò. Nam in Deo datur subsistentia absoluta, & relatiua: ergo & intellectio, & volitio absoluta, & relatiua, maxime in sententia admittente intellectionem absolutam esse subsistentiam. Hoc argumentum securum, non est, plura enim, eaque absurdissima illa forma argumenti concludi possēt. *Primo*, in Deo datur subsistētia absoluta, & relatiua: ergo

&

& omnipotentia absoluta; & relatiua. *Secundo.* In Deo datur subsistentia absoluta,& relatiua: ergo & essentia absoluta, & relatiua. *Tertio.* In Deo datur intellectio libera, & necessaria: ergo & essentia libera, & necessaria. Mitto alia. Satis enim inde constat, non multum in præsenti mysterio paritatibus fidendum. *Respondeo*, concesso antecedente, negans consequentiam. Disparitas est, quia absque subsistentia absoluta saluari non potest concretum substantiuum Dei commune omnibus Personis, quo omnes sint vnus, idemque Deus. Et inde subsistentia absoluta admittenda necessario est in Deo. Præterea absque subsistentiis relatiuis,saluari non possunt processiones Personales, quomodo enim stare possent processiones Personales; si Personalitates non essent, saluari autem possunt absque intellectione, & volitione notionalibus,vt constabit infra; vnde nulla stat necessitas eas admittendi, cum non alio, quam titulo processionum, Deo tribuantur.

10. Probari solet quartò. Quia proprium est Verbi esse imaginem Patris, esse autem imaginem, est esse cognitionem; ergo verbum erit cognitio notionalis. *Confirmatur.* Si Verbum non esset cognitio notionalis, non esset speciale Verbi, in ipso omnia cognosci, nam sapientia, & cognitio absoluta in omnibus Personis est; ergo admittenda est saltem in Verbo cognitio nationalis. *Respondeo*, verbum esse imaginem Patris, non dicere cognitionem notionalem, sed processionem per intellectionem absolutam, tanquam per rationem formalem communicandi, eo enim modo procedendi, verbum assimilatur Patri, & est imago illius. Confirmatio ponderis non est. Nam etiam dicitur Pater fecisse omnia per Verbum, nec tamen admittitur potentia productiua propria solius Verbi, similiter licet non admittatur sapientia propria solius Verbi, proprium erit illius omnia, vel aliqua in Verbo cognosci,quia videntur in sapientia, quæ respectu solius Verbi est ratio formalis communicandi, quod non competit Spiritui sancto, cuius communicatio est solus amor.

Qualiter Verbum sit imago Patris, & quomodo in Verbo cognoscantur aliqua.

11. Probari posset denique, quia omnes istæ cognitiones sunt propriæ solius Patris. *Ego genero*, *Ego à nullo procedo*, similiter omnes istæ sunt propriæ solius Filij; *Ego non genero*, *sed*

sed generor, Ego à solo Patre Procedo: Pariter omnes istæ sunt propriæ Spiritus sancti. *Ego à Patre, Filioque procedo. Ego nullam Personam produco*: ergo sunt cognitiones notionales. Patet consequentia illæ enim dicuntur cognitiones notionales, quæ propriæ sunt alicuius Personæ. Antecedens in quo est difficultas probatur. Quia omnes illæ cognitiones, quæ sunt in Patre, si essent in Filio, aut Spiritu sancto, essent falsæ; nulla autem cognitio potest esse falsa in Filio, nec in Spiritu sancto: ergo. Maior probatur, quia in Persona Filij, aut Spiritus sancti falsum est dicere: *Ego genero, Ego à nullo procedo*: ergo si eiusmodi cognitiones essent in Filio, aut in Spiritu sancto essent falsæ. Idem argumentum fieri potest de cognitionibus Filij, si essent in Patre, & de cognitionibus Spiritus sancti, si essent in Patre, aut Filio.

Omnes illæ propositiones, vna & eadem sunt cognitio absoluta.

12. Respondeo negans antecedens. Ad probationem nego maiorem. Ad cuius probationem concesso antecedente, nego consequentiam. Ratio est ista quia eadem cognitione, qua Pater asserit de se ipso. *Ego genero, à nullo procedo*. Filius asserit de Patre. *Tu generas, & à nullo procedis*. Similiter eadem cognitione qua Filius asserit de se ipso. *Ego non genero, sed generor. Ego à solo Patre procedo*, Pater asserit de Filio. *Tu non generas, sed generaris, Tu à solo Patre procedis*. Idemque de cæteris discurendum est. In quo nec vestigium est falsitatis.

13. Instabis. Hæc cognitio, qua Pater de se ipso asserit: *Ego genero*, distincta est ab ista, qua alia Filius asserit de Patre. *Tu generas*: ergo non est eadem cognitio in Patre & Filio, *Resp*. negans antecedens. Sicut enim eadem generatione, qua Pater est generans, Filius est genitus, & eadem generatio diuersis Personis diuersas tribuit denominationes. Pariter dicimus eandem cognitionem diuinam diuersis personis diuersas tribuere Denominationes, & Patrem denominare sub his terminis. *Ego genero*, Filium sub his aliis asserentem de Patre. *Tu generas*, quin diuersitas sit in cognitione, sed in sola denominatione.

Eadem forma diuersis subiectis diuersas

14. Instabis iterum. Denominatio non distinguitur à forma communicata subiecto; eadem autem forma, seu cognitio est per nos in Patre, & Filio: ergo & eadem denominatio: ergo cum Patrem denominet sub his terminis. *Ego genero*, sub eisdem

eisdem, si esset in Filio, denominaret illum. *Respondeo* distinguens maiorem, Denominatio non distinguitur à forma communicata subiecto apto, concedo: inepto, nego, & concessa minori, nego vtramque consequentiam. Quia Pater capax est, vt ab intellectione Diuina denominetur sub his terminis. *Ego genero.* Filius vero est incapax, & tantum capax, vt sub his aliis demominetur asserens de Patre. *Tu generas*; Eandem autem formam diuersis subiectis diuersas tribuere denominationes, pro vniuscuiusque capacitate, res est notissima, & vlteriori explicatione non indigens. impertitur denominationes.

SECTIO II.

Sententia negans intellectionem, & volitionem notionales eligitur, & probatur.

15. PRimo quia nulla est necessitas multiplicandi cognitionem, & volitionem notionales, vt constat ex argumentorum solutione: Ergo. Antecedens probatur, primò, quia cognitio absoluta attingit, & exprimit omne cognoscibile, & omni modo, quo cognoscibile est: ergo continet omnem perfectionem cognitionis, idemque est de amore absoluto: ergo nulla est in Deo alia cognitio, neque amor notionalis, sicut neque est alius intellectus, aut voluntas notionalis, quia intellectus, & voluntas absoluta continet omnem perfectionem generis intellectiui, & volitiui. *Confirmatur.* Intellectio, & volitio, tam communes sunt in Deo, quam ipsa Deitas, & omnipotentia; non datur autem vna Deitas, aut omnipotentia absoluta, & altera notionalis: ergo. Antecedens commune est inter Patres. Augustinus enim lib. 6. Trinit. c. 1. & 2. fuse æquiparat sapientiam Deitati, & vtramque docet esse communem; quia Verbum relatiue, sapientia vero essentialiter dicitur. Et 7. de Trinit. cap. 2. idem inculcat his verbis. *Non eo Verbum, quo sapientia, Verbum enim relatiue, sapientia vero essentialiter dicitur.* Et S. Thomas quæst. 37. art. 1. Intellectio, & volitio notionales otiosæ sunt in Deo. S August. S. Thom.

ad 1. ait. *Esse sapientem, vel intelligentem in diuinis non sumi, nisi essentialiter*: ergo nulla est intellectio, aut volitio notionalis.

Cyprianus Ambrosius. Nazianzenus Chrysost.

16. Secundò, quia scriptura, & Patres explicant Verbum diuinum per comparationem, non ad cognitionem creatam, sed ad locutionem, qua manifestamus Verbo, quæ cognita præscesserunt. Sic Ecclesiastici 24. dicitur, *Verbum ex ore altissimi prodisse*. Et Ioannis 1. *In principio erat Verbum.* Ex Græco legitur, In principio erat sermo, quam locutionem tuentur Cyprianus, Ambrosius, & alij. Expresse Nazianzenus oratione 36. quæ est 4. de Theologia col. penult. *Filius mihi dici videtur, quia essentia idem est cum Patre, tum etiam, quia ex illo est. Verbum porro quia ita se habet ad Patrem, vt sermo ad mentem.* Chrysostomus tom. 5. oratione 9. de illo Abrahami: *Pone manum tuam sub femur meum*: Inter principium, & medium ait. *Quemadmodum sese habet sermo ad mentem, sic vnigenitus Deus, Verbum sese habet ad Patrem.* Locutio autem nostra, siue Verbum creatum, nulla ratione est intellectio, sed pura illius, & obiecti manifestatio: ergo neque relatio Verbi diuini vt ab intellectione absoluta distincta, erit virtualiter intellectio, sed pura illius, & obiecti manifestatio.

Scopus intellectionis, & volitionis notionalis irritus.

17. Tertiò, quia præcipua ratio quæ Recentiores impulit ad cognitionem, & amorem notionales admittendum, ea fuit, quia aliter non inuenerunt discrimen generationis Verbi à productione Spiritus sancti, cur scilicet secunda Persona, potius quam tertia sit Verbum, & Filius, id autem optime explicatur absque vlla cognitione, & amore notionali: ergo. Minor probatur, quia si dicatur secundam Personam exigere intellectionem absolutam, tanquam rationem formalem communicandi, non vero amorem absolutum: econtra verò tertiam Personam exigere amorem absolutum, vt rationem formalem communicandi; non vero intellectionem absolutam: plana est via ad discrimen generationis: id autem nihil implicare ostendimus in superioribus: ergo nulla est necessitas intellectionis, aut volitionis notionalis ab essentiali distinctæ.

Repugnantia intellectionis, & amoris notionalis.

18. Quartò. Vel relatio, quæ esset cognitio nationalis, esset pura expressio obiecti, vel esset simul substantia intelligens, &

& perceptiua obiecti, neutrum: ergo nulla est cognitio notionalis ab essentiali distincta. Minor probatur, quia si relatio, vt distincta ab absolutis, esset substantia intelligens, daretur in diuinis plures substantiæ intelligentes, scilicet, Paternitas, & Filiatio, quæ essent intellectiones: imo & plures naturæ diuinæ, cum hæc in substantia intelligente sita sit, si vero sit pura expressio, clarius implicat; impossibile enim est cognitionem aliquam esse propriam alicuius, quem non reddat cognoscentem: ergo intellectio propriam, verbi gratia, Paternitatis, debet supponere in illa facultatem cognoscendi, siue intellectum notionalem: id autem fatentibus aduersariis falsum est: ergo. Idem cum propositione de amore notionali dicendum est.

19. Addunt aliqui contra amorem notionalem, fieri ex illo, peccatorem, non solum offendere Deum, vt vnum; sed etiam specialiter peccare contra indiuiduum Spiratoris, & contra Spiritum sanctum, specialiter displicentes amore notionali, modo, quo non displicet Pater vt Filius. Immo Spiritum sanctum specialiter acceptare mortem Christi, modo, quo Pater non acceptasset. Hæc tamen additio res satis mediata non est. Nam, vt sequela illa locum teneret, opus erat, vt authores notionales statuerent in liberis cognitionem notionalem, quam admittunt in necessariis, id autem nullatenus admittitur, nec paritas à necessariis ad libera vrgere potest, quippe soluenda ab omnibus, non admittentibus Verbum. Sicut ergo cognitioni necessariæ correspondet Verbum, non vero liberæ, similiter dicent notionales cognitioni necessariæ absolutæ correspondere cognitionem narionalem, quæ Verbum est, non vero liberæ, quare libentes hanc additionem manu-mittimus.

20. Ex dictis colliges processiones Diuinas, non esse per intelligere, aut velle notionale ab essentiali distinctum, quia non datur similis intellectio, aut volitio. Processiones diuinæ non sunt per intelligere, aut velle notionale.

21. An vero sint per distinctionem, vel impulsum distinctum virtualiter ab intellectione absoluta, & simili amore? Affirmat Scotus apud Vasquez disp. 112. cap. 2. docens processiones diuinas esse per intellectum, & voluntatem; non vero per Sententia Scoti de dictione, & impulsu.

intellectionem, & volitionem. Censet enim ab intellectu diuino prodire duos actus inter se disparatos, vnum vocat intellectionem, & alium dictionem, & ab isto asserit prodire Verbum; non vero ab illo. Similiter à voluntate diuina censet prodire alios duos actus, vnum quem vocat volitionem; alium vero impulsum dictioni respondentem, ab isto asserit prodire Spiritum sanctum, non vero ab illo. Trahitur hoc vnico fundamento. Nam quæ sunt communia toti Trinitati, non possunt esse principia processionum: aliter omnes Personæ producerent: ergo intellectio, & volitio, quæ communes sunt, non sunt principia processionum; restat ergo, vt id munus in dictionem, & impulsum referatur, quæ propria sunt Personæ producentis.

Sententia Scoti non consonat Patribus

22. Hic tamen singularis opinandi modus displicet communiter, & merito. Primò. Nam Patres promiscue docent processiones diuinas esse per intellectũ, & intellectionem per voluntatem, & volitionẽ. Augustinus enim 15. de Trinit. c. 6. Mysterium breui explicãs, ita loquitur. *Ecce Trinitas, scilicet, & notitia sui, & dilectio sui. Sic enim, & in homine inuenimus Trinitatem, id est, mentem, & notitiam, qua se nouit, & dilectionem, qua se diligit.* Vbi dictionis, à sapientia, & notitia distinctæ, nulla fit mentio ab Augustino, numerante singula, quæ sunt in Trinitate, immo processioni Verbi solam adscribit sapientiam, tanquam actum per quem procedit. Pariter fulgentius lib. 3. ad Monimum cap. 7. explicans quid sit dicere, ait, *Nihil aliud est apud se dicere, quam apud se cogitare.* Vbi solum actum cogitandi dictioni adscribit. Et immediate subiungit explicaturus processionem Verbi. *Cum ergo mens cogitat, cogitando Verbum generat*; Verbum autem cogitando generare, quid aliud sibi vult, quam per cogitationem gignere, per eamque procedere. Cyrillus Alexandrinus lib. 1. in Ioan. cap. 5. ita loquitur. *Filius appellatur Verbum, ac sapientia, quoniam ex intellectu immediate, atque indiuisibiliter est*: ergo non per dictionem, quæ sit actus medius, & proprius alicuius Personæ, sed per cogitationem omnibus cõmunem. Ad id quod expresse inculcat S. Thomas quæst. 27. art. 5. corpore. *Respondeo dicendum, quod*

Augustinus Fulgentius. Cyrillus Thomas.

quod processiones in diuinis accipi non possunt, nisi secundum actiones? quæ in agenti manent. Huiusmodi autem actiones in natura intellectuali, & diuina, non sunt nisi duæ, scilicet intelligere, & velle. Vnde ergo subtiliter inferri potest processiones diuinas esse per intellectum, & voluntatem, non vero per intellectionem, & volitionem.

23. Secundo. Ideo processiones diuinæ non possunt esse per intellectionem, & volitionem, quia cum communes sint omnibus Personis, omnes quoque essent principia processionum; intellectus autem, & voluntas, etiam communes sunt omnibus Personis: ergo si processiones essent per intellectum, & voluntatem, omnes Personæ essent principia processionum. Quod si hoc non sequitur, esto intellectus, & voluntas communes sint, neque sequetur etiamsi intellectio, & volitio communes sint: ergo poterunt esse per intellectionem, & volitionem.

24. Confirmatur. Nam si fundamentum Scoti subsisteret, fieret inde omnes Personas esse principium dictionis, & impulsus: ergo. Sequela probatur: Ideo si intellectio absoluta esset principium Verbi, omnes Personæ essent producentes Verbum, quia intellectio ex qua Verbum procederet esset omnibus Personis communis: ergo illius erunt principium omnes personæ, cuius fuerit principium perfectio aliqua omnibus communis: ergo si intellectus, quæ est perfectio omnibus Personis communis, esset principium dictionis, omnes quoque Personæ essent principium illius. Quod si intellectus, quantumuis communis, potest esse principium dictionis, quin omnes Personæ sint principium illius: ergo etiam poterit esse principium Verbi, quin omnes Personæ sint principium illius. Par enim est omnium ratio. Nec stabili erecta est fundamento

SECTIO

SECTIO III.

An, & quo pacto intellectio, & volitio essentiales dici possint notionales.

Placita Doctorum. P. Vasquez. P. Zuñiga.

25. PRior sententia docet intellectionem essentialem dici posse notionalem, non quidem secundum se, sed quatenus coniunctam Paternitati, qua ratione complet principium proximum generatiuum aliis Personis minime commune. Ita P. Vasquez 1. part. disp. 112. P. Zuñiga quæst. 27. disp. 2. dub. 8. memb. 3. & multi Recentiores. Posterior absolute negat in Deo intellectionem notionalem. Ita P. Soarius 1. part. tract. 3. lib. 1. cap. 7. P. Turrianus quæst. 27. art. 5. in 2. parte disputationis, & multi alij Recentiores. Vnaquæque tamen sententia in suo genere, idem, quod de intellectione, asserit etiam de volitione. Aliqui vero Recentiores Thomistæ, cum viderent intellectionem essentialem, siue absolutam, etiam vt distinctam à relationibus, habere diuersum respectum ad Paternitatem, & Filiationem. Nam Paternitatem respicit, tanquam id, quo completur principium generatiuum. Filiationem vero respicit tanquam id, quo completur terminus genitus. Similiter cum viderint amorem absolutum respicere indiuiduum Spiratoris, tanquam id, quo completur vnum principium productiuum Spiritus sancti; relationem vero Spiritus sancti respicere tanquam id, quo completur, non principium productiuum, sed terminus productus, inde nacta occasione docuerunt intellectionem, & volitionem absolutas dici posse notionales propter diuersos respectus, quibus respiciunt relationes.

P. Soarius. P. Turrianus

Recentiores Thomistæ.

26. Mihi tamen, vt verum Fatear tota præsens controuersia videtur in solas voces, & modum loquendi declinare. Nam intellectionem, & volitionem absolutas, esse omnibus Personis communes, nullus negat, coniunctum vero ex intellectione, & Paternitate, non esse commune fatentur omnes. Denique cognitionem diuinam diuerso modo respicere Paternitatem,

tertitatem, Filiationem, & similiter amorem respicere relationem Spiratoris, & Spiritus sancti, res est indubitata. Tota ergo difficultas eo voluitur, An scilicet, id sufficiat, vt intellectio, & amor absolutus dicantur notionales.

27. Assero primò, quod coniunctum, ex intellectione absoluta, & Paternitate, non sit commune, nec sufficere ad asserendam dari in Deo intellectionem notionalem. Idem est de coniuncto, ex amore absoluto, & relatione Spiratoris, respectu amoris notionalis. Probatur primo, quia aliquod coniunctum non esse commune, non sufficit, vt etiam pars dicatur, non esse communis, aliter intellectio, quæ est pars generantis, communis non esset: ergo ex eo quod aliquod coniunctum notionale sit, id non sufficiet, vt etiam pars illius, videlicet intellectio notionalis dicatur. *Confirmatur.* Coniunctum ex Paternitate, & omnipotentia, aut essentia, commune non est, id tamen non sufficit, vt dicatur omnipotentia, aut essentia notionalis, vt fatetur P. Zuñiga: ergo neque sufficit, vt dicatur intellectio, aut volitio notionalis, nomine enim intellectionis, & volitionis, non venit coniunctum, quod commune non est, sed pars illius, quæ communis est. In Deo nulla datur intellectio notionalis.

28. Assero secundò, diuersos respectus, quibus intellectio respicit Paternitatem, & Filiationem; & amor relationem Spiratoris, & Spiritus sancti non esse sufficientes, vt intellectio, & amor dicantur notionales. Probatur, quia diuersi illi respectus, etiam reperiuntur in omnipotentia, & essentia, nec tamen admittitur omnipotentia, aut essentia notionalis: ergo neque intellectio, aut volitio. Antecedens probatur, quia omnipotentia, idemque est de essentia respicit Paternitatem, vt principium generatiuum; qua ratione non respicit Filiationem, sed vt terminum genitum: similiter respicit relationem spiratoris, vt principium productiuum, quo pacto non respicit relationem Spiritus sancti: ergo. Diuersi respectus intellectionis essentialis nequeunt illam reddere notionalem.

29. Dices Disparem esse rationem, quia processiones diuinæ sunt per intellectionem, & volitionem, quia ratione non sunt per omnipotentiam, ideoque intellectio, & volitio possunt dici notionales, in ordine ad relationem producentis, & producti.

30. Contra

Disparitas aduersariorum fracta.

30. Contra tamen, quia in aduersariorum sententia intellectio est essentia, & processio Verbi est per intellectionem, & consequenter per essentiam; nec tamen admittitur essentia notionalis: ergo neque intellectio, aut volitio, cum omnia ista æque sint in Deo communia. Et ratio omnium est. Quia, vt aliqua perfectio sit proprie, & stricte notionalis, non sat est, quod diuerso modo vnum, & alterum terminum, aut Personam respiciat, sed vlterius opus est, quod ita sit propria vnius Personæ, vt non sit omnibus communis, intellectio autem, & volitio, quamuis diuinas Personas diuersimode respiciant, sunt tamen communes omnibus. Vnde notionales esse non possunt, etiam si intellectio sit communicatio respectu Filij, & talis non sit respectu Spiritus sancti, & econtra volitio sit communicatio respectu Spiritus, & non respectu Filij, vt tota disp. 7. à nobis stabilitum est.

Qualiter Pater & Filius diligant se Spiritu sancto.

31. Obiicies primò. Licet sapientia communis sit, tamen in Filio communi Patrum phrasi, dicitur genita: ergo & notionalis: quod enim genitum est, notionale est. *Respondeo*, Patres loqui de sapientia non in abstracto, sed in concreto Filij, concretum autem Filij, quippe genitum, non negamus esse notionale.

32. Obiicies secundo. Pater, & Filius diligunt se Spiritu sancto: ergo Spiritus sanctus est dilectio notionalis. *Respondeo* negans consequentiam, quia Pater, & Filius eatenus dicuntur diligere se Spiritu sancto, quatenus diligunt se amore absoluto, quo cõstituitur, & ex quo specialiter procedit Spiritus sãctus.

33. Instabis. Nam S. Thomas à nobis adductus etiamsi qua st. 37. art. 2. ad 1. neget sapientiam notionalem, admittit amorem his Verbis. *Ad primum ergo dicendum, quod esse sapientem, & intelligentem, in diuinis non sumitur nisi essentialiter. Et ideo non potest dici, quod Pater sit sapiens, vel intelligens Filio. Sed diligere sumitur non solum essentialiter, sed etiam notionaliter, & secundum hoc possumus dicere, quod Pater, & Filius diligunt se Spiritu sancto*: ergo amor notionalis admittendus in Deo est vt ad mentem S. Thomæ. Hoc testimonium nihil iuuat aduersarios existimantes idem, quod de amore notionali, dicendum

Qua ratione Pater, & Filius diligunt se Spiritu sancto, & Pater non se intelligat Filio.

de

de intellectione. *Respondeo* igitur, S.Thomam solum velle sapientiam in abstracto non dici notionaliter, sed tantùm in concreto, quo pacto ait diligere dici notionaliter, scilicet in concreto. Vnde nulla est contrarietas in verbis, nam si amor, & sapientia eo modo sumantur, idem, quod de vno intelligendum est de alio proportione accommoda.

34. Obiicies tertio. Intellectio est communicatio respectu Filij, & talis non est respectu Spiritus sancti, & econtra volitio est communicatio respectu Spiritus sancti, & non respectu Filij, vt diximus disp.7.sect.3. ergo intellectio, & volitio, quatenus his diuersis muneribus, funguntur respectu vnius Personæ, & non alterius, notionales erunt. Probatur consequentia. Nam id, quod proprium est respectu vnius Personæ, & non commune alteri, notionale est: intellectionem autem esse communicationem, est proprium respectu Filij, & non commune Spiritui sancto, & econtra volitionem esse communicationem, est proprium respectu Spiritus sancti, & Filio minime commune: ergo erit quid notionale. Idem argumentum fieri potest contra communem sententiam docentem intellectionem esse terminum formalem communicationis respectu Filij, non vero respectu Spiritus sancti; & econtra, volitionem esse terminum formalem communicationis respectu Spiritus sancti; non vero respectu Filij.

35. Respondeo concesso antecedente, negans consequentiam. Ad probationem dicimus, ad perfectionem notionalem, non sat esse, quod præstet munus aliquod respectu vnius Personæ, & non alterius, vt ex nostris probationibus aperte constat, sed vlterius opus esse, quod talis perfectio ita sit propria alicuius, vt nulla ratione sit omnibus communis. Intellectio autem, quamuis non præstet munus communicationis respectu Spiritus sancti, est tamen ipsi communis, tanquam terminus illi à patre, & Filio per volitionem communicatus. Pariter volitio, quamuis non præstet munus communicationis respectu Filij, est tamen ipsi communis tanquam terminus illi à Patre per intellectionem communicatus. Vnde neutra notionalis esse potest, sicut non potest essentia, quamuis ad

Diuersi respectus ad intellectionem, & volitionem notionales minime sufficientes.

Filium, & Spiritum sanctum diuersos habeat respectus vt dictum est.

36. Obiicies quartò ex P. Zuñiga. Sicut Pater differt à Filio per generare, & vterque ab Spiritu per spirare, sic etiam per posse gignere, & spirare: ergo sicut hac de causa generatio, & spiratio actiua sunt actus notionales, etiam erunt potentiæ productiuæ, ac proinde intellectio, & volitio, vt sunt principia erunt notionales: Hæc tamen obiectio non militat contra nos, qui principium productiuum non constituimus in absoluto, sed in solo relatiuo; vnde nihil mirum si notionale sit, cum virtus generatiua sit propria solius Patris, & virtus spiratiua Patris, & Filij.



DISPVTATIO IX.

De terminis, conuenientia, & distinctione processionum.



CVM in processione personali intercedat, non solum productio, sed etiam communicatio; vtriusque terminos in præsenti inuestigamus, Quid videlicet sit terminus processionis, non solum vt productio, sed etiam vt communicatio est, id est, quid in vnaquaque processione sit terminus productus, & quid sit terminus communicatus: Quid autem sit communicatio, constat iam ex dictis tota disput. 7. esse intellectionem respectu Filij, & volitionem respectu Spiritus sancti.

SECTIO

SECTIO I.

De terminis diuinarum processionum, earumque conuenientia.

2. ASsero primo terminum *quo*, seu formalem, processionis diuinæ, vt productio est, esse solam relationem Personæ productæ, Filiationem scilicet in Filio, & spirationem passiuam in Spiritu sancto. Probatur. Ille est terminus *quo*, seu formalis, processionis, vt productio est, qui immediate, & integre producitur: talis autem est sola relatio Personæ productæ, natura autem diuina, & quæ communia sunt producenti, & producto, improducta manent: ergo, &c. Terminus *quo* seu formalis processionis, vt productio est, sola est relatio Personæ productæ.

3. Assero secundo, terminũ *quod*, seu totalem processionis, vt productio est, esse integram Personam productam. Probatur, quia terminus totalis, seu *quod* processionis, vt productio est, dicitur ille, qui vltimate intenditur à principio, sic licet in generatione humana sola vnio, quæ per illam producitur, sit terminus *quo*, terminus tamen *quod* est integer homo vltimate intentus à generatione: in processionibus autem diuinis vltimate intenditur Persona producta. ergo ista erit terminus *quod* processionis, vt productio est,

4. Circa terminum communicationis maior est difficultas, & dissensio inter Doctores, orto discrimine ex diuersitate sententiarum de constitutiuo Dei, & constitutiuo Filij. Qui enim tuentur solam actualem intellectionem esse Dei essentiam integram, & adæquatam, eamque Filio ex vi processionis communicari, consequenter docent, terminum processionis Filij, vt communicatio est, esse solam intellectionem; processionis vero Spiritus sancti solam volitionem. Qui autem cum Martino Perez essentiam Dei integrant ex intellectione, & volitione actualibus, vtramque tenent esse terminum vniuscuiusque processionis, vt communicatio est. Nobis autem, qui essentiam diuinam statuimus in solo intellectiuo virtualiter à se, noua semita premenda est. Terminus vero *quod* seu totalis est integra Persona producta.

 5. Assero

Quid sit terminus processionis vt communicatio est. 5 Assero igitur tertio. Terminũ processionis, vt cõmunicatio est, de constitutiuo integrali dicere omnes perfectiones absolutas, dempta respectu Filij intellectione, & respectu Spiritus S. volitione, quæ non sunt terminus communicatus, sed rationes formales communicandi, vt in superioribus statutum est. De constitutiuo vero formali, dicere solam essentiam diuinam respectu vtriusque processionis, communicatam Filio per intellectionem, Spiritui sancto per volitionem. Hæc conclusio satis constat ex dictis tota die disp. 7. Vbi posuimus solam intellectionem esse communicationem respectu Filij, & solam volitionem respectu Spiritus sancti, & vtrique Personæ omnes perfectiones, absolutas de constitutiuo integrali communicari; de formali verò solam essentiam, & ad summum etiam intellectionem respectu Spiritus sancti. Videantur ibi dicta.

De constitutiuo integrali sunt perfectiones absolutæ & quales. 6 Obiter explicatur assertio quoad omnes illius partes. Quod primam, scilicet, terminum processionis, vt communicatio est de constitutiuo integrali, dicere omnes perfectiones absolutas ostenditur. Nam omnis perfectio absoluta, spectat ad integritatẽ perfectionis cuiuslibet personæ diuinæ: cuiusuis enim defectu Persona diuina integre perfecta non esset, vt est certũ: ergo terminus processionis diuinæ, vt communicatio est, de constitutiuo integrali dicere debet omnes perfectiones absolutas, quæ communicantur, vt *quod*, siue sunt terminus cõmunicatus. Patet consequentia, nam terminus formalis processionis, vt communicatio est, de constitutiuo integrali, est perfectio absoluta integrans Personam: ergo cum omnis perfectio absoluta integret, omnis quoque erit de constitutiuo integrali termini processionis, vt communicatio est.

7 Respectu ergo Filij terminus integralis, seu integer processionis, vt communicatio est, erit omnis perfectio absoluta, scilicet, essentia, volitio, omnipotentia, immensitas, &c. Vna dempta intellectione, quæ respectu Filij, terminus communicatus non est, sed ratio formalis communicandi. Respectu vero Spiritus sancti, terminus processionis vt communicatio est, erit similiter omnis perfectio absoluta, scilicet, Essentia intellectio, omnipotentia, immensitas, &c. Vna dempta volitione, quæ

quæ terminus communicatus non est, sed ratio formalis communicandi, vt disp. illa 7. positum est.

8 Dices. Terminus communicandus debet præcedere ipsam communicationem: volitio autem non præcedit communicationem respectu Filij: ergo non potest esse terminus communicandus Filio. Minor probatur, quia communicatio respectu Filij, est intellectio: volitio autem non præcedit intellectionem, imo subsequitur: ergo neque poterit esse terminus communicationis. *Respondeo*, negans maiorem; terminus enim communicandus præcedere non debet communicationem; sed satis est, quod prioritate à quo præcedat Personam, cui communicandus est: volitio autem in Patre præcedit Filium, nam Pater in esse principij generatiui de constitutiuo integrali constituitur volitione per intellectionem communicanda Filio. *Terminus communicandus præcedere non debet communicationem.*

9 Quoad secundam partem, videlicet, terminum processionis, vt communicatio est, de constitutiuo formali, dicere solam essentiam diuinam. Probatur, quia ad constitutiuum formale alicuius entis, illud tantum pertinet, quo deficiente, etsi cætera manerent, res deficeret, & quo stante, etsi cætera deficerent, res consisteret: stante autem sola essentia diuina, consisteret terminus processionis, tam Filij, quam Spiritus sancti, vt communicatio est; & essentia diuina deficiente, deficeret; etsi cætera manerent: ergo essentia diuina est de constitutiuo formali termini processionis, vt communicatio est. Minor probatur, quia stante sola communicatione essentiæ diuinæ per intellectionem, staret processio Filij; eademque per volitionem communicata, consisteret processio Spiritus sancti, omni alio quouis modo processio; ergo staret terminus communicationis, quoad formale illius constitutiuum, cum staret communicatio, & processio Personalis ab illo essentialiter dependens. *Sola essentia diuina de constitutiuo formali, est terminus processionis vt communicatio est.*

10 Dices primò. Illud tantum est de constitutiuo formali termini processionis, vt communicatio est, quod exigitur ad processionem: ad processionem autem Spiritus sancti, non exigitur formaliter, natura seu essentia diuina, sed solus amor,

cum processio Spiritus sancti sit per voluntatem: ergo *Respondeo*, concessa maiori, negans minorem. Nam Spiritus formaliter ex vi processionis est Deus, & Persona, &, vt talis sit, formaliter exigit naturam diuinam sibi communicari, non per intellectionem, quia id proprium est Filij, sed per volitionem, quod proprium est Spiritus.

11. Dices secundo. Processio Spiritus sancti est per volitionem: ergo terminus illius de formali constitutiuo, non est, sola essentia, sed etiam intellectio, quæ in nostra sententia distincta est ab essentia. Probatur consequentia, quia processio per volitionem ab illo formaliter dependet, à quo pendet volitio: volitio autem formaliter ab intellectione dependet, cum nihil sit volitum, quin præcognitum: ergo sicut essentia est de constitutiuo formali processionis Spiritus, quia hæc formaliter ab illa dependet, etiam erit intellectio. *Respondeo*, processionem Spiritus, non eo præscise constitui formaliter essentia, quia pendet ab illa; plura enim pendent ab alio præsupposito, quo non constituuntur; sed quia est processio Personalis, siue Personæ imbibentis formaliter, non minus naturam, quam Personalitatem. Processio autem volentis, qualis est Spiritus, quamuis præsupponat intellectionem, ab eaque dependeat; non tamen ea formaliter constituitur; sicut volitio non constituitur formaliter intellectione, quamuis ab ea dependeat.

Ratio processionis in Deo æquiuoca non est.

12 Circa conuenientiam difficultas est, An processiones diuinæ conueniant in aliqua ratione vniuoca, vel analoga obiectiue, vel tantum ex modo concipiendi præscisa. Et quidem rationem processionis æquiuocam non esse, certum est, nam processio Filij, & Spiritus sancti non conueniunt in solo nomine, cum vtraque sit vera, & realis processio Personalis, vt certum, & omnibus indubitatum est.

Nec analoga, sed vniuoca.

13 Assero quarto rationem processionis non esse analogam, sed vniuocam respectu processionis Verbi, & Spiritus S. Probatur, quia, vt ostendi in Metaphysica, citra Metaphoram non datur analogia, qua ratione risus ad hominem, & pratum est analogum, quia vni propriè, alteri vero impropriè, & metaphoricè conuenit: ratio autem processionis propriè, & citra

citra omnem Metaphoram conuenit vtrique processioni diuinæ: ergo analoga non est sed vniuoca. *Confirmatur.* Nam si ex aliquo capite ratio processionis esset analoga, maxime propter transcendentiam, quia scilicet imbibitur in vltimis differentiis processionum: id non sufficit: nam cum transcendentia optime stat vtrumque propriè rationem communem participare, quod obstat analogiæ, cuius ratio vni propriè, alteri impropriè debet conuenire: ergo ratio processionis, quæ propriissimè vtrique processioni conuenit, non erit analoga, sed vniuoca.

SECTIO II.

De distinctione Diuinarum processionum.

14 ASsero primo rationē processionis non esse obiectiuè, seu virtualiter distinctā à differentiis vtriusq; processionis. Probatur quia conceptus processionis dicit conceptum relatiuum, non autem datur conceptus relatiuus obiectiuè, seu virtualiter præscisus à differentiis Filiationis & Spirationis passiuæ: ergo neque conceptus processionis. Minor probatur, quia si daretur conceptus relatiuus virtualiter, aut obiectiuè distinctus à differentiis Paternitatis, aut Spirationis passiuè constitueret relationem distinctam à Paternitate, Filiatione, Spiratione actiua, & passiua; vnde essent plures, quā quatuor relationes, cum ad relationes multiplicandas, sufficiat distinctio virtualis vt patet in relatione Spiratoris, quæ virtualiter tantùm differt à Paternitate, & Filiatione, & tamen constituit quartam relationem. *Ratio processionis nō distinguitur virtualiter, aut obiectiue à differētiis.*

15. Confirmatur. Quia sicut differentia Filiationis est formaliter conceptus respectiuus, ita est formaliter conceptus ortus à Patre: ergo sicut differentia Filiationis est formaliter relatio, ita erit formaliter processio. Et ratio est, quia in diuinis ea tantum distinguntur virtualiter, aut obiectiuè, quæ cum identitate reali vel componunt prædicata realiter contradictoria; vel sunt principium, & terminus; conceptus autem processionis,

processionis, nec componit prædicata realiter contradictoria cum Filiatione, aut relatione Spiritus sancti, neque inter ipsas præcedit ratio principij, aut termini: ergo neque distinguentur virtualiter.

Ratio processionis distinguitur nostro modo concipiendi à differentiis.


16 Assero secundo, conceptum processionis distingui à differentiis ex nostro modo concipiendi, tanquam conceptum clarum, & confusum. Ita P. Soarius lib. 1. cap. 9. & communiter Recentiores. Probatur, quia potest concipi processio clarè, non concepta clarè singulari processione Filij, aut Spiritus sancti: id est distingui modo nostro concipiendi: ergo. An autem id sufficiat, vt conceptus processionis sit genus, vel vlterius requiratur obiectiua, & virtualis præscisio à differentiis; Quæstio est dirimenda iuxta vniuscuiusque principia de vniuerso tradita in Logica. Si enim ad genus sufficiat præscisio tantùm ex parte actus, conceptus processionis poterit dici genericus. Si vero vlterius requiratur obiectiua præscisio, non erit genus.

Processiones Diuinæ distinguntur inter se specie physica, non logica

17 Circa distinctionem diuinarum processionum inter se. Assero tertio diuinas processiones distingui inter se specie physica. Probatur, quia vna, scilicet Filij, est generatio, & generis intellectiui; Altera verò, scilicet Spiritus sancti, non est generatio, nec generis intellectiui; sed volitiui: At genus intellectiuum, & volitiuum specie physica distinguntur: ergo & processiones Filij, & Spiritus sancti specie physica distinguentur inter se. dixi *physica*, quia cum vnaquæque processio sit essentialiter singularis, neutra respectiuè ad alteram, constituere potest, speciem logicam, siue vniuersalem, cum implicet species vniuersalis in vnico tantum indiuiduo, vt docuimus in Metaphysica.

18 De distinctione autem reali numerica processionum inter se, & vnde petenda, constabit inferiùs, dum de distinctione Personarum disputabitur, & an Spiritus sanctus distingueretur realiter à Filio, si ab illo non procederet.

DISPVT.



DISPVTATIO X.

Cur processio Verbi, & non Spiritus sancti sit generatio.

15 GREDIMVR iam Principem in hac materia controuersiam, Cur scilicet processio secundæ Personæ Trinitatis sit generatio, & generis intellectiui: non vero tertiæ. Quæ difficultas adeo doctiorum torsit ingenia, vt vix sit, qui aliorum elucubrationibus, & vigiliis conquiescat, Multi, qui imbecillitatem propriam ingenuè fateantur. Inter quos clarissimum Ecclesiæ lumen Augustinus lib.1. de Trinit. cap. 1. *Afferimus*, inquit, *aliquando rationem, non quam petunt, cum de Deo quærunt quia nec ipsi eam valent sumere, nec nos fortasse, vel apprehendere; sed qua demonstretur eis, quam sint inhabiles, miniméque idonei percipiendo, quod exigunt.* Et quidem processionem secundæ Personæ esse generationem; non verò tertiæ sanctum est fide ex multis Scripturæ, & Conciliorum testimoniis de cursu disputationis subiiciendis.

SECTIO I.

Ratio dubitandi, & quidditas controuersiæ statuuntur.

Ratio dubitandi cur processio tertiæ Personæ non sit generatio.

2 RAtio dubitandi cur processio tertiæ Personæ non sit generatio, est, Quia generatio viuentium communis Deo, & creaturis, est, *Origo viuentis à principio viuente coniuncto in similitudinem naturæ*: Processio autem Spiritus sancti, est origo viuentis à principio viuente coniuncto in similitudinem naturæ: ergo est generatio. Minor probatur expendendo singulas definitionis particulas. In primis enim processio Spiritus sancti est *origo viuentis*, cum sit Personæ viuentis productio. Deindè est *à principio viuente*, cum sit à Patre & Filio, tanquam ab vno principio. Præterea est *à principio coniuncto*, quia id solum denotat principium tribuere termino partem suæ substantiæ, ita vt eadem substantia, quæ erat in principio, sit postea in termino: eadem autem substantia volitionis, & naturæ diuinæ, quæ erat in Patre, est per processionem in Spiritu sancto: ergo est à principio coniuncto. Denique processio Spiritus sancti est in *similitudinem naturæ*, quia id tantum denotat, terminum productum habere eandem specie, vel numero naturam cum principio: at Spiritus sanctus eandem specie, & numero naturam diuinam habet cum Patre, & Filio, cum ista sit omnibus communis, maximè in nostra sententia communicante ex vi processionis Spiritus sancto naturam diuinam: ergo processio Spiritus sancti, erit generatio. Huius argumenti solutio, est tota præsens difficultas.

3 Quæritur ergo, quid speciale contineat processio secundæ Personæ, ratione cuius, terminus illius genitus sit, & Filius; quod non habeat processio tertiæ Personæ. Etenim si illud ratione cuius processio secundæ Personæ est generatio, speciale, & proprium illius non sit, sed commune etiam processioni tertiæ Personæ, neque esse generationem speciale erit, & proprium secundæ Personæ, sed commune etiam tertiæ;

tertiæ; vnde veraque præcessio esset generatio, quod falsum est.

4 In hoc puncto pro sententiarum varietate discernenda magni momenti est ante oculos habere, quid quisquis sentiat de constitutiuo Essentiæ, siue naturæ diuinæ. Quare breui singulorum sententias in hunc locum ex tractatu de essentia, & attributis transferemus. P. Soarius, P. Arriaga, & multi recentiores cum illis tuentur solam actualem intellectionem esse integrum, & formale constitutiuum essentiæ, siue naturæ diuinæ: non enim admittunt in Deo intellectiuum radicale, siue, actum primum intelligendi virtualiter, aut obiectiue, ab actuali intellectione distinctum. Quo posito docent intellectionem siue essentiam diuinam communicari secundæ Personæ ex vi formalis processionis; non vero tertiæ; & inde tentant processionem secundæ generationem esse, non tertiæ, vt constabit infra.

Essentiam diuinam in sola actuali intellectione consistere qui doceant.

5 Albis vero tract. 1. de essentia Dei disp. 2. sect. 6. & P. Martinus Perez de Trinitate censent, non solam actualem intellectionem, sed vna cum illa etiam volitionem ingredi formale constitutiuum essentiæ diuinæ. Vnde infert Perez disp. 3. sect. 3. num. 3. vtrumque actum intelligendi simul, & volendi communicari primario ex vi processionis, quia scilicet vterque actus est de primario constitutiuo essentiæ, siue Naturæ diuinæ.

Consistere etiam in volitione qui teneant.

6 Nos verò stabilito, & firmato actu primo intelligendi, siue intellectiuo radicali. Diximus tract. de essentia, & attributis, actualem intellectionem nullatenus ingredi formale Dei constitutiuum, & multò minus volitionem, sed integram essentiam, & naturam Dei consistere in solo intellectiuo radicali distincto virtualiter ab actuali intellectione, quia est illius principium virtuale; idem autem non potest esse sui ipsius virtuale principium: Vnde substantia intellectiua diuina vtpotè virtuale principium intellectionis, necessariò debet esse virtualiter ab illa distincta.

Essentia, seu natura diuina in solo intellectiuo radicali consistit.

7 His præiactis supponimus de fide. primo, processionem secundæ Personæ verè, & propriè generationem esse. Quæ veritas in sacris Litteris apertissimè continetur. Psalm. 2. *Filius*

Supponitur de fide processionem secundæ generationem esse.

 meus

meus es tu, ego hodie genui te. Et Psal. 109. *Ex vtero ante luciferum genui te.* Isaiæ 53. *Generationem eius quis enarrabit.* Quem locum in generationem diuinam referunt communiter Patres Ioannis 1. *Deum nemo vidit vnquam, Vnigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit.* Et cap. 3. *Sic Deus dilexit Mundum, vt Filium suum vnigenitum daret.* Idem stabiliunt innumera testimonia, in quibus Christus primam Trinitatis Personam Patrem suum appellat. Et in symbolo secunda trinitatis Persona dicitur. *Filius à Patre est, non factus, nec creatus, sed genitus.*

Supponitur etiam de fide, processionem tertiæ Personæ generationem non esse.

8 Supponimus secundò etiam de fide processionem tertiæ Personæ generationem non esse. Tum quia Spiritus sanctus nusquam dicitur genitus in scripturis, nec Filius, sed procedens tantùm. Imo in Conciliis, & Symbolo Niceno negatur genitus his verbis. *Spiritus sanctus à Patre, & Filio, non factus nec creatus, nec genitus, sed procedens.* Tum etiam, quia testimoniis Ioannis superiùs allegatis Filius dicitur vnigenitus.

Supponitur pariter de fide, secundã Personam esse Verbũ, non vero tertiam.

9 Supponimus tertiò etiam de fide, secundam Personam esse Verbum; non verò tertiam. Ex illo Ioannis 1. *In principio erat Verbum. Et Verbum caro factum est.* Psal. 44. *Eructauit cor meum Verbum bonum.* Et Psal. 32. *& Verbo Domini cæli formati sunt,* quæ Pater ad Filium referunt solam secundam Trinitatis Personam appellantes Verbum. Basilius ad illud, *In principio erat verbum* Homil. 16. *Pater Filij genitor, vt mens Verbi Pater.* Cyrillus Alexandrinus lib. 1. in Ioan. cap. 5. *Filius appellatur Verbum, ac sapientia, quoniam ex intellectu immediatè, atque indiuisibiliter est* Theodoretus in Epitome Diuin. Decret. cap. 2. *Vnigenitus Filius ex Patre quidem est genitus, est autem vna cum mente, vt Verbum cum eo, qui genuit.* Ambrosius lib. 4. de fide ad Gratianum cap. 4 tenet contra Arianos Filium, *ideò dici genitum, & natum, quia Verbum est.* Anselmus in Menolog. cap. 46. *De æterna memoria coæternum Verbum nascitur.* Isidorus lib. 2. de differentiis spiritualibus cap. 5. *Filius est Verbum quia proprie ex diuino ore processit.*

Basilius. Cyrillus. Theodoret. Ambrosius. Anselmus. Isidorus.

10 Tota ergo præsens inuigilat controuersia in assignando discrimine inter vtramque processionem, ratione cuius vna,

&

& non altera, generatio sit. Quæ difficultas adeò alta est, & profunda, vt sapientissimis Patribus, & Doctoribus inexplicabilis visa fuerit. Idcircò Damascenus lib.1.de fide cap. 10.fatetur se rationem ignorare. Athanasius dialog.3.contra Annomæos ait, esse mysterium inuestigabile. Idem fere sentiunt Basilius homil.2. contra Sabellianos, & Annomæos. Nazienzenus orat.5.de Theologia, alias 37. Augustinus lib.3. contra Maximum cap.14.& Accatius in Epist.ad Cyrillum.Imò Anastasius Synaita lib. de rectis fidei dogmatibus ait, non est tutum hoc inquirere, quod soli Trinitati cognitũ est Bernardus vero sermone 1.Pentecostes huic mysterio accommodat illud *Posuit tenebras latibulum suum.* Et eodem modo procedit Magister in 1.dist.13. quem maior, & Gabriel imitantur. Nec multum discrepat Scotus, & alij.

Damascen. Athanasius. Basilius. Nazianzen. Augustinus. Acaccius. Anastasius, Bernardus.

11 Nilominus tamen iidem Patres,& Doctores aliquam rationem tanti mysterij reddere tentarunt. Nam vt optimè Pater Soarius lib.11.cap.5.num.3 licet tantum mysterium non sit curiosè scrutandum, neque existimandum explicari posse ratione, quæ omnino satisfaciat; aliqua verò, quæ pro magnitudine mysterij, & capacitate nostra, congrua sit, piè, ac meritò inquiri potest.

SECTIO II.

Communior sententia Doctorum expenditur.

12 SApientissimus P. Soarius lib.11. de Trinit cap.5. num. 16.& cap.6. num.14. Docet, ideò processionem secundæ Personæ esse generationem,non tertiæ. Quia processio Verbi ex vi, & ratione sua, est communicatio formalis diuinæ naturæ,seu essentiæ,quæ in eius sententia integrè, & adæquatè in sola actuali intellectione consistit; non enim admittit radicale intellectiuum ab intellectione distinctum.Id satis esse, ait, ad generationem, quæ nihil aliud est, quam formalis communicatio naturæ, vt natura est: at vero processio Spiritus P. Soarius.

sancti ex vi sua non est formalis communicatio essentiæ, scilicet intellectionis. sed tantum est formalis communicatio volitionis, siue amoris, qui essentia, & natura diuina formaliter non est. Ideò processio Verbi est generatio, quia ex vi sua est in similitudinem naturæ, siue essentiæ: Et processio Spiritus sancti non est, quia ex vi sua non est in similitudinem naturæ, siue essentiæ. Hanc sententiam non sine plausu sequuntur cum Arriaga multi, & ingeniosi Recentiores tum Thomistæ, tum nostri, supponentes omnes essentiam, seu naturam diuinam consistere virtualiter in sola actuali intellectione.

P. Arriaga.

Actualis intellectio nō est natura, seu essentia Dei.

13 Hæc tamen opinio tanti Magistri, discipulorumque venia, non placet. Primò, quia supponit actualem intellectionem esse virtualiter essentiam, seu naturam diuinam; cuius oppositum statuimus ex professo agentes de essentia, & attributis, vbi non minus exclusa est intellectio, quam volitio à formali, & virtuali constitutiuo Deitatis, consistentis in solo intellectiuo radicali. Cæterum ne mens alio distrahatur, occasione celebris huius controuersiæ, supponamus, essentiam, seu naturam diuinam consistere formaliter, & virtualiter in sola intellectione diuina. Quo posito.

Communicatio formalis intellectionis, nec potest esse identitas formalis, nec realis.

14 Displicet secundò. Quia communicatio formalis intellectionis, est coniunctio formalis illius cum relatione Verbi: hæc autem coniunctio in opposita sententia, est identitas intellectionis cum relatione Verbi. Vel ergo communicatio, seu coniunctio formalis, est identitas tantum materialis intellectionis cum relatione producta: vel est identitas materialis simul, & formalis, seu virtualis? Si primum? ergo intellectio formaliter communicatur Spiritui sancto, cum ipsius relationi materialiter identificetur. Si secundum? ergo intellectio, seu natura diuina non solum est idem materialiter cum relatione Verbi, sed etiam formaliter, & virtualiter. Quod aduersarij constanter negant naturam diuinam ab omni relatiuo formaliter, & virtualiter distinguentes, & meritò quidem, nam si intellectio formaliter, & virtualiter esset idem cum aliquo relatiuo, negari non posset similis identitas cum absoluto, vnde formaliter, & virtualiter.

liter esset idem cum amore necessario; atque adeò iste formaliter, & virtualiter esset essentia, & processio Spiritus per illam in similitudinem naturæ, & consequenter generatio: Ergo vel vtrique Personæ communicatur formaliter intellectio; vel nulli. Vnde vtriusque processio, vel nullius, esset generatio.

15 Confirmo. Communicatio materialis est identitas materialis per vos: vnde ratione identitatis materialis, Spiritui sancto communicatur materialiter intellectio, ergo communicatio formalis erit identitas formalis,& virtualis: hæc autem implicat inter intellectionem, & relationem Verbi: ergo & communicatio formalis: ergo secunda persona, non ideò erit Filius, quia formaliter illi communicetur intellectio, sed quia tantum materialiter: hoc autem pacto communicatur Spiritui sancto: ergo vel vtriusque processio, vel nullius, erit generatio.

16 Occurrunt Recentiores docentes, communicationem formalem intellectionis non esse identitatem formalem aut virtualem illius cum relatione producta, sed identitatem materialem, non tamen solam, sed vna cum speciali exigentia, quâ processio secundæ Personæ, nempe Verbi, respicit intellectionem tanquam terminum sui specificatiuum. Etenim filiatio ita exigit intellectionẽ ad sui processionem, vt si per impossibile Pater esset intelligens, & non volens, adhuc esset potens generare, & Filius potens generari. Econtra vero, si per impossibile Deus esset volens, & non esset intelligens, esset quoque potens spirare, & Spiritus sanctus potens spirari, & non esset potens generare. Specialis ergo exigentia intellectionis reperta in relatione Verbi, & specialis exigentia volitionis reperta in relatione Spiritus sancti, vna cum identitate materiali, constituunt formalem communicationem, citra omnem identitatem formalem, aut virtualem.

Responsio communicationem formalem intellectionis explicãs.

17 Non mihi displicet nec difficilè est intellectu, in relatione Verbi reperiri specialem exigentiam intellectionis, & in relatione Spiritus sancti specialem exigentiam volitionis: ita vt Verbum ad sui processionem proxime, immediate, & directe, solam exigat intellectionem, & Spiritus

Quid in responsione placeat, quid, que displiceat.

sanctus

ſanctus ſolam volitionem. Cæterum huiuſmodi exigentia, propria relationis Verbi exigere debet ſpecialem coniunctionem, ſeu communicationem intellectionis ad relationem Verbi, diſtinctam à communicatione materiali, quæ tam Filio, quam Spiritui ſancto communis eſt. Hæc autem ſpecialis coniunctio, ſeu communicatio, fatentibus aduerſariis non poteſt eſſe identitas formalis, aut virtualis intellectionis cum relatione Verbi: ergo tantum erit identitas materialis: iſta autem communis etiam eſt Spiritui ſancto; ergo & ſpecialis coniunctio, ſeu communicatio intellectioni. Maior, quæ ſola probationem deſiderare poſſet, videtur certa, nam vt vna Perſona ſit Verbum, potiùs quam altera, ſpeciali titulo intellectio ipſi debet eſſe coniuncta: ergo exigentia propria relationis Verbi, exigere debet ſpecialem coniunctionem intellectionis cum ipſa, aliter ſpecialis illa exigentia inexplicabilis maneret.

Perſonalitas Spiritus ſancti exigit naturam diuinam, vt terminum ſui ſpecificatiuum.

19 Confirmatur primò. De ratione Perſonalitatis formaliter, & virtualiter eſt, exigere naturam, cum qua Perſonam conſtituat, & ſine qua illam conſtituere non poteſt: relatio autem Spiritus ſancti, & Perſonalitas: ergo de ratione illius erit, formaliter, & virtualiter exigere naturam, ſiue intellectionem; aliud intellectio eſt materialiter identificata cum relatione Spiritus: ergo & formaliter communicata, cum formalis communicatio aliud non ſit, quam exigentia intellectionis, & identitas materialis illius cum relatione producta.

Identitas materialis cum exigẽtia intellectionis non ſat eſt communicationi formali.

19 Confirmatur ſecundò. Exigere ſpeciali exigentia aliquem terminum, tanquam ſui ſpecificatiuum, & ſibi materialiter tantum identificatum, non eſt conceptus communicationis formalis, etenim volitio diuina, qua Deus ſuam amat eſſentiam, ſeu intellectionem, ſpeciali exigentia exigit intellectionem ſibi materialiter tantum, identificatam, quin intellectio formaliter, aut virtualiter communicetur volitioni. Inſuper relatio Spiritus ſancti ſpecialiter exigit naturam diuinam, ſeu intellectionem tanquam principium virtuale proximum & immediatum ipſius, nam vt oſtendi de eſſentia, & attributis, Natura diuina, in quocumque conſiſtat, eſt immediata radix omnium relationum, & tamen natura diuina per vos non communicatur formaliter Spiritui ſancto, etiamſi materialiter identificetur:

tificetur: ergo specialis exigentia intellectionis, vna cum identitate tantum materiali, non constituunt communicationem formalem intellectionis.

20 Si autem dicas, non quamlibet exigentiam specialem intellectionis constituere, vna cum identitate materiali, communicationem formalem, sed illam tantum, quæ propria est relationis Verbi. Rem non explicas: rogo enim quid sit illud speciale, ratione cuius exigentia illa sit propria Verbi, & constituat communicationem formalem? Quandiù enim id non reueletur, inexplicata manet quidditas, & substantia præsentis controuersiæ. Quod si dicas specialem illam exigentiam consistere in eo, quod sit exigentia intellectionis potiùs, quàm volitionis. Non soluis. Nam species impressa exigit intellectionem potiùs, quàm volitionem, & per intellectionem potiùs, quàm volitionem procedit, nec tamen est Verbum: ergo processio, vt cunque per intellectionem, potiùs quàm volitionem, non euincit Verbum. Addo huiusmodi responsionem dare nobis quæstionem pro ratione. Supponit enim secundam Personam esse verbum, ideóque habere specialem illam exigentiam propriam Verbi. In præsenti enim dum controuertitur, cur secunda Persona sit Filius; non verò tertia, simul etiam inquiritur, cur sit Verbum, & consequenter, quid speciale in ea reluceat, ratione cuius sit verbum, & Filius: non ergo supponendum est: esse Verbum ad reddendam rationem, cur sit Filius.

21 Displicet tertiò. Quia etiam si natura, seu intellectio diuina communicaretur formaliter soli Filio, tamen realiter etiam Spiritui sancto communicatur: ergo processio Spiritus sancti erit origo viuentis à viuente coniuncto in similitudinem naturæ realiter: ergo erit realiter generatio, eiusque terminus Filius. Probatur consequentia. Illud est realiter Filius, & genitus, cuius processioni conuenit realiter definitio generationis: realiter autem conuenit processioni Spiritus sancti: ergo. *Confirmatur.* Illud cui formaliter cõuenit definitio generationis, est formaliter Filius: ergo illud, cui conuenit realiter, erit realiter Filius: at spiritui sancto cõuenit realiter definitio generationis: ergo Spiritus sanctus erit realiter Filius. Minor probatur, quia

Processio Spiritus sancti in opposita sententia foret materialiter generatio.

processio Spiritus sancti, est, origo viuentis à principio viuente coniuncto in similitudinem naturæ realiter, cum similitudo realis, aliud non sit, quam communicatio materialis essentiæ, sicut similitudo formalis est communicatio formalis illius at Spiritui sancto materialiter communicatur essentia: ergo.

22 Dices ad generationem realem sufficientem non esse communicationem materialem essentiæ, seu intellectionis, sed vlteriùs necessariam esse formalem; inde processio Spiritus sancti, cum sit tantum communicatio materialis generatio non est.

Ad generationem materialem necessaria non est communicatio formalis essentiæ.

23 Contra. Quia terminus ille *formaliter* sola libera voluntate aduersariorum inseritur definitioni generationis, in qua nusquam eius termini facta est mentio: ergo, sicut origo viuentis à principio viuente coniuncto in similitudinem naturæ formaliter, arguit formaliter generationem; ita origo viuentis à principio viuente coniuncto in similitudinem naturæ materialiter, arguet generationem materialem; ita vt esse genitum; licet in Spiritu sancto non sit conceptus formalis, sit tamen conceptus materialis; Quod si similitudo materialis non arguit Filium, & genitum materialiter: ergo neque similitudo formalis arguet Filium, & genitum formaliter.

24 Exemplo res fiet illustrior. Homo est animal rationale, si tamen in aliquo inueniretur animal rationale, materialiter, etiamsi formaliter non inueniretur, illud esset homo materialiter, quamuis non formaliter, quia materialiter clauderet conceptum hominis, sicut in sententia aduersariorum Spiritus sanctus est materialiter Persona, & non formaliter, quia materialiter est in illo conceptus Personæ, quamuis formaliter non sit: ergo cum generatio sit, origo viuentis à principio viuente coniuncto in similitudinem naturæ, processio, quæ sit origo viuentis à principio viuente coniuncto in similitudinem materialiter, erit materialiter generatio: talis autem est processio Spiritus sancti: ergo.

Spiritus sanctus est materialiter Persona: ergo & materialiter erit Filius.

Confirmatur. Quamuis Spiritus sanctus non sit formaliter Persona, quia illi formaliter non communicatur natura diuina, tamen quia materialiter communicatur, est materialiter Persona, ergo quamuis non sit formaliter Filius, quia natura diuina

diuina non communicatur illi formaliter; quia tamen communicatur illi materialiter, erit materialiter Filius, eiusque processio generatio. Probatur consequentia. Quia non est potior ratio, cur constitutiuum Personæ reperiri possit in aliquo ente materialiter tantum, & non possit constitutiuum generationis: ergo sicut constitutiuum Personæ materialiter tantum repertum, constituit Personam materialiter; ita & constitutiuum generationis materialiter tantum repertum, constituet genitum materialiter: at in Spiritu sancto reperitur materialiter constitutium generationis, cum eius processio sit origo viuentis à viuente coniuncto in similitudinem naturæ materialiter: ergo.

26 Dices primò disparem esse rationem inter generationem & Personam, nam ista non pendet ex eo quod sit origo in similitudinem naturæ, vel non; benè vero generatio; Pater enim est Persona absque vlla origine in similitudinem naturæ, seu communicatione essentiæ: nulla verò potest esse generatio absque origine in similitudinem naturæ.

27 Contra. Quia licet conceptus Personæ in Patre non pendeat ab origine in similitudinem naturæ, seu communicatione essentiæ, pendet tamen in Personis procedentibus, istæ enim absque communicatione essentiæ, seu naturæ non possunt esse Personæ, vt nulli dubium esse potest: communicatio autem essentiæ est similitudo in natura: ergo in Personis procedentibus pendet ab origine in similitudinem naturæ. Sicut ergo origo in similitudinem naturæ formaliter constituet Filium, & Personam formaliter; ita origo in similitudinem naturæ materialiter, constituet Filium, & Personam materialiter, nullum ergo est discrimen inter generationis conceptum, & conceptum Personæ producentis; vtraque enim pendet à similitudine, seu communicatione naturæ, siue essentiæ: ergo sicut origo in similitudinem naturæ materialiter constituit Spiritum sanctum materialiter Personam, pariter constituet & Flium.

Concep. Personæ procedentis pendet ab origine in similitudine naturæ.

28 Dices secundò ad conceptum Filij non sufficere similitudinem materialem, sed vlterius necessariam esse formalem, quæ formalis similitudo in Spiritu sancto, nec realiter reperi-

tur, sola enim in illo est formalis communicatio amoris. Ratio est, quia generatio formaliter est origo in similitudinem naturæ: atque adeò genitus, siue Filius, non materialiter tantùm, sed formaliter debet esse in similitudinem naturæ.

Qualiter, vt quis denominetur Filius includere debeat originem in similitudinē naturæ.

29 Contra. Quia aliud est generationē esse formaliter originem in similitudinem naturæ: aliud verò; subiectum, quod denominandum est Filiùs, debere includere intra conceptum primarium, & formalem sui, conceptum primarium, & formalem generationis. Primum verum quidem est; Secundum verò falsissimum. Quod sic ostendo. Nam conceptus Personæ imbibit formaliter naturam; & tamen, vt subiectum aliquod denominetur Persona, non opus est, quod intra conceptum sui formalem, & primarium, imbibat naturam, sed satis est, si includat illam pro conceptu materiali, aliter Spiritus sanctus non esset Persona. Insuper homo, qui denominatur risibilis, non opus est, vt intra conceptum formalem hominis, includat conceptum formalem risibilitatis, sed satis est, si illum materialiter includat. Denique Petrus, qui denominatur filius Pauli, non includit intra conceptum formalem Petri conceptum formalem generationis à Paulo, sed valdè materialiter, & forte extrinsecè: ergo vt Spiritus sanctus sit, & denominetur Filius, non opus est, quod in conceptu formali Spiritus sancti, includat conceptum formalem generationis, sed satis erit, si pro conceptu materiali includat illum, sed includit: ergo.

In Spiritu sancto materialiter reperitur formalis communicatio essentiæ.

30 Minor hæc ex qua tota pendet difficultas probatur. Quia conceptus formalis generationis, est origo in similitudinem naturæ huiusmodi autē conceptus reperitur materialiter in Spiritu S. ergo & conceptus formalis generationis. Minor probatur, quia in Spiritu S. requiritur materialiter: origo, & communicatio naturæ, seu essentiæ, quæ est similitudo naturæ: ergo reperitur cōceptus formalis originis in similitudinē naturæ. Confirmo. In Spiritu S. materialiter sumpto reperitur cōceptus formalis Personæ, aliter aliquid illi deesset de constitutiuo Personæ: ergo & conceptus formalis, originis in similitudinē naturæ. Probatur cōsequētia. Ideò in Spiritu S. matarialiter sūpto, reperitur cōceptus formalis Personæ, quia est materialiter Persona, sed etiam est materialiter origo in similitudinē naturæ: ergo reperitur

peritur in illo cōceptus formalis originis,in similitudin.naturæ. *Idem firmatur ex constitutiuo Personæ iuxta sensũ aduersariorum.*
31 Hinc infero,falsitatem responsionis,quam insequor:Si enim constitutiuũ formale alicuius rationis reperiri potest in aliquo materialiter tamũ sũpto,eumq; denominare;igitur ex eo,quod generatio sit formaliter,origo in similitudinẽ naturæ,nōn apte infertur , ad Filiũ materialiter opus esse similitudinẽ materialẽ simul,& formalem.Sicut ex eo quod Persona procedens formaliter imbibat naturæ communicationẽ,non fit, ad Personã materialiter,exigi cōmunicationẽ materialẽ simul,& formalẽ,sed satis est includere materialiter constitutiuũ formale Personæ. Sicut ergo ad Personam materialiter non exigitur communicatio materialis simul & formalis ; pariter contendimus ad generationem materialiter , non desiderari similitudinem materialem , & formalem simul.

32 Cōfirmatur *Primò*,potest reperiri similitudo materialis sine formali,& Persona materialiter absque Persona formaliter:ergo etiam poterit reperiri generatio materialiter absque generatione formaliter:ergo licet Spiritus S.non sit formaliter genitus,& Filius,erit materialiter. *Secundò*.Similitudo formalis essentiæ est formalis generatio;ideò enim processio secundæ Personæ , inquiunt aduersarij est formaliter generatio,quia est formalis similitudo essẽtiæ:ergo similitudo realis erit generatio materialis:ergo vel Spiritus S.non est realiter similis in natura,quod negatis,vel est realiter genitus,quod intẽdo fieri ex sẽtẽtia vestra.

33 Displicet quartò.Quia in ea sententia absque fastidio plura deglutiuntur absurda : *Primum*,Spiritum sanctum ex vi processionis , non esse Deum,cum non communicetur illi Deitas, quod necessarium est ad constituendum Deum. Quod est expresse contra S. Thomam 4. contra gentes asserentem Spiritum sanctum , vt procedentem esse Deum, non minùs , quàm Filium. Verba eius sunt cap. 26. *Filius est Deus,vt genitus non vt generans , vnde virtus intellectiua est in eo, vt in procedente per modum Verbi,non vt in producente Verbum. Et similiter cum Spiritus S. sit Deus vt procedens,est in eo bonitas infinita,vt in Persona accipiente,non vt in communicante alteri bonitatem infinitam. Secundũ*,ex vi processionis nō esse personã,cum nō cōmunicetur illi natura diuina, quod necessariũ est ad cōstituendã Personã.

Tertium. Spiritum ſanctum ex vi proceſſionis eſſe amantem, cum communicetur illi amor, & non eſſe cognoſcentem adhuc præſuppoſitiuè, ſi enim præſupponeretur Spiritus ſanctus intelligens ex vi proceſſionis, neceſſario præſupponendus eſſet procedens per intellectionem priùs, quàm procedens per amorem, vnde præſupponendus eſſet Filius, & genitus priùs, quàm ſpiratus.

34 Quæ omnia licet admittantur ab aduerſariis, crediderim tamen ab ipſis, non tam ſpontaneæ, quam argumentorum vi, & preſſura cogente, contingiſſe. Idcircò etiamſi contra ſententiam iſtam nullum aliud ſubſiſteret fundamentum, hoc ſolo eam libens repudiarem. Qua propter Arriaga diſp. 47. ſect. 8. ſubſect. 7. vt tertium vitet abſurdum, negat Spiritum ſanctum ex vi proceſſionis eſſe amantem, vt neget præſupponi cognoſcentem. Quia amans, eſt concretum ex natura, & amore, Spiritus autem ſanctus non procedit primariò, vt concretum ex natura, & amore, ſed vt concretum ex amore, & ſubſiſtentia. Vnde ex vi proceſſionis tantum eſt amor ſubſiſtens. Cæterùm reſponſio iſta magis mihi diſplicet, quia vno ictu amputat in Spiritu ſancto vtramque perfectionem cognoſcentis, & amantis ex vi proceſſionis, vt neget ex vi proceſſionis communicari eſſentiam, cuius rei nullam eſſe neceſſitatem conſtabit ex dicendis pro noſtra ſententia.

S. Iacobus.

35 Diſplicet quintò. Nam ex Patribus alij aſſerunt, Filium eſſe genitum voluntate. Sic S. Iacobus Apoſtolus apud Clementem Romanum lib. 8. conſtitutionum cap. 12. vbi ita alloquitur, æternum Patrem. *Ipſum vero ante omnia ſæcula generaſti voluntate, potentia, & bonitate immediatè Filium.* Concilium Toleranum 15. in confeſſione fidei ſtatuit. *Secundùm eſſentiam voluntas genuit voluntatem. Filius vt voluntas ex voluntate.* Cyrillus Alexandrinus lib. 1. Theſauri c. 8. *Solus Filius ſapientia Patris eſt, ipſe quoque voluntas eius.* Hilarius lib. de Synodis. *Natiuitas in eo adeò perfecta natura eſt, vt qui ex ſubſtantia Dei natus eſt, etiam ex conſilio eius, ac voluntate naſcatur.* Baſilius oratione aduerſus eos, qui calumniantur nos, quod tres Deos colamus circa finem. *Apud nos non quod vult Pater generat. At vero Deus, concurrentem voluntati habens potentiam genuit*

Concilium Toletanum. Cyrillus. Hilarius. Baſilius.

ruit dignum se ipso. Idem tenent alij Patres apud Ruiz.disp. 93. præcipuè.sect.2. & 4.

36 Alij Patres è contra docent Deum gignere intellectione, & spirare volitione, & non è contra, quam doctrinam vocat P. Zuniga disp. 3.dub.6.num. 5. *Principium fidei*. In sententia autem, quam insequimur huiusmodi Patrum locutiones Conciliari vix possunt. Nam generari voluntate, est procedere per voluntatem, non minùs, quàm generari intellectione, est procedere per intellectionem: ergo ex vi generationis vtrumque exigitur, & voluntas, & intellectio. In nostrâ autem sententiâ facillimè conciliantur. Nam si Filius procedat per intellectionem, tanquam rationem formalem communicandi volitionem, & alia attributa; & Spiritus procedat è contra per volitionem, tanquam rationem formalem communicandi intellectionem, & attributa cætera. Verum est dicere Patrem generare voluntate, scilicet communicatâ per intellectionem. Verum est etiam dicere Deum generare intellectione, & spirare volitione. Quia generat intellectione tanquam ratione formali communicandi, & similiter spirat volitione. Quia generat intellectione tanquam ratione formali communicandi, & similiter spirat volitione, quâ ratione nec Deus generat volitione, nec spirat intellectione: ergo sententia nostra præferenda est. In opposito sententia difficilis Patrum Conciliatio.

37 Displicet sexto, quia ad generationem non satis est vi processionis accipere naturam principij, sed vlterius desideratur acceptio naturæ modo generationi destinato, qualis est in creatis acceptio naturæ medio seminè, vnde deficiunt à ratione generationis, nutritio, vermium Conceptio, & Resurrectio Filij, etiam si fieret à Patre ad eam causandam diuinitùs eleuato; productio Euæ ex Adami costa, etiam si Adamus efficienter ad formãdam Euam concurrisset. Inde pullus Filius non est gallinæ accubantis, sed parturientis ouum, quia sola ista ministrat semen generationi destinatum: ergo etiamsi tertia Trinitatis Persona ex vi processionis acciperet naturam, hoc præscisse eius processio non esset generatio: ergo neq; processio secũdæ Personæ ideò generatio erit, quia ex vi processionis accipit naturam, sed quia illam accipit modo generationi destinato Ad generationem non sat est, vtconque ex vi processionis accipere naturam.

destinato: hic autem modus in opposita sententia non aperitur: ergo neque discrimen generationis.

38. Displicet vltimò. Nam concilium Florentinum in definitione fidei post medium ait. *Quoniam omnia, quæ Patris sunt, Pater ipse vnigenito Filio suo gignendo dedit.* Quid autem sibi vult gignendo dare, nisi ex vi generationis donare? ergo Pater ex vi generationis non solum communicat Filio intellectionem, & naturam diuinam; sed etiam quidquid commune est Patri cum Filio. Idcircò existimo Patrem non solum communicare Filio ex vi generationis essentiam, sed attributa etiam, ex vi generationis inquam integraliter sumptæ, vt inferius explico.

Consilium Florentinum

39. Addunt Recentiores contra eam sententiam. Nam ex illa fieret Spiritum sanctum esse Filium Spiratoris, quod dici non potest: ergo. Antecedens probatur. Nam Spiritui sancto communicatur ex vi formalis processionis natura Spiratoris; ergo illius processio est origo viuentis à principio coniuncto in similitudinem naturæ. Antecedens probatur. Nam Spiritui sancto communicatur ex vi formalis processionis amor, ista autem est natura Spiratoris, ergo communicatur natura Spiratoris. Minor probatur, quia natura idem est quod essentia, fatentibus aduersariis, essentia autem idem est, quod constitutiuum, amor autem est constitutiuus spiratoris: ergo & essentia, seu natura illius.

Præcedens Recentiorũ fundamentũ irritum

40. Hoc tamen fundamentum inefficax mihi est. Quia in Diuinis natura, & essentia non idem sunt, ac constitutiuum, aliter vnaquæque relatio suam propriam haberet naturam, & essentiam, distinctam à natura, & essentia alterius, cum suum proprium habeat constitutiuum distinctum à constitutiuo alterius. Sicut ergo constitutiuum Paternitatis, nec est, nec dici potest natura Patris, esto sit constitutiuum illius; ita neque amor est, aut dici potest natura Spiratoris, esto sit constitutiuus illius. Et ratio omnium est, quia natura, & essentia in Deo, solum est illud prædicatum, quod in se absolutum est, omnium primum, cæterorumque radix, quod non competit volitioni. Inde prædicatum illud omnium primum sicut est natura Patris, Filij, & Spiritus sancti, quin volitio posterior

illa

illa talis sit; ita est natura spiratoris, quin volitio talis esse, aut dici possit.

SECTIO III.

Soluitur præcedentis sententiæ fundamentum.

41 OBiicitur ita. Concepto formali coniuncto ex Personalitate, & intellectione, ex vi processionis illi formaliter communicatâ, intelligitur in recto Persona diuina completa, & distincta à Patre, & Spiritu sancto non solum formaliter, sed etiam realiter: ergo concipitur adæquatè, & primariò, constitutus Filius. Antecedens in quo est difficultas probatur per partes. Et *primo*, concipi Personam completam, probatur, quia concipitur coniunctum ex completa essentia formali, & Personalitate, in quo stat completa & integra Persona. *Secundò* concipi Personam realiter à Patre distinctam, ostenditur, quia dicit oppositionem originis cum Patre, cum dicat essentiam à Patre communicatam, in quo stat distinctio personarum. *Tertio* distingui formaliter à Spiritu sancto, declaratur, quia Spiritus sanctus non est formaliter coniunctum ex Personalitate, & intellectione ex vi processionis illi formaliter communicata; sed tantum est formaliter coniunctum ex Personalitate, & amore, ex vi processionis illi formaliter communicato: ergo coniunctum ex Personalitate, & intellectione illi formaliter communicata ex vi processionis, distinctum est formaliter à Spiritu sancto. Distinctio realis Filij à Patre, & formalis à Spiritu sancto, firmata.

42 Tandem coniunctum illud distingui realiter à Spiritu sancto, suadetur, quia coniunctum ex Personalitate, & intellectione ex vi processionis illi formaliter communicata, ex hoc præcisè, dicit identitatem cum relatione Spiritoris sibi adæquatè identificata: ergo & distinctionem realem ab Spiritu sancto. Probatur consequentia. Tum quia, vt aliquid distinguatur realiter ab alio, satis est, vt ratione sui sit idem cum aliquo sibi adæquatè identificato, & alteri opposito, ex hoc enim præcisè illud alterum est ipsi oppositum, nec valent inter se Distinctio realis Filij à Spiritu sancto stabilita.

Aa realiter

realiter identificari. Tum etiam quia in sententia constituente Filium fœcunditate radicali, fœcunditas radicalis est distincta realiter à Spiritu sancto, aliter non esset propria Filij, nec constitutiua ipsius: non autem est distincta à Spiritu sancto, quia sit formaliter relatio ad Spiritum sanctum, vt est certum, nec quia sit præcise radix talis relationis: nam intellectio, aut volitio, vel ambæ simul sunt radix relationis ad Spiritum sanctum, nec tamen ab eo distinguuntur: ergo fæcunditas radicalis eo præcise est distincta realiter à Spiritu sancto, quia identificatur relationi Spiratoris ipsi adæquatè identificata: ergo coniunctum ex personalitate, & intellectione ex vi processionis formaliter communicata similiter distinguetur à Spiritu sancto, cum identificetur relationi spiratoris ipsi adæquate identificata.

43. Confirmatur. Licet in Spiritu sancto reperiatur intellectio realiter communicata: at intellectio formaliter ex vi processionis communicata, nec formaliter, nec realiter reperitur in illo, sed solus amor: ergo conceptus Personalitatis, & intellectionis formaliter ex vi processionis communicatæ, nec realiter in Spiritu sancto reperitur; ergo est distinctus à Spiritu sancto, non solum formaliter, sed etiam realiter.

Quæ in eo fundamento supponantur falsa.

44. Hoc argumentum est integrum robur oppositæ sententiæ; in eo tamen multa mihi falsa supponuntur. *Primum*, actualem intellectionem esse formaliter Dei naturam, & essentiam adæquatam: non est, nisi actus primus, seu potentia intelligendi, qui est primus omnium conceptus, cæterúmque radix. *Secundum*, soli Filio formaliter ex vi processionis, communicari intellectionem, & soli Spiritui sancto volitionem, vtrique enim formaliter ex vi processionis communicatur tam intellectio, quam volitio, vterque ex vi formalis processionis euadit Deus, & Persona, vterque intelligens, vterque amans. Quo sponte corruit tota argumenti machina, & iuueniles Recentiorum impetus exarmantur. *Tertium*, Filium distingui realiter à Spiritu sancto ex hoc præcise, quod dicit identitatem realem cum relatione spiratoris sibi adæquate identificata: id enim si tantillum præmatur, aliud non est, quam parare laurum & manus dare Recentioribus constituentibus Filium fæcunditate radicali. Etenim Filius in esse Filij distinguitur per vos ab

Spiritu sancto per identitatem cum fœcunditate formali, siue relatione spiratoris sibi adæquate identificatâ, siue per coniunctionem formalem cum intellectione, vt fundante eam identitatem:id autem vocant Recentiores fœcunditatem radicalem, respectum scilicet ad fœcumditatem formalem sibi adæquate identificatam:ergo donanda erit palma fœcunditati.

45. Respondeo igitur negans antecedens, quoad illam partem, scilicet, concepto formali coniuncto ex personalitate, & intellectione formaliter ex vi processionis ipsi communicata, concipi Personam diuinam distinctam formaliter, & realiter ab Spiritu sancto. Neque enim concipitur Persona formaliter, neque realiter à spiritu sancto distincta, nam Spiritus sanctus formaliter, & realiter est Personalitas, & intellectio formaliter ex vi processionis ipsi communicata. Quâ autem ratione non sit Filius, nodus est infra soluendus. Ad probationem nego illud coniunctum exigere relationem spiratoris sibi adæquate identificatam, aut opponi Spiritui sancto, quia nec realiter, nec formaliter distinguitur ab illa. Fundamenti oppositi solutio.

46. Confirmatio, cui nimis fidant iuniores aliqui, multas, nec leues patitur instantias. Etenim in processionibus diuinis, quippe simpliciter omnino necessariis, etiam materialiter sumptis, non reperitur conceptus contingentiæ formaliter cum ipsis identificatæ, qui in liberis actibus reperitur: nec tamē inde processiones diuinæ realiter distingũtur ab actibus liberis in sententia aduersariorum, & nostra. Insuper in volitione, etiam realiter sumpta, non reperitur conceptus expressionis obiecti ipsi formaliter identificatus, qui in intellectione reperitur, nec tamen id sufficit distinctioni reali volitionis ab intellectione. Præterea in actu diuino amoris, etiam materialiter sumpto, non reperitur cōceptus fugæ ipsi formaliter identificatus, qui reperitur in odio, nec tamē id sufficit apud aduersarios distinctioni reali amoris ab odio. Denique, in natura Diuina, etiā materialiter, non reperitur conceptus relationis ipsi formaliter idētificatus, qui reperitur in Filiatione, nec tamē natura diuina distincta realiter est à Filiatione: ergo licet in Spiritu S. etiā materialiter sumpto, nō reperiatur cōceptus intellectionis ipsi formaliter cōmunicatæ, id non sufficiet distinctioni reali Spiritus à Filio, sed vlterius necesse erat, quod nec formaliter, nec realiter Confirmatio vrgetur instantiis.

communicata reperiretur, vt nos vrgebamus ſectione præcedenti.

Præcluditur efugium ſi forte attentetur.

47 Quod ſi dixeris, in proceſſionibus diuinis materialiter ſumptis reperiri conceptum contingentiæ formaliter cum ipſis identificatæ, quia proceſſiones materialiter ſunt ipſe actus liber, qui formaliter eſt contingens. Idemque dicendum eſſe de aliis inſtantiis. Si inquam hoc dixeris, non ſatisfacis. Tum quia proceſſiones diuinæ, nec formaliter, nec realiter poſſunt deficere; atque adeò nullâ ratione dici poſſunt contingentes, etiam ſi realiter identificentur cum actibus contingentibus. Sicut natura diuina ob eandem rationem, nec eſt, nec dici poteſt realiter defectibilis, nec producta, eo quòd identificetur cum actibus contingentibus, & Filiatione producta ergo in proceſſionibus diuinis, etiam materialiter ſumptis, non reperitur conceptus contingentiæ formaliter ipſis identificatæ, aliter eſſent defectibiles, & contingentes. Tum etiam, quia ſimiliter dici poſſet, in Spiritu ſancto materialiter ſumpto reperiri intellectionem formaliter communicatam; quia realitas Spiritus ſancti dicit intellectionem formaliter in ipſa incluſam; & conſequenter formaliter communicatam. Quidquid tamen de his ſit.

48 Reſpondeo ad confirmationem, negans antecedens. Nam in Spiritu ſancto tam materialiter, quam formaliter reperitur intellectio formaliter ex vi proceſſionis communicata.

Obiicitur paritas à diuina libertate deſumpta.

49 Obiicies ſecundo. Vt Deus ſit realiter libere volens, non ſat eſt exiſtentia materialis volitionis; ſed neceſſaria eſt materialis ſimul, & formalis: ergo vt aliqua Perſona ſit realiter Filius, non ſat erit communicatio materialis eſſentiæ, ſed neceſſaria erit materialis ſimul, & formalis. Hæc inſtantia permiſſa tota eius doctrina, quam nos tractatu de voluntate diſp. 8. ſect. 3. repulimus, intentum non conuincit; nam materialis tantum exiſtentia volitionis non conſtituit aliquid realiter diſtinctum à materiali ſimul, & formali exiſtentia illius: ergo neque materialis tantum communicatio intellectionis conſtituet Perſonam diſtinctam à materiali ſimul, & formali communicatione eiuſdem.

50 Reſpon

50 Respondeo igitur *primo*, permisso antecedente, negans consequentiam. Discrimen clarum est. Quia scilicet, volitioni tantum materialiter existenti, quippe data ea sententia omnino necessariæ non competit ratio contingentiæ denominationi liberè volentis omnino necessaria; ideóque exigitur existentia formalis illius. At communicationi materiali essentiæ competit integra generationis definitio, prout similitudo ab aduersariis explicatur. Nam terminus *formaliter* arbitrio aduersariorum additur definitioni generationis. Quæ communi omnium consensu, aduersariis exceptis, tantum est: origo viuentis à principio viuente coniunctoin similitudinem naturæ. *Respondeo secundo*, concesso toto argumento, nihil eo probari contra nos. Nam etiam si ad Filium necessaria sit communicatio intellectionis materialis simul, & formalis; totum id commune est etiam Spiritui sancto, nam ipsi materialiter, & formaliter communicatur intellectio, vt ex vi processionis euadat Deus, & persona. Permissa eius doctrina efficax obiectio nó est.

51 Obiiciunt tertiò S. Thomam quæst. 27. art. 2. aientem processionem Verbi ideò esse generationem, quia est per modum similitudinis, & communicat ipsum intelligere, quod est essentia Dei. Et 4. contra gentes cap. 25. asserentem, processionem Spiritus sancti, generationem non esse, quia ex vi sua formali communicat Diuinum Velle, quod non est constitutiuum formale Diuinæ Naturæ: ergo ex mente Sancti Thomæ processio secundæ Personæ ideò est generatio, quia illi formaliter ex vi generationis communicatur intellectio, quæ est Dei natura, & essentia. Duplex S. Thomæ testimonium obiectum.

52 Respondeo Sanctum Thomam in priori testimoio nusquam docere, secundam Personam ideò Filium esse, quia illi ex vi processionis communicatur formaliter intellectio, sed quia eius processio est per intellectionem, quæ est formalis similitudo. Idcircò vocat processionem Filij, actionem intelligibilem, seu per intellectionem. Verba Sancti Thomæ sunt: *Sic igitur processio Verbi in diuinis habet rationem generationis. Procedit enim per modum intelligibilis actionis, quæ est operatio vitæ, & à principio coniuncto, vt supra iam dictum. Et secundum similitudinis rationem, quia conceptio intellectus, (scilicet intel-* Prioris testimonij declaratio.

 lectio(

lectio) est similitudo rei intellectæ, & in eadem natura existens. Quia in Deo idem est intelligere, & esse. Procedere autem per intellectionem, non est istum communicari formaliter, sed procedere per illam tanquam rationem formalem communicandi, qua ratione, nec realiter per intellectionem Spiritus procedit, vt constabit infrà.

Posterioris testimonij exacta comprobatio.

53 Secundùm testimonium ex 4 contra gentes suppositium est, nec vmbra enim illius habetur cap. 25. Cæterum cap. 26. docet Sanctus Thomas virtutem intellectiuam esse in Filio, vt procedente; & volitiuam seu bonitatem in Spiritu sancto. Verba eius sunt. *Filius est Deus vt genitus, non vt generans, vnde virtus intellectiua est in eo, vt in procedente per modum Verbi, non vt in producente Verbum. Et similiter cum Spiritus sanctus sit Deus vt procedens, est in eo bonitas infinita, vt in Persona accipiente, &c.* Quæ verba intelligi non possunt de communicatione materiali; vt sic enim virtus intellectiua, est in Spiritu sancto, & volitiua in Filio: ergo accipienda sunt de communicatione formali. Cæterùm si hæc vera sunt; dicant nobis aduersarij, quomodo Spiritus sanctus asseratur à Sancto Thoma Deus, vt procedens? cum tamen in eorum sententia ex vi processionis, nec Deus sit, nec Persona?

S. Thomas iterum obiectus.

54 Respondeo igitur ea verba Sancti Thomæ intelligenda esse, de virtute intellectiua, & volitiua secundum rationem communicationis; hæc enim est intellectio, & non volitio, in Filio; & in Spiritu sancto est volitio, & non intellectio. Similiter exponendi sunt alij Patres asserentur Verbum ideò esse Filium, quia procedit simile in essentia, vel quia eandem habet essentiam cum Patre, scilicet, intellectione communicatam; vel quia est imago, & sapientia Patris, quæ optimè aptantur soli Filio, si eius processio sit per intellectionem, tanquam per rationem formalem communicandi.

55 Sed instabis Sanctus Thomas in 1. dist. 13. quæst vnica art. 5. ait. *Processio Spiritus sancti ex ratione modi procedendi non dicit conformitatem naturæ, quam dicit generatio*: huiusmodi autem conformitas est formalis communicatio intellectionis ergo. Insuper eadem distinct. quæst. 1. artic. 3. ad tertium ait Thomas *Processio amoris in quantum huiusmodi non habet, quod per ipsam natura*

natura communicetur: ergo natura diuina ex vi processionis, siue in quantum processio amoris est, non communicatur Spiritui S. *Respondeo*, ad primum testimonium negans minorem; conformitas enim cum natura in ratione procedendi, est communicari naturam per intellectionem ipsi conformem in eadē linea intelligendi. Ad secundum, distinguo consequens. Natura diuina ex vi processionis non communicatur Spiritui S. per intellectionem, quæ est communicatio naturæ conformis, siue in eadem linea, concedo: per volitionem, quæ distincta est linea, nego. Aliter enim Spiritus, vt procedens non esset Deus, quod est contra S. Thomam.

56 Obiicies vltimo. Secunda Trinitatis Persona eo est Filius, quo Verbum; & eo est Verbum, quo Filius, vt aiunt Augustinus lib. 7. de Trini. cap. 1. & Athanas. orat. 1. contra Arianos. Est autem Verbum, quia ex vi processionis illi communicatur intellectio: ergo & Filius. Minor probatur, quia de ratione Verbi mentalis est, quod dicat intellectionem vel tanquam terminum productum, vel tanquam terminum communicatum ex vi formalis processionis: Verbum autem in Deo non potest dicere intellectionē tanquam terminum ex vi processionis productum, cum intellectio improducibilis sit: ergo dicere debet illam tanquam terminum ex vi processionis communicatū. *Respondeo*, concessa maiori, negans minorem. Ad probationem, nego maiorem. Satis enim est ad Verbum, vel quod dicat intellectionem, tanquam terminū productum in creatis, vel tanquam rationem formalem communicandi in diuinis. Quomodo Verbum intellectionem exigat.

SECTIO IV.

Discrimen vtriusque fœcunditatis expungitur.

57 HÆc sententia bipartita est. pro cuius clariori intelligentia duplex fœcunditas distinguitur in Deo: vna formalis sita in relatione Spiratoris Patri & Filio communi, & ab vtriúsque relatione virtualiter distincta; Altera radicalis, in qua explicanda conueniunt Recentiores. Aliqui enim fœcunditatem radicalem constituunt in essentia, sed intelle- Duplex fœcunditas, radicalis, & formalis distinguitur in Deo.

ctione

ctione diuina, à qua immediatè, vel media volitione, resultat relatio spirationis. Alij verò statuunt illam in exigentia immediata, qua Filiatio exigit relationem spiratoris. Hinc discrimen generationis diuinæ vtrique assignare tentant.

Sententia Richardi & P. Zunigæ.

58 Richardus de S. Victore lib. 6. de Trinit. cap. 18. & sequentibus. P. Zuniga disp. 2. dub. 2. docent, ideò processionem secundæ Personæ esse generationem, eiusque terminum Filium, quia ex vi processionis euadit similis in natura fœcunda suo principio: id est, in fæcunditate, seu virtute communicandi alteri naturam acceptam. Hinc definitionem generationis explicat; nomine scilicet naturæ, non intelligi essentiam vt sic, sed quatenùs est principium motus, & quietis intra se; quâ ratione dicit fœcunditatem ad propriam naturam alteri communicandam. Hæc sententia tota videtur inclinare in fœcunditatem formalem: vnde Filium constituit relatione Spiratoris, quæ fœcunditas formalis est.

Sententia Recentiorũ de fæcunditâte radicali.

59 Recentiores verò ingeniosi, ne constituerent Filium per conceptum ipsi, & Patri communem, ad fœcunditatem radicalem confugerunt, non quamlibet, nam similis fœcunditas, etiam in Patre reperitur, sed illam, quæ propria est relationis secundæ Personæ, nam in ea specialis est exigentia relationis Spiratoris, vel naturæ diuinæ vt fœcundæ, distincta ab exigentia propria Paternitatis. Isti autem Recentiores qua doctrinæ sequella impugnent P. Soarium, eiusque sectatores specialem exigentiam ad intellectionem in relatione secundæ Personæ constituentes, ipsi viderint.

Fœcunditas radicalis consistere non potest in relationibus Paternitatis, & Filiationis.

60 Mihi tamen ante omnia valde displicet constituere fœcunditatem radicalem ad spirandum in relationibus Paternitatis, & Filiationis. Tum quia essent duo Spiratores radicales, quod consonum non est Patribus, & Conciliis, vnum tantum Spiratorem inculcantibus. Tum etiam, quia fœcunditas radicalis debet esse principium, seu radix virtualis fœcunditatis formalis. *Confirmo.* Quia triplex relatio Patris, Filij, & Spiritus sancti non possunt esse principium virtuale perfectionis alicuius, quæ sit omnibus communis: ergo neque Paternitas, & Filiatio poterunt esse principium virtuale relationis Spiratoris, quæ perfectio est vtrique communis.

61 Assero

61 Assero igitur primo, discrimen generationis sumptum à fœcunditate formali, siue relatione Spiratoris, aptum non esse. Probatur primò, quia seorsim à relatione Spiratoris datur in secunda Persona conceptus virtualiter distinctus, quo Filius, & Verbum constituatur: ergo constitutiuum Filij, & Verbi distinctum erit virtualiter à fœcunditate formali, siue relatione Spiratoris. Consequentia legitima est. Antecedens probatur. Nam, vt fatentur omnes, relatio Filiationis est virtualiter distincta à relatione Spiratoris: relatio autem Filiationis, & Verbi, sufficiens est ad constituendum Filium, & Verbum, communicata natura; sicut relatio Spiritus sancti, communicato amore, vel etiam natura, sufficiens est ad constituendum Spiritum sanctum: ergo seorsim à relatione Spiratoris est in secunda Persona conceptus virtualiter distinctus, quo Filius, & Verbum constituatur.

Discrimen generationis à fœcunditate formali sumptum, insufficiens.

62 Secundo. Si Filius in esse Filij constitueretur relatione Spiratoris, maximè, quia aliter distingui formaliter non posset ab Spiritu sancto: id falsum est: ergo. Maior est vnicum aduersariorum fundamentum. Minor probatur, quia in Filio reperitur Filiatio distincta virtualiter à relatione Spiratoris: at in Spiritu sancto nulla ratione reperitur Filiatio, etiam vt distincta virtualiter à relatione Spiratoris: ergo seorsim à relatione Spiratoris datur in Filio conceptus ita proprius illius, vt nullatenus sit formaliter Spiritui sancto communis: ergo huiusmodi conceptu, vt distincto virtualiter à relatione Spiratoris, staret Filius à Spiritu sancto formaliter distinctus, sicut sola Paternitate, vt distincta virtualiter à relatione Spiratoris, stat Pater distinctus formaliter ab Spiritu sancto.

Seorsim à relatione Spiratoris stat Filius.

63 Tertiò, si Filius, in esse Filij, relatione Spiratoris formaliter constitueretur, fieret, Filium, in esse Filij, esse formaliter duplicem relationem: id autem absurdum est: etenim Filius solum est duplex relatio, quatenus Filius simul, Spirator ergo. Sequela probatur, quia Filius in esse Filij formaliter constitueretur Filiatione, quæ relatio est; aliunde per vos constitueretur formaliter fæcunditate formali; siue relatione Spiratoris: ergo constitueretur formaliter duplici relatione. Imo idem asserendum esset de Patre: Ideò enim Filius constituitur fœcunditate

Filius relatione Spiratoris constitutus esset duplex relatio.

formali, quia in esse Filij distinctus esse debet à Spiritu sancto, & distingui non potest, nisi fœcunditate formali: at Pater, in esse Patris, distinctus esse debet à Spiritu sancto, & distingui non potest, nisi fœcunditate formali ergo. Quod si Pater seorsim à fœcunditate sola Paternitate distinguatur à Spiritu sancto, cur Filius similiter ab illo distingui non poterit sola Filiatione.

64 Quarto, quia sim processione Filij distinctio illius à cæteris Personis attendenda est, attendendus quoque est conceptus ita proprius Filij, vt nulli alteri Personæ communis esset huiusmodi autem non est fœcunditas formalis, quia Patri cum Filio communis est, sed Filiatio, quæ nulli alteri communis est: ergo constitutio Filij, potiùs in Filiationem, quam in fœcunditatem formalem, siue relationem Spiratoris, referenda erit. *Confirmatur*: in Spiritu sancto non est Filiatio: ergo Filiatione sufficienter distinguitur, saltem formaliter, secunda Persona ab Spiritu sancto, seorsim à relatione Spiratoris: ergo seorsim à relatione Spiratoris, explicandum est, quid sit illud speciale ratione cuius processio secundæ Personæ sit generatio, eiusque terminus Verbum, & Filius.

65 Denique, quia vt ostendam contra fœcunditatem radicalem, datur stricta, & rigorosa generatio absque vlla fœcunditate ad communicandam alteri naturam: ergo conceptus generationis vt sic, non dicit fœcunditatem ad communicandam alteri naturam: ergo processio Spiritus sancti non ideò præcisè deficit à conceptu generationis, quia fœcunda non est ad communicandam alteri naturam.

Fœcunditas radicalis non est de constitutiuo Filij vt sic.

66 Assero secundo, neque fœcunditatem radicalem esse de formali constitutiuo Filij vt sic, etiam si nomine fœcuditatis radicalis non veniat principium, seu radix fœcunditatis formalis, sed vel sola exigentia illius, vel exigentia naturæ, quatenus est radix proxima, vel remota fœcunditatis formalis. Probatur primo, quia datur vera, & propria generatio absque vlla fœcunditate, etiam radicali, ad communicandam alteri naturam: ergo processio Spiritus sancti non ideò à ratione generationis deficit, quia fœcunda radicabiliter non est, nec processio secundæ Personæ ideò præcisè erit generatio, quia radicaliter

liter fœcunda. Antecedens patet in generatione Muli,quæ est vera generatio absque fœcunditate communicandi alteri naturam.

67 Respondent aliqui Mulum euadere fœcundam radicaliter. quia licet ratione propria differentiæ repugnet illi communicare alteri naturam,non tamen repugnat illi ex conceptu animalis Hanc responsionem firmat Recentior quidam, eleganti, vt ipse ait, exemplo talpæ, cui communicatur facultas radicalis habendi oculos, cum hæc sit de conceptu animalis, quem talpa participet, quamuis ratione specialis differentiæ talpæ exigit non habere oculos. Similiter,quamuis in mulo ratione specialis differentiæ, impedita sit fœcunditas ad communicandam alteri naturam, imò exigat infœcunditatem, tamen ex conceptu animalis, quem participat,& cui non repugnet fœcunditas,euadit radicaliter fœcundus. Responsio Aduersariorum.

68 Contra, quia quod repugnat alicui indiuiduo ratione specialis differentiæ, nullatenus potest rationi communi positiuè conuenire. Sic quia indiuiduo odij Dei repugnat, & indebita est rectitudo, debita esse non potest actui humano vt sic præscindenti ab amore,& odio.Insuper,quia speciei hominis,ratione specialis differentiæ,repugnat irrationalitas, hæc non potest positiuè animalitati ab homine præscindenti conuenire; ergo cum ratione specialis differentiæ repugnet mulo fœcunditas, etiam radicalis ad alteri naturam communicandam,non poterit ratione generationis vt sic positiuè illi conuenire. *Confirmo*, quia si ea doctrina solida esset, fieret inde, processionem Spiritus sancti esse fœcundam,& consequenter generationem:ergo.Sequella probatur, quia conceptui processionis vt sic,quem participat Spiritus sanctus, non repugnat fœcunditas radicalis ad communicandam alteri naturam;ergo licet ratione specialis differentiæ repugnet processioni Spiritus sancti fœcunditas hoc nihil obstabit, quo minus fœcunda sit,cum conceptui processionis non repugnet. Quod repugnat indiuiduo, nequit rationi cómuni positiuè conuenire.

69 Probatur secundò conclusio. Nam si fœcunditas radicalis esset de constitutiuo Filij vt sic,vel ea esset fœcunditas ad communicandam alteri naturam per generationem; vel ad communicandam quouis alio modo, neutrum dici potest; ergo Fœcunditas ad præcisè communicandam alteri naturā non sufficit generationi.

 Minor

Minor probatur. Nam si esset fœcunditas ad communicandam alteri naturam per generationem, hæc non competit, nec competere potest Filio diuino, vt est certum. Si verò sit fœcunditas ad communicandam quouis modo naturam, non apparet, cur productio Euæ ex Adami costa, generatio non sit, maximè, casu quo Adamus actiuè concurreret ad productionem Euæ. Idemque est de aliis, quæ dedimus sect.3.num.37. *Confirmatur.* Nam fundamentum ad constituendam fœcunditate generationem, vt sic, sumptum est à creatis, vbi omne genitum, fœcundum est, vt opinantur aduersarij: in creatis autem genitus fœcundus non est ad communicandam quouis modo naturam, sed solum ad illam per generationem communicandam: ergo si hoc fundamentum subsisteret, generatio vt sic consistuenda esset fœcunditate ad communicandam alteri naturam per generationem. Vnde processio secundæ Personæ generatio non esset.

Fœcunditate inexplicata manet ratio Verbi.

70 Tertiò, quia esto fœcunditas esset de conceptu Filij vt sic, ea tamen non soluitur tota huius quæstionis difficultas; in qua non solum inquiritur, cur secunda Persona sit Filius, eiusque processio generatio, sed etiam cur sit Verbum, & generis intellectiui: id autem non explicat fœcunditas illa radicalis: ergo. Minor probatur, quia conceptus ille fæcunditatis radicalis reperitur in generationibus creatis realiter diuisus à conceptu Verbi, cum generationes illæ generis intellectiui non sint, sed puræ physicæ, & nequaquam intentionales; ergo conceptus fœcunditatis radicalis sufficiens non est, cur secunda Persona, sit Verbum, & generis intellectiui; non verò tertia; ergo seorsim à fœcunditate radicali reddenda superest ratio discriminis illius.

71 Denique, quia hæc sententia non explicat cur ex duplici processione, seu Persona, vna potius, quam altera exigat fœcunditatem. Quod si recurrant aduersarij ad intellectionem formaliter communicatam, incidunt in sententiam Soarij, & ratio à priori fœcunditatis, & Filij, esset communicatio intellectionis, quod asserere constanter recusant. Mitto alias aliorum rationes sumptas ex eo quod fœcunditas radicalis communis sit Patri, & Filio; nam Recentiores, quos insequimur non consti

constituunt Filium conceptu praescisso foecunditatis radicalis sed foecunditate, siue exigentia propria relationis secundae Personae.

SECTIO V.

Obiectiones pro vtraque foecunditate soluuntur.

72 Obiicies primò. Concilium Florentinum sessione vltima; vbi Patres Latini agentes contra Graecos negantes Spiritum sanctum à Filio procedere, ita loquuntur; *Nam credentes Spiritum à Filio nequaquam procedere, necesse est, vt intelligant, Spiritum à solo Patre procedere, & consequenter non esse Filium.* Tota vis, & efficacia huius testimonij sita est in vltimis verbis. *& consequenter non esse Filium*; quae referri non possunt ad Spiritum sanctum: nam ex eo quod Spiritus procederet à solo Patre, non bene infertur non futurum Filium, cum de facto, qui à solo Patre procedit, Filius sit: referenda ergo sunt verba illa ad Filium. Vnde ita arguitur. Concilium Florentinū pro foecun. ditate constituente Filium.

73 Verba Concilij inferunt, cum, de quo loquitur, non futurum Filium, ex eo quod Spiritus ab illo non procederet: at loquuntur de secunda Persona, nempe Filio, ergo secunda Persona non esset Filius, si Spiritus ab illa non procederet, ergo deficeret Filius ex praeciso defectu foecunditatis ad spirandum, at non defideret tantum materialiter, sed etiam formaliter, cum nullo modo esset Filius, ergo Filius cōstituitur foecūditate ad spirandū non solū materialiter, sed etiā formaliter. Minor probatur. Quia si ex defectu foecunditatis ad spirandū, tantū materialiter deficeret Filius, ex praeciso defectu foecūditatis, non deficeret simpliciter Filius, imò manentibus aliis, dempta foecunditate, quae erat doctrina Graecorum, maneret Filius, cum persisteret formale illius constitutiuum; ergo, non inferent legitimè Latini Patres contra doctrinam Graecorum praecisam foecunditatem negantium, sequi inde, non futurum

Filium. ergo Filius non solum materialiter, sed etiam formaliter fœcunditate constituendus erit. *Confirmatur.* Fœcunditas ad spirandum. vt pote Patri, & Filio communis, est realiter idem cum Patre, & Filio, & consequenter de constitutiuo saltem materiali vtriusque: nec tamen Latini Patres inferunt non futurum Patrem deficiente fœcunditate Filij ad spirandum, cum tamen inferant, non futurum Flium: ergo censent non solum materialiter, sed etiam formaliter pertinere ad constitutiuum Filij.

Testimoniũ Florentini nihil iuuat fœcunditatẽ radicalem.

74. Hoc Florentini testimonium nihil iuuat fœcunditatem radicalem, quia planus est sermo de fæcunditate formali, Patri, & Filio communi, quam stabilire conabantur Latini contra Græcos, esse scilicet, non solum in Patre, sed etiam in Filio virtutem productiuam Spiritus sancti. Insuper moneo in noua editione Florentini non extare vltima illa verba, *Et consequenter non esse Filium*, in quibus integra nittebatur argumenti vis. Respondeo tamen casu, quo Spiritus sanctus non procederet à Filio, non negare simpliciter Patres Concilij Filium in Trinitate, sed Filium distinctum realiter à Spiritu. Vnde non fit Filium in esse Filij, constitui fæcunditate, sed tantum in esse distincti realiter ab Spiritu sancto. Quod libenter concedimus; tunc enim essent formaliter in Trinitate Filius & Spiritus sanctus, non realiter distincti, sed tantum formaliter, seu virtualiter. Nam Filius procederet à Patre per intellectionem, & non volitionem: econtra vero Spiritus procederet ab eodem Patre per volitionem, & non per intellectionem, quæ prædicata alioqui contradictoria eas processiones virtualiter distinguerent.

Filius in esse Filij non opponitur Spiritui sancto.

75 Obiicies secundo. Filius diuinus, in esse Filij distinguitur realiter, & opponitur Spiritui sancto: opponitur autem, & distingnitur fæcunditate: ergo & constituitur. Maior videtur certa, nam Filius, vt Filius, non est spiritus sanctus, sed ab eo diuersus, & consequenter distinctus. Minor probatur, quia distinctio realis in diuinis tota stat in ratione producentis, & producti; vnde docet melior Theologia, Spiritum sanctum minime distinguendum realiter à Filio, si ab illo non procederet: ergo integra ratio distinguendi Filium ab Spiritu Sancto

sola

ſola eſt fœcunditas. *Reſpondeo*, negans maiorem, Filius enim in eſſe Filij, ſeu Filiatione præcisè, ſolum diſtinguitur à Patre; ab Spiritu verò ſancto non ita, ſed per fœcunditatem iuxta dicenda Diſputat. 19. ſect. 2. & 3. Vnde Filius Filiatione præcisè, nec eſt idem realiter cum Spiritu, nec ab eo diſtinctus.

75 Sed inſtabis. Id quo aliquid vltimo, & formaliter conſtituitur, eſt id, quo diſtinguitur non ſolum formaliter, ſed etiam realiter ab aliis; ſic rationalitate, qua homo formaliter conſtituitur, diſtinguitur realiter à bruto, iuxta illud commune Philoſophorum dictum. Idem eſt principium conſtitutiuum, & diſtinctiuum: ergo id, quo Filius vltimo, & formaliter conſtituitur, erit id, quo diſtinguitur, non ſolum formaliter, ſed etiam realiter à Spiritu ſancto. *Reſpondeo*, conceſſo antecedente in creatis, negans conſequentiam. Nam in diuinis tota ratio diſtinguendi realiter vnum ab alio, ſtat in ratione producentis, & producti; cum autem iſta diſtincta ſit à conſtitutiuo formali Filij, inde iſtud non poteſt eſſe ratio diſtinguendi realiter Filium à Spiritu ſancto, ſed tantum formaliter. Quod cum non militet in creatis, nec mirum, quod idem ſit conſtitutiuum formale, & diſtinctiuum reale.

Qualiter in diuinis conſtitutiuum, & diſtinctiuum idem ſit.

77 Obiicies tertiò Sanctum Baſilium adductum in Concilio Florentino, ita loquentem. *Vnum quidem Patrem, vnum Filium, vnum quoque Spiritum Sanctum, iuxta diuinam traditionem fateri oportet. In Trinitate neque duos Patres dicendum, neque duos Filios: quandoquidem Spiritus non eſt, nec nominatur Filius, neque à Spiritu accipimus aliqua, quando à Filio Spiritum*. Nunc ita: Ideò aſſerit Baſilius, Spiritum non eſſe Filium, quia ab eo non accipimus aliqua, aliquam, ſcilicet aliam Perſonam ab ipſo procedentem, quod idem eſt, ac non eſſe fœcundum. Cenſet ergo, ideo Spiritum non eſſe Filium, quia fœcundus eſt: ergo ex mente Baſilij ideò ſecunda Perſona erit Filius, quia fecunda. *Reſpondeo*, Baſilium rationem ſumpſiſſe ex materiali tantum conſtitutiuo Filij, quod ſufficiens erat ad vnicum tantum Filium in Trinitate ſtabiliendum, quod intendebat, &

S. Baſilius in puncto fœcunditatis declaratus

mini

minimè subiectum opinionum varietati circa formale constitutiuum diuinæ generationis, in qua vix vlla est sententia, à qua discedere non liceat; tutius ergo ad fœcunditatem recurrit, vt solidius Trinitas Personarum cum vnico tantum Filio stabilita consisteret.

Difficilior obiectio pro fœcunditate realiter.

78 Obiicies quarto. Filius constituitur formaliter natura diuina per intellectionem communicata, vel exigentia illius: natura autem diuina per intellectionem communica, est fœcunditas radicalis, saltem remota, vel exigentia illius. Maior nostra est sententia. Minor probatur. Tum quia natura diuina formaliter, & per se ipsam, est prima radix proxima, vel remota omnium, quæ sunt in Deo, atque adeò formaliter, & per seipsam erit radix cuiuscumque fœcunditatis ab ipsa distinctæ: ergo formaliter, & per seipsam erit fœcunditas radicalis, saltem remota, Tum etiam, quia fœcunditas radicalis proxima, & si in solo amore absoluto, aut aliquo etiam relatiuo consistat, est proprietas naturæ diuinæ, & hæc formaliter, & per seipsam illius radix: ergo & fœcunditas radicalis remota. Idem argumentum militat contra asserentes, naturam diuinam consistere in sola actuali intellectione, & hanc ex vi processionis soli Filio communicari. *Confirmatur.* Filius virtualiter, & ex parte obiecti constituitur natura diuina, ergo & omni illo, quod est virtualiter in distinctum à natura diuina, talis autem est fœcunditas radicalis saltem remota, ergo Filius virtualiter, & ex parte obiecti constituitur ea fœcunditate.

79. In primis obiectio non est ad præsentem controuersiam, in quam nunquam à Doctoribus deuoluta est fœcunditas radicalis remota, sed proxima consistens in amore absoluto. Deinde non solum probat, fœcunditatem radicalem remotam ad spirandum intrinsece, & ex parte obiecti constituere Filium, sed etiam fæcunditatem radicalem ad producendum ad extra, quia vtraque est de constitutiuo naturæ Diuinæ, ipsique eadem modo identificata.

Fœcunditas radicalis remota quo pacto sit constitutiua Filij diuini.

80. Respondeo igitur fœcunditatem radicalem remotam esse quidem de constitutiuo obiectiuo Filij diuini, non vt cunque, sed quatenus per intellectionem communicatam ipsi à Patre. Nam quia ad rationem Filij vt sic, vlla fæcunditas formaliter

formaliter desideretur, vt obiicientes sibi persuadebant, sed quia generatio diuina postulat communicari genito per intellectionem naturam generantis; cumque isti virtualiter, & obiectiue identificetur fœcunditas radicalis remota ad spirandum, ratione huiusmodi identitatis, constituit fœcunditas illa virtualiter, & obiectiuè Filium, quæ si distincta esset, non constitueret. Vnde generatio diuina formalissimè sumpta, & generatio præcisè diuina est, nullam dicit in conceptu explicito fœcunditatem ad spirandum, sed ab ea præscindit: nam si per impossibile maneret natura diuina absque vlla fœcunditate ad spirandum, potens esset Pater generare Filium solâ communicatione naturæ per intellectionem.

81 Obiicies quinto. Filius exigit communicari sibi à patre per intellectionem omnem perfectionem absolutam, siue distinctam, siue indistinctam à natura diuina: ergo constituitur formaliter omni perfectione absoluta, vel saltem exigentia illius: ergo & fœcunditate radicali, quæ perfectio est absoluta, quamuis distincta esset à natura diuina. Antecedens nostra est sententia asserens vtrique Personæ communicari ex vi processionis omnes profectiones absolutas, siue distinctas, siue indistinctas à natura. *Respondeo*, eas omnes perfectiones pertinere quidem ad constitutiuum Filij, non essentiale, & formalissimum, sed quasi integrale; ad formale enim, & explicitum constitutium Filij diuini sola desideratur communicatio naturæ, siue essentiæ diuinæ per intellectionem. Quæ perfectiones pertineant ad constitutiuum Filij.

82 Obiicies sexto. Ad generationem creatam necessaria formaliter est communicatio naturæ quatenus fœcundæ, seu cum munere fœcunditatis, ad naturam acceptam alteri communicandam: ergo etiam ad generationem diuinam. Hæc obiectio momenti non est. Tum primo, quia falsum est antecedens,, vt ostendimus sectione precedenti. Tum secundo, quia si consequentia ex eo antecedente valeret, contra fidem conuinceret, ad generationem diuinam necessariam esse communicationem naturæ, quatenus fœcundæ, seu cum munere fœcunditatis, ad naturam acceptam alteri Filio communicandam, quia hæc formalitas, & non alia, reperitur in generationibus creatis, imò alia reperiri non potest. Ad henerationē creatam necessaria non est formalitas.

Cc 83 Obiicies

Princeps Recentiorum obiectio.

83 Obiicies septimo. Personalitas exigens naturam acceptam è suo principio, & fœcundam radicaliter respectu sui, & Personalitas distincta à Paternitate, & Spiratione passiua: ergo Filiatio. Consequentia bona est; nam in Deo vltra Paternitatem, & Filiationem, alia Personalitas, quæ Fliatio non sit, possibilis non est. Antecedens probatur, Quia Paternitas non est Personalitas exigens naturam acceptam à suo principio, cum nullum habeat principium. Spiratio autem passiua, quantumuis sit Personalitas exigens naturam acceptam à suo principio, non tamen exigit naturam acceptam à suo principio, non tamen exigit naturam respectu sui fœcundam, cum nec talis sit, nec esse possit natura diuina: ergo Personalitas exigens naturam acceptam à suo principio, & respectu sui fœcundam, est Personalitas distincta à Paternitate, & Spiratione passiua. Hoc argumento recentes fœcunditatis authores exultant, quasi victores capta præda; sed caueant, ne fugiat contrito laqueo.

Reflectitur in suos authores argumentum.

84 In primis huius argumenti mirabilis structura, eadem seruata forma, contra obiicientes euincit, Filium constitui per naturam immediatè acceptam à Patre, vt Pater est, præcisa omni fœcunditate radicali ad spirandum. Quod ita ostendo. Personalitas exigens naturam immediatè acceptam à Patre, vt Pater est, præciso omni alio, est Personalitas distincta à Paternitate, & Spiratione passiua: ergo Filiatio. Consequentia, tamquam optima, communi aduersariorum plausu, commendatur, & extollitur. Antecedens probatur, quia Paternitas non est Personalitas exigens naturam acceptam immediatè à Patre vt est certum: Spiratio autem passiua, etiam si sit Personalitas exigens naturam acceptam, non tamen immediatè acceptam à Patre, vt Pater est; sed quatenus Spirator est: ergo Personalitas exigens naturam immediatè acceptam à Patre, vt Pater est, his præcisè, est Personalitas distincta à Paternitate, & Spiratione passiua. Idem vrgeri potest in Personalitate, quatenus respiciente immediatè Paternitatem, vt principium quo productiuum respectu sui, qua ratione non illam respicit Spiratio passiua, vt est certum.

Scopum desideratum

85 Respondeo igitur, concesso antecedente negans consequentiam de Filiatione quoad conceptũ primarium; personalitas

litas enim exigens naturam acceptam à suo principio & respectu sui fœcundam, esset quidem personalitas distincta à Paternitate, & Spiratione, quia eo ipso diceret capacitatem producendi Spiritum sanctum, & esset subsistentia, seu personalitas constituens principium *quod* spirandi, in quo stat fœcunditas radicalis iuxta aduersarios. Huiusmodi autem conceptus non est formaliter constitutiuus Filij, sed materialiter tantum; nam distinctio realis à Spiritu sancto nec Patrem, nec Filium formaliter constituit in esse Patris, & Filij, sed tantum materialiter. Nam etiam si per impossibile nulla esset in Deo fœcunditas ad spirandum, maneret Filius, & sola deficeret distinctio illius à Spiritu sancto, vt videbimus disputatione 19. sectione. 2. & 3.

non attingit, eo quod distinctio realis à Spiritu sancto non est de constitutiuo formali Filij.

86 Et quamuis in creatis formale constitutiuum hoc ipso sit distinctiuum; id contingit, quia ad distinctionem necessaria non est processio, quod si necessaria esset, pariter diceremus, constitutiuum formale hominis, vt tale, non esse distinctiuum sed, id præstari à conceptu processionis in diuinis autem sola processio est ratio distinctionis; idcircò constitutiuum Filij formaliter, qua tale, distinctiuum non est ab Spiritu sancto, sed sola capacitas spirandi, sine qua Filius formaliter consisteret in ratione Filij, seu procedentis per intellectionem à Patre, tanquam rationem formalem communicandi.

87 Instare posses, etiam si Personalitas exigens naturam per intellectionem communicatam, hoc præcisè, non sit Personalitas distincta realiter ab spiratione passiua, tamen est formale constitutiuum Filij, idemque est in communi sententia de Personalitate exigente ex vi processionis communicationem naturæ, siue essentiæ diuinæ: ergo etiam Personalitas exigens naturam acceptam à suo principio, & respectu sui fœcundam, hoc præcisè, erit formale constitutiuum Filij probatur consequentia, quia ea exigentia naturæ quatenus respectu sui fœcundæ, ita propria est Filij formaliter, vt Spiritui sancto formaliter, competere non possit, sicut communicatio naturæ per intellectionem formaliter illi conuenire non potest, nec communicatio naturæ ex vi formalis processionis in communi sententia.

Fœcunditas radicalis non spectat ad formalissimum constitutiuum Filij.

88 Respondeo, concesso antecedente, negans consequentiam. Ratio est, quia etiam si per impossibile, natura diuina non esset radicaliter fœcunda ad spirandum, præcisâ communicatione naturæ per intellectionem, esset in Patre potestas generandi, & Filius genitus. Idcircò fœcunditas radicalis ad formalissimum constitutiuum Filij, non spectat; sicut nec fœcunditas radicalis eiusdem naturæ ad producendum ad extra pertinet ad formalissimum constitutiuum Filij diuini, eo quod, illa solâ deficiente, & cæteris manentibus maneret quoque formaliter integra potestas generandi. Idem dicimus de fœcunditate radicali ad spirandum; hac enim præcisè deficiente, & cæteris manentibus, videlicet, natura diuina per intellectionem communicata, maneret integra potestas generandi Filium, & sola deficeret potestas producendi Spiritum sanctum.

89 Obiicies vltimo. Si Filius non constitueretur fœcunditate ad spirandum, sed communicatione naturæ ex vi processionis, fieret Spiritum S. esse Filium Spiratoris: id dici non potest: ergo. Sequella probatur. ideò secunda Persona esset Filius, quia ex vi suæ processionis accipit naturam sui principij, vel illam exigit accipere: Tertia autem Persona ex vi suæ processionis, accipit naturam sui principij: videlicet, Spiratoris eamq; cogit accipere: ergo sicut secũda Persona est Filius Patris, ita & tertia esset Filius Spiratoris. Minor probatur, quia tertia Persona ex vi suæ processionis accipit amorẽ eumq; exigit accipere: amor autem est natura Spiratoris; ergo ex vi processionis accipit naturam sui principij, videlicet. Spiratoris. Minor probatur, quia amor absolutus est de constitutiuo Spiratoris: ergo & essentia illius, & consequenter natura:

90 Hæc obiectio nobiscũ non pugnat, qui, non cõmunicatione præcisâ naturæ, seu essentiæ diuinæ, Filium constituimus, sed communicatione illius per intellectionem, quod non competit Spiritui S. cui non per intellectionẽ, sed per amorem natura diuina communicatur. Cæterum supposita ea sententia.

Spiritus S. non est Filius Spiratoris, etiam

91 Respondeo negans sequellam. Ad cuius probationem distinguenda est maior, ideò secunda Persona est Filius, quia ex vi suæ processionis accipit naturam, seu essentiam diuinam, cõcedo; quia accipit naturam sumptam præcisè pro constitutiuo principij

principij nego. Similiter distinguenda est minor, tertia Persona ex vi suæ processionis accipit naturam, seu essentiam diuinam, nego: quia hæc in ea sententia sita est in sola actuali intellectione: naturam sumptam largè, pro constitutiuo Spiratoris, concedo. Vnde nulla est consequentia, quia ea sententia non constituit Filium communicatione naturæ, sumptæ pro constitutiuo quocunque, sed communicatione naturæ, seu essentiæ diuinæ constituentis Deum, qualis non est amor absolutus constituentis Spiratorem; sed sola diuina actualis intellectio necessaria, cuius amor diuinus absolutus est proprietas consequens & supponens adæquatā Dei naturam, & essentiam. Mitto alias obiectiones, quas congerunt fœcunditatis patroni. Tum quia leuioris sunt momẽti, tum præcipuè, quia ex hactenus dictis, & ex inferius dicendis, plana, & facilis erit cuilibet solutio.

si ab eo ex vi processionis amorem accipiat.

SECTIO VI.

Recens discrimen inter vtrámque processionem expenditur.

92 PAter Gaspar de Ribadeneyra disp.4 de voluntate Dei c.2.à n.22. supponens intellectionem, & volitionem diuinas esse obiectiuè, & virtualiter omninò idem, & vtramque pariter vtrique Personæ communicari ex vi processionis. Innuit, ideò secundam Personam esse Verbum potius, quam tertiam, quia clarius explicat suum principium vt intelligens, quam volens; Tertia verò Persona è contra, clarius explicat suum principium, vt volens, quam intelligens. Siue quia Personalitas secundæ Personæ clarius explicat illam, vt accipientem à suo principio intellectionem, quam vt accipientem volitionem, Personalitas verò tertiæ Personæ clarius explicat illam, vt accipientem à suo principio volitionem, quam vt accipientem intellectionem.

P. Ribadeneyra docēs ideò secundam Personā esse Verbum, quia clarius explicat intellectionem potiusquam volitionem.

93 Quod si inquiras. Quomodo valeat Personalitas Verbi explicare clarius intellectionē, potiusquam volitionem acceptā à

Quomodo Personalitas Verbi possit ex-

plicare clarius intellectionem potius, quam volitionem, cum tamen vnica sint virtualitas.

à suo principio, cum tamen intellectio, & volitio obiectiuè, & virtualiter sint omnino idem? Respondet, diuersimodam illam explicationem intellectionis, & volitionis non impediri omnimoda earundem identitate. Tum quia identitas obiectiua, & virtualis inter essentiam diuinam, eiusque aptitudinem, vt identificatur realiter triplici Personalitati distinctæ, non obstat, quo minus creaturæ clarè explicent Deum sub conceptu Deitatis, quin ea claritate explicent ipsum sub conceptu aptitudinis, vt identificetur realiter triplici Personalitati. Tum etiam, quia licet in luce sint omnino idem virtus calefactiua, & exsiccatiua, tamen calor clarius explicat lucem vt calefactiuam, quam vt exsiccatiuam; & è contra siccitas clarius explicat lucem vt exsiccatiuam, quam vt calefactiuam. Tum denique, quia si possibilis sit substantia supernaturalis, omnimodè identificantur in omnipotentia virtus actiua infinita, & virtus actiua substantiæ supernaturalis; & tamen licet Deum creare Angelum ex nihilo, declaret satis Deum, sub expressione vigentis infinita virtute, non tamen sub expressione vigentis actiuitate ad supernaturalem substantiam producendam. Similiter igitur omnimoda identitas inter intellectionem, & volitionem, non obstabit, quominus Personalitas secundæ Personæ clarius explicet intellectionem, quam volitionem. Eandem sententiam tenet P. Quiros in selectis, disput. 36. sectione 6. pro generatione Verbi potius, quam Spiritus.

Implicat ea sententia absque distinctione virtuali inter intellectionem, & volitionem.

94 Hæc tamen sententia alto satis suorum authorum ingenio communita, displicet. Primò. Quia intellectionem esse terminum clarioris explicationis imbibitæ in Personalitate Verbi & volitionem terminum non esse eiusdem explicationis, sunt prædicata aperte contradictoria; non minus, quam volitionem esse obiectum clare cognitum intellectione diuina, & intellectionem non esse: prædicata autem contradictoria enunciari verè non possunt de intellectione, & volitione, nisi virtualiter distinguantur: ergo vel admittenda est distinctio virtualis inter intellectionem, & volitionem, quam fugit hæc sententia, vel ipsa subsistere non potest. Maior, quæ vnicè probationem desiderat, ostenditur. Tum quia, intellectionem esse terminum clarioris explicationis repertæ in Personalitate verbi,

bi, & talem non esse volitionem, sunt affirmatio, & negatio eiusdem de eodem, eodemque modo, & respectu eiusdem, quæ est apud summulistas constans contradictoriorum regula. Tum etiam, quia non aliunde essent prædicata contradictoria, intellectionem explicari à Verbo, & non explicari volitionem nisi quia sunt affirmatio, & negatio eiusdem de eodem, explicari autem clarius intellectionem à Verbo, sunt affirmatio, & negatio eiusdem de eodem: ergo sunt prædicata contradictoria.

95 Nec instantiæ, quibus opposita sententia præmuniebatur, terrent nos, vtpote eandem nostri argumenti pressuram patientes. Nam si aptitudo diuinæ essentiæ, vt identificetur triplici Personalitati distinctæ, sit omnimodè idem cum essentia, contradictorium est vnam explicari clare à creatura, & non alteram secundum intrinsecum, quod vtraque dicit, id est, præcisis connotatis. Similiter, si possibili substantia supernaturali, virtus actiua illius, sit omnimodè idem cum virtute productiua Angeli, contradictorium est, Angelum clare manifestare virtutem productiuam infinitam, & non ita clare manifestare virtutem actiuam supernaturalis substantiæ secundum intrinsecum, quod dicit, id est, præcisis extrinsecis connotatis. Idemque est de virtute exsiccatiua, & calefactiua lucis. Quomodo autem creatura clare manifestans aptitudinem essentiæ diuinæ, nec manifestet, nec manifestare possit mysterium Trinitatis. Quomodo insuper Angelus clare manifestans virtutem actiuam substantiæ supernaturalis, aut gratiæ, nec manifestet clare, nec manifestare possit substantiam supernaturalem, neque gratiam; nodus est soluendus sectione sequenti.

Occurritur instantiis ab oppositæ sententiæ Doctoribus obiectis.

96 Secundò. Quia intellectionem explicari clarius, quam volitionem à Verbo. Vel sumitur respectiuè ad nostros conceptus; & hoc non; quia Verbum, qua tale, non pendet à nostro cogitatu. Vel sumitur in ordine ad conceptus diuinos; & neque hoc, quia Deus in Verbo non cognoscit clarius intellectionem, potiùs quam volitionem, cum minor claritas minuat perfectionem diuinæ cognitionis, nec mensuretur claritas diuinæ intellectionis indirectæ à qualitate medij clare, vel clarius

Explicari clarius intellectionem potius, quã volitionem, ab eodem Verbo sunt prædicata contradictoria.

clarius,aut confusè terminum explicantis; aliter Deus in medio confusè declarante terminum,confusè quoque cognosceret illum,quod dici non potest. Vel sumitur ex intrinsecis prædicatis Verbi, & hoc aperte implicat,vt nuper expendebamus: Nam ab eodem Verbo clarius explicari intellectionem, & non volitionem sunt prædicata contradictoria.

In ea sententia supponitur assumptum explicandum.

97 Tertiò, quia secunda Persona non potest explicare clarius intellectionem potius,quam volitionem,siue suum principium vt intelligens potius, quam volens: nisi supponatur esse Verbum potius, quam Spiritum. Ideò enim secunda Persona potius,quam tertia, clarius explicat suum principium, vt intelligens,quam volens, siue intellectionem potius, quam volitionem, quia Verbum est, vel quia alio gaudet intrinseco constitutiuo proprio ipsius; vnde suboriatur ea clarior intellectionis explicatio:explicare autem secundam Personam esse Verbum potius, quàm tertiam, explicatione supponente eam esse Verbum, vitium est manifestum: ergo. Maior probatur ipsissmet instantiis abaduersario obiectis. Nam si calor non supponatur talis ex intrinsecis prædicatis suis, non clarius explicaret lucem,vt calefactiuam potius, quàm vt exsiccatiuam; quod si quis explicaturus intrinsecam constitutionem caloris,ita illum definiret. Quod clarius explicat suum principium, vt calefactiuum potius, quam exsiccatiuum, ridiculè ageret. Sic enim facillimum esset, etiam rustico, quorumuis entium abstrusissimas essentias definire, nam quælibet earum clarius explicat suum principium, in ordine ad ipsam, quamquam in ordine ad aliam. Pariter si creatura non supponatur talis extrinsecis prædicatis suis non clarius explicaret Deum, vt creatorem potius,quàm vt aptum identificari triplici Personalitati distinctæ, idemque est de aliis: ergo nisi secunda Persona supponatur extrinsecis prædicatis Verbum, non poterit clarius explicare suum principium,vt intelligens potius, quàm volens, siue intellectionem potiùs, quàm volitionem.

Inconueniētia illius sententiæ, suique insufficiens explicatio.

Quidditas rei clariori explicatione sui principij non apte declaratur.

98 Confirmatur. Etiam si Angelus,vel homo,clarius explicet suum principium, siue omnipotentiam, vt productiuam naturæ rationalis potiùs, quàm irrationalis, tamen neque Angelus, neque homo ea clariori explicatione constituuntur, sed

aliis

aliis intrinsecis prædicatis, vnde ea clarior explicatio suboriatur. Quod si quis Angelum, vel hominem definiret ea clariori sui principij explicatione, audiendus non esset, quousque intrinsecum prædicatum, in quo talis explicatio fundatur, aperiret: ergo etiam si Verbum clarius explicaret sum principium, vt intelligens potius, quàm volens, siue intellectionem potius, quàm volitionem, adhuc desiderabitur explicandum intrinsecum prædicatum, in quo fundetur talis explicatio.

99 Dices, te non dicere, Verbum ideò esse tale, quia clarius explicat suum principium, vt principium Verbi potius, quàm Spiritus quod vitium quidem esset, sed quia clarius explicat suum principium, vt intelligens potius, quàm volens, siue intellectionem, quam volitionem acceptam à suo principio, quod quid diuersum est, & nullum incurrens vitium, aliud enim est dicere: Quod explicat suum principium, vt principium Verbi potius, quàm Spiritus; aliud verò: Quod explicat suum principium vt intelligens potius, quàm volens, siue intellectionem potius, quàm volitionem. Responsio pro opposita sententia.

100 Contra tamen. Quia esse principium, vt intelligens potius, quàm volens aliud re non est formalissimè, quam esse principiũ Verbi, potius quam Spiritus ergo secundã Personã explicare suum principium, vt intelligens potius, quàm volens, aliud re non est formalissimè, quam explicare suum principium, vt principium Verbi potius, quàm Spiritus. Antecedens aduersarij est, & facilè conuinci potest. Nam Verbum ideò explicat suum principium vt intelligens potius, quàm volens, quia vt intelligens potius, quàm volens, est principium Verbi, aliter Verbum quorsum explicaret suum principium, vt intelligens potius, quàm volens; si vt sic non esse formalissimè principium Verbi potius, quàm Spiritus? Ergo Verbum explicare clarius suum principium, vt intelligens potius, quàm volens, aliud re non est formalissimè, quam explicare suum principium, vt principium Verbi potius, quàm Spiritus. Confirmo. Vel Pater quatenus principium Verbi formaliter explicat intellectionem potius, quàm volitionem, vel non. Si non explicat: ergo sicut Pater potest, absque ea explicatione, esse principium Verbi, ita & Filius poterit esse Verbum. Si explicat: ergo Pater erit for- Expugnatur præcedens responsio.

maliter principium Verbi, quatenus explicans intellectionem potius, quam volitionem: ergo Verbum explicare suum principium, vt intelligens potius, quam volens idem omninò erit, ac explicare suum principium, vt principium Verbi potius, quam non Verbi.

Clarius explicare intellectioné potius, quã volitionem imperfectio est in Verbo.

101 Quartò Quia clarius explicare idem principium, vt intelligens potius, quam volens, siue intellectionem potius, quam volitionem, imperfectio est in Verbo diuino: ergo non potest ea manifestatione constitui. Antecedens probatur, quia Verbum est de generere intelligentis: ergo sicut intellectio diuina clarius repræsentans idem principium, vt intelligens potius, quam volens siue clarius intellectionem, & minus clare volitionem, imperfecta esset, ita & Verbum clarius manifestans intellectionem, & minus clare volitionem, imperfectum esset. Etenim idiuisibilè principium plurium terminorum repræsentari clarius in ordine ad vnum potius, quam in ordine ad alterum, imperfectio est, & limitatio intellectus nostri, quæ nullatenus in Deum transferenda est: ergo Verbum diuinum, vtpotè infinitum, & illimitatum non poterit clarius explicare suum principium, vt intelligens: & minus clare, vt volens: neque intellectionem potius, quam volitionem.

Ad hominé vrgentur aduersarij.

102 Confirmo. Licet noster intellectus possit clarius cognoscere idem principium, v. g. Lucem, aut omnipotentiam, vt calefactiuam potius, quam vt exsiccatiuam: Deus tamen non potest, sed omnimoda, & æquali claritate cognoscere debet lucé, vt calefactiuam, & simul vt exsiccatiuam, id exigente diuina, & infinitas virtute cognoscendi: ergo cum in Verbo diuino sit diuina, & infinita virtus manifestandi suum principium, hocque ex parte obiecti sit volens simul, & intelligens, non poterit manifestare illud vt intelligens potius, quam volens, sed omnimoda, & æquali claritate vtroque modo manifestabit.

103 Quintò. Ideò per te numer. 21. Verbum constitui non potest processione per intellectionem, quia nostri habitus, & species impressæ procedunt per intellectionem, nec tamen sunt Verbum: ergo neque Verbum constitui poterit ea clariore explicatione intellectionis. Probatur consequentia. quia sicut habitus, & species impressæ procedunt per intellectionem, ita clare illam explicant: ergo sicut procedere per

intellectionem

intellectione non constituit Verbum, quia id conuenit habitibus, & speciebus, quæ Verbum non sunt, ita neque clare explicare intellectionem constituet illud, cum speciebus, & habitibus id conueniat. Quod si occurras, habitus, & species explicare quidem clare intellectionem tanquam sui principium, sed non intellectionem sibi reali identitate coniunctam. Claram parabis tuo argumento solutionem, similiter enim poterunt aduersarij respondere dicentes, habitus, & species ideo non esse Verbum, quia licet procedant, aut producantur per intellectionem, non tamen per intellectionem, ipsis reali identitate coniunctam, qua ratione procedit per intellectionem secunda Persona Trinitatis.

104 Vltimo. Vtraque processio Verbi, & Spiritus S. æque clare explicat intellectionem, & volitionem: ergo ex clariori explicatione intellectionis potius, quam volitionis, desumi non potest ratio Verbi. Antecedens probatur, quia vtraque processio Verbi, & Spirius æque clare explicat omnes, & singulas perfectiones per se requisitas in principio, ipsique ex vi processionis communicandas, talis autem est, non minus volitio, quam intellectio, ergo. Minor videtur certa, quia intellectio, & volitio sunt omnino idem, atque adeo impossibile prorsus erit, vnam esse per se requisitam in principio, & ex vi processionis communicandam, & non aliam cum hæc prædicata aperte sint cōtradictoria. Maior autē probatur, quia impossibile videtur processionem aliquam æqualiter per se supponere in principio perfectiones ex vi processionis communicandas & non æque clare illas explicare, cum explicatio earum aliud non sit, dempto respectu ad nostros conceptus, quam supponere illas per se, & ex vi processionis communicandas, vtraque autē processio per se, & ex vi processionis supponit communicandas, non minus intellectionēm, quam volitionem, vtraque ergo æque clare explicat intellectionem, & volitionem.

Vtraque processio æque clare explicat intellectionē, & volitionem.

105 Confirmo. Processio Spiritus Sanct. clarissimè explicat volitionem: ergo & intellectionem. Consequentia probatur, quia volitio clarissimè explicat volitionem etiam in creatis, ex illo principio, nihil volitum, quin præcognitum: ergo processio clarissimè explicans volitionem, clarissime quoque intellectio-

Processio Spiritus clarissime explicat volitionem, atque adeò intellectionē.

intellectionem explicabit: talis autem est processio Spiritus S. ergo. Nec dici potest processionem Spiritus explicare clarissimè intellectionem, non tamen immediatè, sed mediatè; media scilicet volitione. Quia volitio in sententia opposita, non est, nec potest esse medium, inter processionem Spiritus sancti, & intellectionem, cum intellectio, & volitio sint omninò idem; medium autem, quod re tale sit obiectiuè, distinctum debet esse, saltem virtualiter, & obiectiuè ab extremis: ergo cum talis non sit volitio inter intellectionem, & processionem Spiritus sancti, ita non poterit mediatè explicare intellectionem, sed immediatè: ergo vtramque clarissimè, & immediatè manifestabit; atque adeò processio Spiritus sancti distincta non erit à processione Verbi, eo quod ista clarius explicet intellectionem, quam volitionem; illa verò è contra volitionem potiùs, quàm intellectionem.

SECTIO VII.

Dissoluitur præcedentis sententiæ fundamentum.

Explicare clarius Verbum intellectionem potiùs, quàm volitionem non esse prædicata contradictoria.

106 OBiicies. Si Verbum non possit constitui clariori explicatione, intellectionis potiùs, quàm volitionis, & Spiritus sanctus è contra clariori explicatione volitionis potiùs, quàm intellectionis, maximè, quia ista essent prædicata contradictoria, quæ de intellectione, & volitione omnimodè identificatis verificari non possunt: id falsum est: ergo. Minor probatur communibus exemplis. Tum quia in essentia diuina obiectiuè, & virtualiter omnimodè identificantur prædicatum Deitatis, & aptitudinis, vt identificetur triplici Personalitati distinctæ, & tamen creaturæ absque vlla contradictione manifestant clarè Deitatem; non verò aptitudinem, vt identificetur triplici personalitati distinctæ. Tum etiam, quia in luce virtus exsiccatiua, & calefactiua sunt obiectiuè, & virtualiter omninò idem, & tamen calor clarius manifestat lucem, vt calefactiuam, quam vt exsiccatiuam. Tum denique, alij prætermissis,

missis, quia si possibilis sit substantia supernaturalis, obiectiuè, & virtualiter omnimodè identificantur in omnipotentia diuiuina prædicatum virtutis actiuæ infinitæ,& prædicatum virtutis productiuæ substantiæ supernaturalis;& tamen licet Deum creare Angelum ex nihilo, declaret satis, iuxta communem sententiam,prædicatum virtutis actiuæ infinitæ;non verò prædicatum virtutis productiuæ substantiæ supernaturalis: Ergo similiter etiamsi intellectio, & volitio virtualiter, & obiectiuè sint omninò idem poterit Verbum absque vlla contradictione clarius explicare intellectioem quam volitionem,

107 Confirmatur. Ex conceptibus obiectiuè, & virtualiter omninò identificatis,possumus nos absque vlla contradictione explicare clare vnum; aliis confusè cognitis, & non ita clare explicatis; sic cognitio clara entis est confusa, & non ita clara differentiarum: ergo ex conceptibus obiectiuè, & virtualiter identificatis, vnum terminare clariorem explicationem,& non alterum, nulla est contradictio: aliter non posset quis cognoscere clare ens,quin eadem claritate cunctas cognosceret differentias, quod notissimæ repugnat experientiæ; passim enim ex conceptibus omninò identificatis,explicamus vnum aliis inexplicatis; & vnum facile alterum verò difficillimum est definire.

In creatis ea clarior explicatio frequẽter possibilis.

108 Respondeo concessa maiori,negans minorem. Ad probationem negandæ sunt omnes instantiæ, quæ producuntur, vt pote eandem omnino difficultatem continentes.Etenim si prædicatum Deitatis, & aptitudinis ad identitatem cum triplici Personalitate distincta, sint omnino idem, impossibile prorsus est, explicari clarè vnum à creatura, & non aliud, cum hoc aliud sit illud vnum. Hæc dixerim de aptitudine secundum intrinsecum,quod dicit,nam de connotatis Personalitatum aliter sentiendum est, vt constabit infra. Idemque est de aliis in stantiis, nam si virtus exsiccatiua in luce, aliud non sit intrinsecè, obiectiuè, & virtualiter, quàm virtus calefactiua; imperceptibile est, calorem explicare virtutem calefactiuam, & non exsiccatiuam,cum hæc aliud non sit, quam virtus calefactiua. Ad confirmationem pariter negatur antecedens;si enim ens, & differentiæ sint virtualiter, & obiectiuè omninò idem

Præcedentis obiectionis, confirmationisque solutio.

 impossibile

impossibile est, cognitionem esse claram entis, & non differentiarum secundum intrinsecum, quod dicunt. Nam differentiæ aliud non sunt, quàm ens: ergo impossibile est, cognitionem esse claram entis, & non esse claram differentiarum, quæ aliud non sunt, quàm ens.

Creaturas manifestare Deitatem, non verò aptitudinẽ illius, vt triplici Personalitati idẽtificetur.

109 Instabis primò. Creaturæ æquali claritate manifestant Deitatem, & aptitudinem, vt triplici Personalitati inter se distinctæ identificetur: ergo ex creaturis non minus cognoscetur euidenter abstractiue Deitas, quàm aptitudo, vt identificetur triplici Personalitati inter se distinctæ: cognitione autem naturali cognoscitur euidenter abstractiue Deitas ex creaturis: ergo & aptitudo. Non autem potest clare cognosci aptitudo Deitatis, vt identificetur triplici Personalitati distinctæ, nisi ignoscatur identitas cum triplici Personalitate distincta, quod est cognoscere mysterium Trinitatis: ergo si creaturæ clare explicarent eam aptitudinem, clare quoque explicarent mysterium Trinitatis: id autem falsum est, ergo & explicare clare eam aptitudinem: Idem argumentum fieri posset, si ens naturale, vel homo clare explicaret virtutẽ productiuã gratiæ.

Creaturæ æque clare deitatem, eiusque aptitudinem ad tres Personas manifestant.

110 Respondeo creaturas æque clare explicare Deitatem eiusque aptitudinem, vt triplici Personalitati identificetur, & ex creaturis non minus euidenter abstractiue demonstrari Deitatem, & aptitudinem, sed vtramque æqualiter in ordine tamen ad ipsas creaturas, & neutram in ordine ad Personalitates, aut identitatem earum cum essentia. Aliud enim est aptitudinem secundum intrinsecum, quod dicit, explicari à creaturis: & hoc verum est; quia aptitudo secundum intrinsecum, quod dicit, aliud non est à Deitate; cumque ita explicetur à creatura, impossibile est illam non explicari. Aliud autem est aptitudinem, vt talem, siue in ordine ad identitatem trium Personalitatũ cum ipsa, explicari & creaturis; & id est falsum, nã creaturæ non explicant identitatem trium Personalitatum cum essentia; etiamsi clare explicent essentiam, eiusque aptitudinem; atque adeò nec possunt explicare aptitudinem, vt aptitudo est, siue in ordine ad identitatem trium Personalitatum cum essentia: ad id enim vltra explicationem aptitudinis secundum intrinsecum, quod dicit, necessaria est explicatio termini, seu connotati.

connotati. Si autem eminentiæ productiuæ Leonis, & gratiæ sint obiectiue, & virtualiter omninò idem. Similiter dicimus Leonem explicare æqualiter vtramque secundum intrinsecum, quod dicit, non tamen explicare eminentiam productiuam gratiæ, quatenus talem, siue in ordine ad gratiam, quia ad id opus est, explicare gratiam, quod non præstat Leo.

111 Hinc colliges, cur cognitio clara entis solita sit dici confusa differentiarum. Non quidem quia cognitio clara entis, non sit clara differentiarum secundum intrinsecum, quod dicunt; id enim, cum aliud non sit, quam ens, impossibile est clare non explicari, explicato clare ente; sed quia ea cognitio explicat clare connotatum entis, non ita explicatis connotatis differentiarum. Et hinc, qui facilè cognoscit ens, manet difficilis ad explicandas, & definiendas differentias; quia cognitione clara entis, non vincitur difficultas ad inueniendа connotata differentiarum, quorum explicationem desiderat earum definitio. Hæc etiam causa est, cur dicatur calor explicare virtutem vt calefactiuam potius, quam vt exsiccatiuam, quia videlicet calor explicat intrinsecum virtutis calefactiuæ, & se ipsum, qui est connotatum virtutis calefactiuæ; non autem explicat siccitatem, quæ est connotatum virtutis exsiccatiuæ. Idemque est de cæteris cum proportione dicendum. Vnde cognitio clara entis solita sit dici confusa differentiarum.

112 Instabis secundò. Impossibile est clare explicari virtutem, seu aptitudinem connexam cum aliquo termino, & non explicari terminū: virtus autem productiua gratiæ est connexa cum gratia (id nunc supponamus) & aptitudo ad identitatem trium Personalitatum est connexa cum identitate trium Personalitatum: ergo si creaturæ clare explicarent eam aptitudinem, clare quoque explicaturæ essent identitatem trium Personalitatum cum Deitate, pariterque si clare explicarent virtutem productiuam gratiæ, ipsam quoque gratiam explicaturæ essent: atque adeò non possent explicare aptitudinem, nisi quatenus talem: seu in ordine ad identitatem trium personalitatum; nec virtutem productiuam gratiæ, nisi quatenus talem, & in ordine ad gratiam. Maior videtur certa.

Tum

Tum quia impossibile videtur explicari rem connexam cum aliquo termino, & non explicari terminum. Tum etiam quia non potest cognosci res connexa cum aliquo termino, saltem clare, quin terminus clare, licet indirecte cognoscatur. Tum denique, quia intellectus non alio titulo cognoscit vnum in alio, nisi ratione connexionis, atque adeò cognita clarè, & directe re connexa, clare quoque licet indirecte terminus cognitionis cognoscendus est.

Res cum pluribus terminis connexa potest clare explicari in ordine ad vnum, & non ad alterum.

113 Respondeo aptitudinem seu virtutem connexam cum pluribus terminis, posse explicari in ordine ad vnum, quin explicetur in ordine ad alterum, quia hæc cum sint respectu diuersorum, contradictoria non sunt, cum autem aptitudo ad tres Personalitates intrinsece, & obiectiue, sit respectus, etiam ad creaturas, poterit optime explicari in ordine ad istas, quin in ordine ad Personalitates explicetur. Similiter, cum virtus productiua gratiæ intrinsece, & obiectiue sit virtus productiua Leonis, poterit optime explicari in ordine ad Leonem, quin in ordine ad gratiam explicetur. Ratio est, quia explicari eundem obiectiuè respectum in ordine ad vnum terminum, & non in ordine ad alterum, est explicari coniunctum ex respectu, & vno termino, & non explicari coniunctum ex eodem respectu, & alio termino: cum autem hæc coniuncta distincta sint nihil obstat, quominus vnum sine altero explicari possit, cum in hoc nulla appareat contradictio.

Præcedens responsio instantiis stabilita.

114 Quod autem indiuisibilis respectus ad plures terminos possit explicare in ordine ad vnum, quin explicetur in ordine ad alterum, res est, quæ irrefragabilibus instantiis conuinci potest. *Primò*, quia eminentiæ omnipotentiam integrantes, obiectiue, & virtualiter sunt vnius respectus ad plures terminos scilicet, omnes creaturas possibiles; & tamen potest explicari in ordine ad vnum, & non in ordine ad alterum, aliter quilibet beatus clare cognoscens omnipotentiam, clare quoque omnia possibilia penetraret. *Secundò.* Homo est indiuisibilis respectus ad sensationes, & discursus: (loquor in sententia negante præcisiones obiectiuas) & tamen ille respectus explicari potest in ordine ad sensationem, quin explicetur in ordine ad discursum. *Tertiò.* Ens, & rationalitas sunt indiuisibilis re-

spectus

pectus ad carentiam repugnantiæ, & diſcurſum; & tamen explicari poteſt in ordine ad carentiam repugnantiæ, quin explicetur in ordine ad diſcurſum. Idemque vrgeri poteſt inſtantiis nobis obiectis, & aliis, ſexcentis, quæ cuique occurrunt.

115 Inſtabis tertiò. Si indiuiſibilis reſpectus æqualiter plures terminos reſpiciens clare cognoſcatur, nulla eſt potior, ratio, cur inclinet intellectus ad cognoſcendum vnum terminum potius, quam alterum: ergo vel omnes, vel nullus cognoſcendus eſt. Antecedens probatur, quia tota ratio cur cognito clare reſpectu, vnus terminus cognoſcendus eſt, alia eſſe non poteſt, niſi quia reſpectus ille eſt eſſentialiter reſpectiuus termini, & totum ſuum eſſe habens in ordine ad illum: æque autem eſt reſpectiuus omnium terminorum, & totum ſuum eſſe habens in ordine ad illos; ergo nulla eſt prior ratio, cur inclinet intellectus ad cognoſcendum vnum terminum potius, quam alterum.

116 Reſpondeo negans antecedens. Ad cuius probationem nego maiorem. Ratio enim, cur indiuiſibilis reſpectus plurium terminorum cognoſcatur in ordine ad vnum potius, quam alterum, eſt, quia ille reſpectus cognoſcitur per ſpeciem propriam alterius, quæ ſpecies parit cognitionem reſpectus in ordine ad ſuum terminum, cuius eſt ſpecies propria, & non in ordine ad alterum, cuius propria non eſt. Sic per ſenſationis ſpeciem cognoſcitur homo in ordine ad ſenſationem, non autem in ordine ad diſcurſum, quia ad ſpecies illa propria eſt ſenſationis, & non diſcurſus. Pariter per ſpeciem creaturarum cognoſcitur Deitas in ordine ad creaturas, non vero in ordine ad Perſonalitates diuinas, quia propria non eſt Perſonalitatum, ſed creaturarum. Similiter per ſpeciem entis naturalis cognoſcitur omnipotentia in ordine ad ens naturale, non vero in ordine ad gratiam, quia propria non eſt gratiæ, ſed entis naturalis.

Ratio, cur indiuiſibilis reſpectus ad plures terminos, cognoſci poſſit in ordine ad vnum, & non alterum.

117 Inſtabis quintò. Quia licet hæc vera ſint de reſpectu plurium terminorum cognito in aliquo termino per ſpeciem propriam ipſius, non tamen de reſpectu cognito in ſeipſo, & per propriam ipſius ſpeciem. Qua ratione inſoluta manet inſtantia. Nam reſpectus indiuiſibilis plurium terminorum æqua-

Inſtantia Difficilior de reſpectu cognito in ſeipſo, & per propriam ſpeciem.

liter respicit illos : ergo cognitus in se ipso, & per propriam speciem, nulla est maior ratio, cur in ordine ad vnum potius, quam alterum cognoscatur, ergo vel cognosci poterit absque ordine ad aliquem, id non potest, ergo cognoscendus est in ordine ad omnes. Id etiam falsum est, communi experientia repugnante, qua cognoscantur plura obiecta in se ipsis, & per speciem propriam, quin omnes termini, quos respiciunt cognoscantur, vt in cognitione coloris, materiæ, quantitati, & aliorum in quibus est respectus indiuisibilis ad mille terminos nec tamen omnes cognoscuntur.

Modus cognoscendi in seipso indiuisibilem respectum in ordine ad vnum terminum, & non ad alterum.

118 Antequam respondeam præmittenda est doctrina à nobis in libris de Anima stabilita, scilicet ad concipiendam cognitionem alicuius obiecti, non sufficere præcisam existentiam speciei in intellectu; sæpissime enim existunt in intellectu species obiectorum, nec tamen paritur notitia, vt notum est. Vlterius ergo ad concipiendam cognitionem obiecti, necessaria est excitatio speciei, nam quandiu sopita sit, dormitat pariter potentia, vt vtraque ergo euigilet, & cognoscat, excitanda est species, & cum illa potentia. Huiusmodi ergo excitationem, esse qualitatem ab speciebus distinctam, suppono ex ibidem traditis, eiusque munus esse, vltimo complere potentiam ad pariendam cognitionem vbi est. Eadem autem species potest multipliciter excitari *Primò* excitatione connexa cum obiecto, & vno tantum termino, seu connotato illius. *Secundò* excitatione connexa cum obiecto, & duobus terminis. *Tertiò* excitatione connexa cum obiecto, & triplici tantum termino. *Quartò* excitatione connexa cum obiecto, & omnibus terminis. Vt clarior igitur procedat responsio, supponamus obiectum esse essentialiter respectiuum quatuor tantum terminorum. Quo posito.

119 Respondeo respectum indiuisibilem, & æqualem plurium terminorum posse in seipso, & per propriam speciem cognosci in ordine ad vnum terminum, & non alios, in ordine ad duos & non cæteros, in ordine ad tres, & non quatuor, & tandem in ordine ad omnes quatuor. Quia cognitio obiecti in ordine ad terminum pendet ab excitatione speciei, cumque species possit excitari excitatione connexa cum vno tantum termino, vel

cum

cum duobus, aut tribus, vel cum omnibus. Hæc est causa vnde obiectum, etiamsi in se ipso, & per propria speciem cognoscatur, recognosci possit in ordine ad vnum terminum, & non alium, in ordine ad duos, & non tres, &c.

120 Sed dices, quid dicendum in visione beata, cuius nulla est species impressa, & consequenter neq: excitatio: & tamen creaturæ inæqualiter à beatis in omnipotentia cognoscuntur etiam si sit indiuisibilis respectus ad omnes. Respondeo tunc diuinã voluntatem gerere munus excitationis, non speciei, sed potentiæ, volens applicare suam omnipotentiam ad visionem pluriũ, vel paucorũ creaturarum: sicut essentia diuina sua intima præsentia ad intellectum beati gerit munus speciei, cumq: diuina voluntas volens visionem plurium creaturarum, connectatur cum pluribus, & volens visionem pauciorum cum paucioribus, inde diuersæ visiones in ordine ad diuersas creaturas oriuntur. Quid dicendum de visione beata cuius nulla est species saltem de facto.

SECTIO VIII.

Vera sententia discrimen inter vtrámque processionem statuens.

121 PRincipalioribus sententiis profligatis, propriam stabiliemus, cæteras in sequẽtibus expugnaturi, Magni momenti est ad nostrum discrimen clarius apprehendendum, diligenter euoluere, quæ à nobis de communicatione vtriusque processionis præmissa sunt disp.7.sect.2.& 3. Scilicet solam intellectionem esse communicationem respectu Filij, non solum formaliter, nec realiter sit communicatio respectu illius. Similiter solam volitionem esse communicationem respectu Spiritus non solum formaliter, sed etiam realiter, ita vt intellectio, nec formaliter, nec realiter sit communicatio respectu illius. Ex his à nobis ibi morosè. Dicendis oportuna præmonitio.

122 Assero. Ideò processionem secundæ Personæ potius, quam tertiæ, esse generationem, eiusque terminum Filium, & Verbum: quia formaliter, & realiter est per intellectionem, tanquam rationem formalem communicandi naturam: qua ratio- Cur processio secundæ Personæ generatio sit.

 ne,

eiusque terminus Filius, & Verbum.

ne, neque formaliter, neque realiter, est processio tertiæ Personæ; cum illius realis, & formalis communicatio naturæ sit sola volitio. His tamen non contendimus, distinctionem realem inter vtramque processionem consistere formaliter in intellectione, & volitione; quia cum communes sint vtrique processioni, eas discriminare non possunt. Tantum ergo dicimus, præscindendo à distinctione reali, processionem secundæ Personæ ideò esse generationem: eiusque terminum Filium, & Verbum, quia exigit intellectionem, tanquam rationem formalem communicandi; & talem non esse processionem tertiæ Personæ, quia solam exigit volitionem, tanquam rationem formalem communicandi; neuticam vero intellectionem.

A communibus incōuenientibus liberata sententia nostra.

123. Quid discrimen licet affine videatur sententiæ P. Soarij, P. Arriagæ, & aliorum, illius tamen absurda non incurrit, videlicet tertiam Personam ex vi processionis non esse Deum, nec Personam, cum illi ex vi processionis non communicetur Deitas, seu natura Diuina. Cum nostro autem discrimine optime stat, vtrique Personæ formaliter ex vi processionis communicare, Deitatem ' seu naturam Diuinam, in quocunque illa consistat; atque adeo vtramque ex vi processionis eadere Deum, & Personam. Nam si Deitas, seu natura Diuina consistat in intellectu diuino, vt à nobis traditum est de Essentia, & Attributis, secundæ Personæ communicatur per intellectionem; tertiæ vero per volitionem. Si autem Deitas, seu natura diuina consistat in actuali intellectione, communicatur Filio vt quo, & per seipsam: Spiritui vero media volitione. Vnde discrimen inter vtramque processionem, non stat in eo quod vni communicetur essentia, non vero alteri.

In generatione modus accipiēdi naturam attendendus.

124. Nec ponderis est, quod Iuniores aliqui mirati sunt, re non satis attente meditata; videlicet, nostram sententiam discrimen generationis deuoluere admodum accipiendi naturam. Etenim id in omni generatione attendendum esse, quis vel cæcus non videat. Nam etiam si viuens accipiat naturam alterius, si tamen non accipiat modo generationi destinato, illius productio, non esset generatio. Sic productio Euæ ex Adami

Adami costa generatio non fuit, nec fuisset, etiamsi Adamus eleuante Deo ad eam Euæ productionem concurrisset. Ad generationem ergo viuentium attendendus est, etiam in creatis, modus accipiendi naturam à suo principio, sub his, & illis circumstantiis generationi destinatis. Quis ergo miretur attendi à nobis in generatione diuina modum accipiendi naturam, quando solus modus accipiendi illam per intellectionem est diuinæ generationi destinatus? Quando insuper clamant, non sine plausu, Principes Theologiæ cum doctissimo P. Soario, ad generarionem diuinam non sufficere, vt cunque accipere naturam diuinam, nam Spiritus sanctus aliquo modo illam accipit, sed necessarium esse, speciali modo accipere in quo inueniendo præsens desudat controuersia?

125 Definitionem ergo generationis, scilicet, *Origo viuentis à principio viuente coniuncto in similitudinem naturæ*: ita explico in diuinis, quamuis à Philosophis pro solis creatis tradita fuerit. Quod Persona procedens accipiat naturam à suo principio, non vt cunque, sed modo speciali generationi destinato, qualis est in creatis acceptio naturæ ministerio seminis in diuinis vero, acceptio naturæ per intellectionem, tanquam rationem formalem communicandi. Id sibi vult, esse à principio coniuncto in similitudinem naturæ. Cum autem sola processio secundæ Personæ sit per intellectionem tanquam rationem formalem communicandi; ideò est à principio coniuncto in similitudinem naturæ. Processio vero Spiritus sancti, cum non sit per intellectionem tanquam rationem formalem communicandi, sed per solam volitionem, ideò non est in similitudinem naturæ, & consequenter neque generatio. Eadem est ratio, cur processio secundæ Personæ sit Verbum potius, quam tertiæ. Quia scilicet procedere per intellectionem, tanquam rationem intrinsecam communicandi; proprium est Verbi, quod non competit Spiritui sancto.

Definitio generationis explicata.

126. Quod si inquiras cur solus modus accipiendi naturam per intellectionem, tanquam rationem formalem communicandi, sit diuinæ generationi destinatus? Respondeo, ideo esse; quia diuina generatio est productio Verbi; Cumque

Cur solus modus accipiendi naturam per intellectionem sit diuinæ generationi destinatus.

que hoc sit generis intellectiui tantum, & non volitiui; inde solus modus procedendi per solam intellectionem est diuinæ generationi distinctus, vtpote proprius processionis Verbi, ad quem diuina generatio terminatur. Idcirco aiebat August. 6. & 7. de Trinit. c. 2. *Et Verbum, quo Filius, & eo Filius, quo Verbum.* Et Ambros. lib. 4. de fide ad Gratianum c. 4. de Filio ait. *Ideò dici genitum, & natum, quia Verbum est.* Et Basilius lib. 5. contra Eunomium. *Pater Filij genitor, & mens Verbi Pater. vt sapiens, qui sapientiam genuit.*

Cur processio secundæ Personæ sit à Paternitate, vt Paternitas est.

127. Hinc ingoro, cur processio secundæ Personæ sit à Paternitate, vt Paternitas est, siue tanquam à principio *quo* productiuo. Processio vero tertiæ sit à relatione Spiritoris, & non à Paternitate, tanquam à Principio *quo* productiuo. Quia videlicet principium *quo* productiuum, in omni processione diuina, debet esse eiusdem generis cum ipsius communicatione; cumque communicatio secundæ Personæ sit generis intellectiui; ideo eius Processio debet esse à Paternitate, vt Paternitas est, siue tanquam principio *quo* productiuo, quæ generis intellectiui est. Cum autem communicatio tertiæ Personæ sit generis volitiui, ideo illius processio debet esse à relatione spiratoris, quæ generis volitiui est, & nõ à Paternitate, vt Paternitas est, nec à Filiatione, vt Filiatio est, quia vtraque est generis intellectiui.

Cur Paternitas sit generis intellectiui, & nõ volitiui.

128. Quod si iniquitas. Cur Paternitas generis intellectiui sit, & non volitiui? *Respondeo*, ideo esse, *Primo* quia est relatiuo resultans à sola essentia diuina, quatenus præcedente omne genus volitiuum: Relatio autem ista resultans ab essentia diuina, generis volitiui esse non potest, sed tantum intellectiui, cuius generis est essentia. Et quamuis ab essentia diuina, quatenus præcedente omne genus volitiuum, resultet amor absolutus, qui generis volitiui est, id tamen locum non habet in relationibus, quæ sequuntur naturam, & differentiam radicis à qua resultant. Idcirco relatio Spiratoris est tantum generis volitiui & non intellectiui, quia resultat à mutuo amore, qui generis volitiui est: ergo eo ipso, quod Paternitas resultet ab essentia diuina quatenus præcedente omne genus volitiuum, erit solius generis intellectiui cuius est essentia, à qua resultat. *Secundo*, quia Paternitas, vt Paternitas, est principium Verbi quod proprium

prium est solius generis intellectiui,& non volitiui.
129. Quod si obiicias, relationem Spiratoris resultare mea opinione ab essentia diuina tanquam à radice virtuali,nec tamẽ est generis intellectiui,sed tantum volitiui: ergo licet paternitas resultet ab essentia diuina non idcirco generis intellectiui erit,& non volitiui. *Respondeo* relationem Spiratoris esse quidem ab essentia diuina tanquam à radice generali omnium attributorum; non autem esse ab essentia sola, nec quatenus præcedente omne genus volitiuum, qua ratione est Paternitas, sed ab illa, vna cum mutuo amore vltimo complente essentiam diuinam in ratione radicis, ex qua relatio Spiratoris resultet; ideo est generis volitiui,& non intellectiui: quia videlicet differentia vltimo complens eius radicem, generis volitiui est; Paternitas autem non tantum est ab essentia diuina tanquam à radice generali omnium attributorum sed tanquam à radice speciali, se ipsa vltimo completa,absque vllo alio generis volitiui in ratione radicis, ex qua Paternitas resultet. Vnde generis intellectiui est,non volitiui.
130. Hæc sententia ita exposita probatur primò. Quia coniunctum ex intellectione, & relatione producta, respectu cuius intellectio sit communicatio, continet aliquem conceptum formaliter minime communem Spiritus sancto, proprium solius Filij, & Verbi, Filij quidem, nam ratione intellectionis, qua communicatur illi essentia, vt *quo*, si ab intellectione distincta non sit, vel vt *quod*, si distincta, euadit similis in natura suo principio, Verbi autem, quia est terminus productus intrinsece, & immediate intellectioni coniunctus. Quod formaliter non competit Spiritui sancto,cuius producta relatio non immediate, sed media volitione coniungitur intellectioni. Huiusmodi vero conceptum non esse secundarium respectu Filij, sed primarium res videtur perspicua. Nam processio per intellectionem potius, quam volitionem, qualem nos exposuimus, supponere non potest processionem propriam Filij, & Verbi: ergo neque supponere potest conceptum primarium constituentem similem processionem. Vnde conceptus à nobis assignatus, vt pote alium non supponens primarius est: ergo cæteris præferendus.

Prior à priori nostræ sententiæ probatio.

131. Secun

Secunda probatio ex conceptu Verbi desumpta.

131 Secundò. Quia quod proprium est Verbi in diuinis, propriũ quoq; est etiam Filij, iuxta illud Augustini 6. & 7. de Trinitate c. 2. *Eo Verbum, quo Filius; ex eo Filius; quo Verbum*: Proprium autem est Verbi esse terminum ab intelligenti productum, & intellectioni intrinsecè, & immediate coniunctum, coniunctione identitatis à nobis iam expositæ disp. 7. sect. 2. ergo id proprium etiam erit Filij. Esse autem terminum ab intelligente productum, & intellectioni intrinsecè, & immediate coniunctum, est, esse terminum ab intelligente productum, se habente intellectione diuina tanquam ratione formali communicandi alias perfectiones, siue tanquam immediata coniunctione earum cum relatione producta: ergo de ratione Filij diuini erit procedere per intellectionem tanquam rationem formalem communicandi cæteras diuinas perfectiones. Minor prioris syllogismi mihi certa est. Nam omne Verbum mentale, etiam in creatis, est terminus, ab intelligente productus, & intellectioni intrinsece, & immediate coniunctus, coniunctione identitatis, non enim Verbum est quid ab intellectione realiter distinctum, vt melior animastica tuetur: ergo de ratione verbi vt sic est, esse terminum ab intelligente productum, & intellectioni intrinsece; & immediate coniunctum.

Tertia probatio ex discrimine inter vtramque processionẽ, eruta.

132 Tertiò, quia modus hic noster constituendi Filium nihil implicat; aliunde verò dilucidè proponit diuersitatem procedendi vtriusque personæ, ergo cæteris præferendus est. Consequentia optima est: quidquid enim nihil implicat possibile est, quidquid autem est possibile in perfectionibus necessariis, cuius generis sunt diuinæ processiones, de pacto admittendum est existens; atque adeò si processio Filij per intellectionem tanquam rationem formalem communicandi, & similis processio Spiritus per amorem nihil implicent de facto admittendæ sunt. Nihil autem implicare, probatur. Quia si ex aliquo capite implicaret processio Filij per intellectionem, idemque est de processione Spiritus per amorem, maxime, quia intellectio esset realiter volitio, nec tamen esset communicatio, etiam realiter, respectu Spiritus sancti; & è contra volitio esset realiter intellectio, nec tamen esset communicatio, etiam realiter, respectu Filij: id autẽ nihil implicat, ergo.

ergo. Minor probatur, quia sola distinctio virtualis potens est in diuinis componere prædicata realiter contradictoria, qualia sunt intellectionem esse realiter volitionem, & non esse realiter communicationem respectu Spiritus sacti, & volitionem esse realiter intellectionem, & non esse realiter communicationem respectu Filij; Sicut eadem distinctio virtualis inter naturam diuinam, & Filiationem, præstat, naturam diuinam esse realiter Filiationem & non esse realiter productam: cum tamen Filiatio sit realiter producta: intellectio autem, & volitio virtualiter distinguntur: ergo & poterunt ea prædicata componere, quod fusius à nobis stabilitum est disp. 7. sect. 3. Vbi tu videas ne semel acta nobis repetenda sint.

133 Dices hanc nostram sententiam explicare quidem discrimen inter vtramque processionem, cæterum augere difficultatem mysterij Trinitatis, & diuinæ genereratiouis, multiplicatione distinctionis virtualis inter intellectionem, & volitionem diuinas: quæ absque vrgentissimo, & ineuitabili fundamento, multiplicanda non est; cum cæteris paribus, maior sit perfectio diuinarum perfectionem simpliciras, quam distinctio.

134 Fateor distinctionem virtualem multiplicandam non esse in diuinis absque vrgentissimo fundamento, & nisi aliter perfectiones diuinæ consistere non possint. Cæterum intellectionem, & volitionem diuinas distingui virtualiter inter se: nec nouum est in Theologia, cum maior, & melior Doctorum pars eam distinctionem tueatur; nec euitabile, cum absque ea distinctione consistere non valeat mysterium diuinæ generationis, seu discrimen illius à processione Spiritus sancti, vt constat ex dictis tota hac disputatione præcipuè sect. 2. Nostra ergo sententia, vt pote communibus erecta fundamentis scrupulo maioris difficultatis desserenda non est; imò maior difficultas, si quæ esset, generosè superanda foret pro tanti mysterij explicatione dixi *si quæ esset*. Quia censeo multo plus augeri difficultatem diuinæ generationis ab authoribus distinctionem virtualem exterminantibus ab intellectione, & volitione, quia præcisis vocibus, inexplicata manet, & forte explicata præsens controuersia.

Distinctio virtualis qualiter in Deo vitanda, qualiterque admittenda.

Quarta probatio ex S. Thoma.

135 Quarto. Quia Filium procedere per intellectionem, & Spiritum sanctum per amorem, & non è contra est expressa sententia S. Thomæ. Tum locis à nobis adductis sect. 3. Tum etiam quæst 27. art. 4. corpore, vbi ita loquitur, rationem reddens, cur processio Spiritus sancti non sit generatio. *Ad cuius euidentiam sciendum est, quod hæc est differentia inter intellectum, & voluntatem, quod intellectus sit in actu per hoc, quod res intellecta est in intellectu secundum suam similitudinem. Voluntas autem fit in actu, non per hoc, quod aliqua similitudo voliti sit in voluntate, sed ex hoc quod voluntas habet quandam inclinationem in rem volitam. Processio igitur quæ attenditur secundum rationem intellectus, est secundum rationem similitudinis, & in tantum potest habere rationem generationis, quia omne generans generat sibi simile. Processio autem quæ attenditur secundum rationem voluntatis, non consideratur secundum rationem similitudinis, sed magis secundum rationem impellentis, & mouentis in aliquid. Et ideò quod procedit in diuinis per modum amoris, non procedit vt genitum, & vt Filius, &c,* & ibidem ad primum. *Huiusmodi autem ordo* (scilicet vnius processionis ad aliam) *attenditur secundum rationem voluntatis, & intellectus.* Et art. 5. reddens rationem cur in Deo duæ tantum sint processiones ita loquitur. *Respondeo dicendum quod processiones in Diuinis accipi non possunt, nisi secundum actiones, quæ in agente manent. Huiusmodi autem actiones in natura intellectuali, & diuina non sunt, nisi duæ, scilicet intelligere, & velle.* Vnde infert duas tantum dari processiones; vnam scilicet per actum intelligendi; alteram vero per actum volendi.

136 In quibus apertissime docet S. Thomas processionem Filij esse per intellectionem, & non per volitionem; è contra verò processionem Spiritus S. esse per volitionē; non verò per intellectionem. Et discrimen generationis Filij à processione Spiritus sumendum esse per respectum ad intellectionem potius; quam volitionem, quia intellectionis proprium est, & non volitionis, assimilare terminū per ipsam procedentem suo principio, quæ omnia consistere non valent absque distinctione virtuali inter intellectionem, & volitionem. Si autem vtraque processio esset realiter per vtrumque actum intelligendi, & volendi, vtraque

esset

eſſet realiter generatio, vt fusè expenſum eſt ſect. 2. & 3. Nulla inſuper eſſet ratio exhibita à S. Thoma pro duplici tantum proceſſione. Etenim ſi non obſtante prima proceſſione realiter per vtrumque actum, poſſibilis eſt ſecunda realiter, etiam per vtrumque actum, cur poſſibilis non erit tertia: ergo proceſſio Filij aſſerenda eſt per ſolam intellectionem realiter, & proceſſio Spiritus per ſolam volitionem, tanquam rationes formales communicandi; cum non poſſint eſſe rationes formales producendi, vt in ſuperioribus oſtenſum eſt.

Effugium contra mentem S. Thomæ exinanitum.

137 Quod ſi S. Thomam detorqueas ad proceſſionem formalem Filij per ſolam intellectionem, & Spiritus per volitionem; etiam ſi vtraque ſit realiter per vtrumque actum. Non ſoluis. Tum quia S. Thomas abſque vlla limitatione docet, vnam proceſſionem eſſe per intellectionem, & non per volitionem; alteram verò è contra per volitionem, & non per intellectionem. Tum etiam quia cum huiuſmodi interpretatione ſtare non poſſe diſcrimen diuinæ generationis à proceſſione Spiritus ſancti, multis à nobis oſtenſum eſt ſect. 2. & 3. Tum denique quia inde fieret Spiritum ſanctum ex vi proceſſionis non eſſe Deum, quod eſt contra S. Thomam 4. contra gentes aſſerentem, Spiritum Sanctum vt procedentem eſſe Deum, non minus, quàm Filium. Verba eius dedimus ſect. 2. num. 35. Videas tradita à nobis tam ibi, tum ſect. 3.

SECTIO IX.

Obiectiones contra noſtram ſententiã diſſipantur.

138 Obiicies primò. Ad generationẽ viuentiũ ſufficit, terminũ productũ habere eandẽ na turam cum prin- At Spiritus S. ex vi proceſſionis habet eamdem naturam cum principio: ergo illius proceſſio erit generatio. Minor certa eſt in ſententia noſtra ex vi formalis, & realis proceſſionis communicante naturam diuinam Spiritu S. quia non ſolum realiter, ſed etiam formaliter ſit Deus, & Perſona. Maior ergo pro-

 batur

batur, quia eo præcisè quod in viuentibus terminus productus communicet in eadem natura cum principio, illius processio est, origo viuentis à viuente coniuncto in similitudinem naturæ: ergo ad generationem viuentium sufficit terminum productum habere eandem naturam cum principio. Antecedens probatur, quia in creatis processio viuentis, eo præcisè est origo in similitudinem naturæ, quod processione sua accipiat naturam producentis, vel saltem his annexa est origo in similitudinem naturæ: ergo.

l generationem viuentium, in creatis non sat est terminum communicare in eadem natura cum principio.

139 Respondeo negans maiorem. Ad probationem, nego antecedens. Ad cuius probationem negandum est similiter antecedens. Ad generationem enim viuentium, etiam in creatis, non sat est, terminum productum communicare vt cumque in eadem natura cum principio; sed vlterius opus est, illam accipere modo speciali generationi destinato, vt expendebamus sect. præcedente num. 125. In diuinis autem modus accipiendi naturam generationi destinatus, est, accipere illam per intellectionem potius, quam volitionem; quia iste est modus assimilandi terminum principio in eadem natura, scilicet intellectuali, qualis est Diuina; nam intellectio, quæ est ratio formalis communicandi respectu Filij, est eiusdem generis intelligentis cum natura diuina, quæ tamen intellectio nec formaliter, nec realiter est ratio formalis communicandi respectu Spiritus sancti, ideoque illius processio, non est in similitudinem naturæ: & consequenter neque generatio.

Obiectio sumpta ex generatione creata.

140 Obiicies secundo. In creatis ad rationem generationis & Filij, opus non est, quod terminus productus, ex vi communicationis, euadat similis in natura principio: ergo neque id necessarium erit in diuinis: ergo processio Spiritus sancti non deficiet à ratione generationis, eo quod ex vi communicationis, non euadat similis natura principio. Antecedens probatur. Quia communicatio in creatis est vnio formæ cum subiecto: vnio autem non est eiusdem generis cum natura generantis, hæc enim vel sensitiua est, vel intellectiua, quorum neutrum competit vnioni, ex vi autem communicationis, quæ non sit eiusdem generis cum natura generantis, non potest

potest terminus productus euadere similis in natura suo principio, aliter Spiritus sanctus ex vi communicationis diuersi generis à natura, diuina, scilicet volitionis, posset euadere similis in natura, quod est contra nos: ergo in creatis ad rationem generationis, opus non est, quod terminus productus ex vi communicationis euadat similis in natura principio.

141 Hoc argumentum soluendum est ab omnibus. Etenim in creatis ad rationem Filij, & generationis, opus non est, quod sit Verbum, nec quod illi ex vi processionis communicetur intellectio, nec quod euadat fœcundus ad communicandam alteri naturam per volitionem, neque quod clarius explicet suum principium, vt intelligens potius, quam volens, siue intellectionem potius, quam volitionem; idemque facile erit discurrere in aliis sententiis: ergo neque id opus erit in diuinis. Fateri ergo tenentur omnes, argumentationem à creatis generationibus ad diuinam solidam non esse. Soluenda ab omnibus.

142 Respondeo igitur concesso antecedente, negans consequentiam. Disparitas sumenda est ex multiplici capite. *Primum*, quia communicatio creata non est eiusdem generis cum natura generantis, vt bene probat obiectio; vnde terminus productus ex vi illius euadere non potest similis in natura principio: communicatio autem diuina propria intellectionis est eiusdem generis intelligentis cum natura diuina; ideoque ex vi illius terminus productus euadere potest similis in natura principio. *Secundum*, quia generationes creatæ sunt pure physicæ, & non per actus intelligendi, & volendi: processiones autem diuinæ sunt per actus intelligendi, & volendi, vnde processio vnius in similitudinem naturæ referenda est in modum, quo naturam accipit, scilicet media intellectione, quam volitione. *Tertium*, quia in creatis terminus genitus non est Verbum; bene vero in diuinis: de ratione autem Verbi est immediate, & intrinsece soli intellectioni coniungi, & mediate volitioni, quando hæc identificatur intellectioni: vt contingit in diuinis; atque adeò de ratione Verbi est exigere intellectionem tanquam rationem formalem communicandi, siue coniungendi volitionem. Cum autem in diuinis eadem omnino sit ratio Filij, & Verbi iuxta Augustinum; inde est, Filium constitui Disparitas multiplex inter generationem diuinam, & creatam.

exigentia intellectionis tanquam rationis formalis communicandi, & inde euadere similem in natura suo principio ex vi communicationis. *Quartum*, quia in creatis communicatio, siue vnio formæ cum subiecto est accidentaliter, & contingenter cuniuncta generationi, consistere enim potest absq; actione generatiua, vt mihi dubium non est; idcircò terminus productus ex vi communicationis, siue vnionis euadere non potest similis in natura principio. Communicatio autem intellectionis non est accidentaliter, & contingenter coniuncta generationi, sed intrinsecè, essẽtialiter, & immediate; vnde terminus productus ex vi illius euadere potest similis in natura suo principio.

Obiectio sumpta ex identitate reali volitionis.

143 Obiicies tertiò. Processio Spiritus S. est per volitionẽ, tanquam rationem formalem communicandi: volitio autem saltẽ realiter est eiusdẽ generis intelligentis cum natura diuina: ergo processio Spiritus erit per communicationem, eiusdem generis, saltem realiter, cum natura diuina: ergo erit realiter generatio. Maior nostra est. Minor autem certa, nam volitio est realiter intellectio, & ipsa natura diuina, cum ab illis realiter non distinguatur. Prior consequentia videtur clara, nam processio Spiritus sancti est per communicationem, quæ est formaliter volitio; atque adeò per communicationem, quæ realiter est idem, quod est volitio: volitio autem est realiter intellectio, & natura diuina: ergo & communicatio erit realiter intellectio, & natura diuina, & consequenter generis intelligentis. Vltima igitur consequentia probatur, ideò per nos processio secundæ Personæ est generatio, quia illius communinatio est eiusdem generis intelligentis cum natura diuina, processio autem Spiritus S. est per comunicationẽ eiusdem generis intelligentis cum natura diuina saltem realiter, ergo saltẽ realiter erit generatio.

144 Confirmatur. Ideò ex sententia asserente: eo secundam Personã esse Filium non verò tertiam, quia secundæ ex vi processionis communicatur inllectio, non vero tertiæ, sequitur tertiam Personam esse realiter genitum, & Filium, quia licet illi non communicetur formaliter, seu ex vi processionis intellectio, communicatur tamen realiter, vt nos agentes contra P. Soarium, & Arriagam vrgebamus sect. 2. in nostra autem sententia tertia Persona procedit per communicationem, quæ realiter

liter est eiusdem generis intelligentis cum natura diuina, etiamsi non sit formaliter: ergo etiamsi non sit formaliter generatio, erit tamen realiter: par enim videtur vtriusque ratio.

145 Respondeo me non dicere, ideo processionem secundæ Personæ esse generationem, & non tertiæ, quia illius communicatio est eiusdem generis intelligentis cum natura diuina: sed quia sola intellectio, quæ formaliter est eiusdem generis intelligentis cum natura diuina, est communicatio, seu ratio formalis communicandi respectu illius, ita vt respectu tertiæ Personæ, neque realiter, neque formaliter talis sit; cum sola volitio realiter, & formaliter, sit illius communicatio. Vnde in nostra sententia non sequitur processionem Spiritus S. esse realiter generationem, quia neque realiter neque formaliter exigit intellectionem, tanquam rationem formalem communicandi respectu ipsius, cùm realiter talis non sit. Obiectionis solutio & nostræ sententiæ vberior explicatio.

146 Sed instabis. Licet sola volitio sit ratio formalis communicandi respectu Spiritus sancti, & formaliter non sit eiusdem generis intelligentis cum natura diuina, est tamen realiter, cum realiter sit intellectio, & natura diuina: ergo processio Spiritus sancti, etiamsi formaliter non sit generatio, erit tamen realiter. *Respondeo* negans consequentiam. Nam processio secundæ Personæ non ideò est formaliter, & realiter generatio, quia exigit communicationem, quæ realiter sit idem cum genere intelligentis, sed quia exigit intellectionem solam; quæ eiusdem generis est cum natura diuina, tanquam rationem formalem communicandi. Quod neque formaliter, neque realiter competit tertiæ Personæ, exigenti solam volitionem, tanquam rationem formalem communicandi. Qua autem ratione sola intellectio sit communicatio respectu Filij, & sola volitio respectu Spiritus sancti, non solum formaliter, sed etiam realiter: cum tamen intelectio, & volitio sint realiter idem, explicatum à nobis est disputatione 7. sectione 2.

147 Obiicies quartò. Si sola intellectio esset realiter communicatio respectu Filij, ex vi processionis, sola posset illi communicari

communicari essentia; non verò volitio; id falsum est, maxime in sententia nostra, in qua intellectio est ratio formalis cõmunicandi, non solum essentiam, sed etiam volitionem cum cæteris attributis absolutis, ergo sola intellectio non est communicatio respectu Filij, & consequenter illius processio, non ideò erit generatio, quia exigit solam intellectionem tanquam rationem formalem communicandi. Maior probatur, quia volitio est posterior intellectione, intellectio autem non potest esse ratio formalis communicandi rem seipsa posteriorem, ergo neque potest esse ratio formalis communicandi volitionem. Minor ostenditur, quia res communicanda præcedere debet existens in principio ipsam communicationem, ergo intellectio, quæ sola est communicatio respectu Filij non potest esse ratio formalis communicandi rem se ipsâ posteriorem, talis autem est volitio: ergo.

Qualiter volitio, posterior possit per intellectioné priorem communicari Filio.

148 Respondeo negans maiorem. Ad eius probationem distinguenda est maior, volitio est posterior, à quo intellectione, concedo, est posterior in quo, nego. Et distinguo minorem, intellectio non potest esse ratio formalis communicandi rem se ipsa posteriorem in quo, concedo, rem seipsa posteriorem tantum à quo, nego. Et nego consequentiam. Vnde patet falsam esse probationem. Etenim opus non est, quod res communicanda præcedat existens in principio ipsam communicationem, sed satis est, quod sit simul in quo cum illa, etiamsi sit posterior à quo. Nam effectus communicationis solam desiderat simultaneam existentiam rei communicandæ, & ipsius communicationis, quæ non impeditur posterioritate à quo termini communicandi, sicut simultanea existentia Patris, & Filij non impeditur posterioritate à quo Filij.

149 Sed instabis. Res per intellectionem communicanda Filio præcedere debet prioritate à quo productionem eiusdem Filij ergo & eiusdem communicationem. Patet consequentia, quia nulla est maior ratio vnius, quam alterius. Hæc tamen instantia nostram sententiam non infringit, sed firmat, nam res producenda præcedere non debet prioritate à quo ipsam productionem, ergo neque res communicanda ipsam communicationem.

150 Respondeo

150 Respondeo igitur concesso antecedente, negans consequentiam. Disparitas est. Quia terminus producendus accipere debet à suo principio perfectionem communicandam, ideoque ista præcedere debet, complens principium, ipsius productionem, nemo enim dat, quod non habet: ea autem, quæ complent principium prioritate à quo dicuntur præcedere, terminum producendum, eiusque productionem. Terminus autem communicandus non accipit à principio communicationem, nec communicatio terminum, vnde vnam alteram præcedere ex hoc capite opus non est, nisi ex aliis principiis prioritas vnius, & posterioritas alterius inferatur. De ratione enim communicationis tantum est, esse id, quo perfectio Personalitati productæ coniungitur, seu communicatur. Perfectio per intellectionem cōmunicanda Filio prior esse non debet communicatione.

151 Obiicies vltimo, nostram sententiam non explicare, cur modus procedendi per intellectionem, potius quam volitionem, sit diuinæ generationi destinatus, cum tamen in creatis talis modus minime reperiatur, & sola sufficiens sit communicatio naturæ: ergo cum Spiritui S. communicetur natura diuina, quamuis id per volitionem contingat, eius processio generatio erit. *Confirmatur* nam similitudo intentionalis sufficiens non est generationi, & constabit disp. sequenti, sed vlterius necessaria est similitudo physica, & naturalis: intellectio autem diuina, etiam si posset esse similitudo intentionalis, non tamen physica, & naturalis, vt patet in intellectione creata: ergo.

152 Respondeo satis à nobis explicatum esse, cur modus procedendi per intellectionem potius quam volitionem sit diuinæ generationi destinatus, quia videlicet intellectio est ratio formalis communicandi eiusdem generis formaliter cum natura diuina, scilicet intelligentis, in quod à Patribus tota vis generatiua refertur in diuinis, vt notissimum, & euidentissimum est. Quod autem modus ille in creatis minime reperiatur quid inde, cum in creatis generationes sint puræ physicæ, & non per actus intentionales; qualem esse diuinam, negari non potest, cum sit productio Verbi, & inde post solam intellectionem procedentis. Nec in creatis sufficit ad generationem habere eandem naturam principij, nisi illa habeatur modo generationi destinato, qualis est in creatis sanguis aut semen. Modus procedendi per intellectionem diuinæ generationi destinatus. Modus accipiendi naturam attendedus etiam

in geratione creata. Vnde tam nutritio, quam vermium Conceptio, & Resurrectio deficiunt à ratione generationis. Vnde etiam pullus filius non est gallinæ fouentis, sed emittentis ouum, quia sola hæc semen exhibet generationi destinatum. Vnde denique productio Euæ ex Adami costa generatio non fuit, nec fuisset, etiam si Adamus ad eam Euæ productionem eleuatus fuisset: Attendendus ergo est modus accipiendi naturam generationi destinatus, tam in generatione creata, quam diuina in quo vtraque conuenit, in eumque, discrimen vtriusque personæ procedentis referendum.

Processio per intellectionem similitudo est, non solũ intentionalis sed etiam physica.

153 Ad confirmationem concedimus libenter, similitudinem pure intentionalem sufficientem non esse generationi, & necessariam esse physicam, & naturalem, negamus tamen processionem diuinam per intellectionem, tanquam rationem formalem communicandi, non esse similitudinem physicam, & naturalem: est enim physica, & naturalis coniunctio immediata naturæ diuinæ, vt ostendimus disputatione 7. sect. 1. eiusdemque generis cum illa, & inde ad similitudinem physicam, & naturalem, personæ per illam procedentis, sufficiens.

DISPVT.

DISPVTATIO X.

Cætera discrimina pro generatione Verbi reiecta.

1 IMMENSVM esset singulares omnium cogitationes expendere, vix enim est in puncto fœcunditatis diuinæ generationis, qui se sterilem fateatur, adoptans sibi conceptum alienum. Quisque tentat proprium mutare fœtum, cæterisque præferre: Vnde natum est ingeniorum ciuile bellum, in quo plurium expensi labores, vel penitus occubuere; vel ita fracti sunt, vt, resumendis iterum ad victoriam armis, non sit spes. His omissis, cæteras, quibus adhuc rigor est, sententias, breuiter hac Disputatione librabimus.

SECTIO I.

Sententia aliquorum Thomistarum.

2 CAietanus, Capreolus, Ferrariensis, Aliique Thomistæ docent, ideò processionem secundæ pesonæ, potiusquam tertiæ, esse generationem, eiusque terminum Filium, quia est per intellectum, cui ex natura sua, & modo operandi insitum est assimilare sibi obiectum: cumque intellectus diuinus sit infinite perfectus, producit simililudinem non solum intentionalem, sed etiam naturalem diuinæ essentiæ, cuius est repræsentatio. Et inde secunda Persona procedit similis in natura Patri: eiusque processio generatio est. Tertia Sententia aliquorum Thomistarum.

Gg 2 verò

verò persona procedit per voluntatem, cui insitum non est producere similitudinem obiecti, sed impulsum in illud, ideoque non euadit similis in natura, nec eius processio est generatio.

S. Thomas in fauorem Thomistarum productus.

3 Hæc sententia videtur expressa S. Thomæ. 4. contra gentes cap. 11. & hic q. 27. art. 4. in corpore, vbi disputans, vtrum processio amoris in diuinis sit generatio, ita loquitur. *Respondeo dicendum, quod processio amoris in diuinis, non debet dici generatio, Ad cuius euidentiam sciendum est, quod hæc est differentia inter intellectum, & voluntatem, quod intellectus fit in actu per hoc, quod res intellecta est in intellectu secundum suam similitudinem; Voluntas autem fit in actu, non per hoc, quod aliqua similitudo voliti sit in volantate, sed ex hoc, quod voluntas habeat quandam inclinationem in rem volitam. Processio igitur quæ attenditur secundum rationem intellectus, est secundum rationem similitudinis, & in tantum potest habere rationem generationis, quia omne generans generat sibi simile. Processio vero quæ attenditur secundum rationem voluntatis, non consideratur secundum rationem similitudinis, sed magis secundum rationem impellentis, & mouentis in aliquid. Et ideo quod procedit in diuinis per modum amoris non procedit vt genitus, vel vt Filius, sed magis procedit vt Spiritus.*

Communes Doctorum incursiones cōtra Thomistas.

4 Hæc opinio multis inuisa semper fuit. Primò, quia similitudinem intentionalem cum physica, & naturali confundit, in eamque refert similitudinem generationi destinatam; cum tamen non illa sed tantum similitudo physica, & naturalis necessaria sit, & generationi sufficiens, vt patet in generationibus creatis, in quibus nulla interiecta similitudine intentionali, stat similitudo physica, & naturalis, & ratione illius generatio: ergo ad generationem diuinam, seorsim à similitudine intentionali, assignanda est naturalis, ratione cuius processio secundæ personæ, potius quam tertiæ, sit in similitudinem naturæ, prout generationi requisitam.

5 Secundò quia cognitio non est simpliciter, & absolute similitudo, sed secundum quid, & cum addito diminuente, videlicet *intentionalis*, ac proinde non vere ac propriè; sed metaphorice, & impropriè, sumpta metaphora ab imagine naturali,

&

& artificiali, quæ ſunt imagines propriæ, veræ, ac reales, nam ſicut iſtæ obiectiue nos ducunt in cognitionem obiecti, per ipſas obiectiue repræſentati; Sic etiam Verbum, ſeu quod idem eſt, cognitio nos formaliter ducit in cognitionem obiecti, per ipſam formaliter repræſentati: ergo ſimilitudo ſumpta ab intellectu, & cognitione, vera, & propria non eſt, & conſequenter nec generationi ſufficiens.

6 Tertiò, quia non eſt magis ſimilis cognitio obiecto cognito, quam amor obiecto amato, nam ſimilitudo cognitionis cum obiecto, ſtat inconuenientia cum illo, & minor non eſt conuenientia amoris cum obiecto, quam cognitionis cum obiecto cognito: ergo perſona procedens per voluntatem, & amorem, non minus erit ſimilis obiecto volito, quam procedens per intellectum, & intellectionem, ſimilis eſt obiecto cognito, atque adeò non minus procedit ſimilis in natura, Spiritus ſanctus, quam Verbum: Vnde vtraque proceſſio generatio eſſet. Et diſcrimen non ſtaret in ſimilitudine vnius, & non ſimilitudine alterius, ſed in ſimilitudine generis intellectiui vnius, & volitiui alterius, ergo vtraque proceſſio eſſet in ſimilitudinem naturæ, & vtraque generatio, vna generis intellectiui, volitiui altera.

7 Quartò quia opinio illa non ſtatuit ſimilitudinem in modo accipiendi naturam per proceſſionem à principio, ſed in repræſentatione illius, tanquam obiecti, id autem, ſine primo, inſufficiens eſt, & prorſus ad generationem impertinens, in qua præcipuè attendenda eſt ſimilitudo in modo phyſice procedendi, ſiue accipiendi naturam à principio: ergo ſi phyſicè, & realiter vtraque Perſona, eodem modo proceſſionis, accipiat naturam à principio, vtraque erit in ſimilitudinem naturæ, & vtraque genita; quod enim vna præcedat repræſentando naturam, & amando altera, id impertinens omnino eſt, vt vna potius, & non altera genita ſit, & Filius. Hæc ſunt iacula in eam Thomiſtarum opinionem communiter vibrata,

8 Quid autem de ea opinione ſentiam, ingenuè fatebor Si enim illa totum diſcrimen vtriuſque proceſſionis ad ſolam ſimilitudinem intentionalem deuoluat, vt Caietanus, & alij Thomiſtæ

Iudicium circa ſententiam eorum Thomiſtarum.

Thomistæ non leuiter innuunt, iudico sufficientem non esse, & communes incursiones in illam validissimas. Sanctum vero Thomam in eo sensu loquutum, nunquam crediderim. Nam cognitio diuina non solum est repræsentatio naturæ diuinæ, & intentionalis similitudo illius tanquam obiecti, in quo conuenit cum cognitione creata respectu sui obiecti, sed etiam physica, & realis communicatio naturæ diuinæ cum Persona Verbi, & ratione illius similitudo naturalis, cum sit communicatio, & coniunctio physica eiusdem generis intelligentis cum natura diuina. Quod si Sanctus Thomas in hoc sensu, quod crediderim: similitudinem vsurpauit, non est, cur ab eo tantillum recedamus, cum ea similitudinis intelligentia sententia nostra sit, tradita tota disp. 7. & disp. 10. sect. 8. Nec refert Sanctum Thomam eam communicationem, & similitudinem physicam non explicauisse. Tum quia cum hæc in Diuinis intentionali coniuncta sit, facile est vnam ex altera colligere. Tum etiam quia similitudo in natura, quam inquirebat, Sanctus Doctor, satis denotat naturalem.

SECTIO II.

Sententia Patris Vasquez

Sententia P. Vazquez.

9 PAter Vasquez disp. 13. cap. 7. sequutus Cannariensem Episcopum, docet, processionem secundæ personæ ideo esse generationem, potius quam tertiæ, quia etiam si vtraque processio sit in similitudinem naturæ; non tamen vtraque pesona procedit, vt imago expressa ad repræsentandum suum principium; nam id proprium est secundæ Personæ, vt pote procedentis per intellectum, vt Verbum mentis, & consequenter ad representandum suum principium quatenus illud principium est, obiectum ex cuius cognitione procedit.

10 Hanc tamen sententiam impugnat P. Zuniga quæst. 27. disp. 2. dub. 20. memb. 5. Nam ratio imaginis expressæ producta ad

repræsentandum suum principium, nec sufficiens est ad constituendum Verbum, in esse Filij, vt patet in Verbo creato, quod est imago expressa producta ad repræsentandum suum principium, absque vlla ratione Filij. Nec sufficiens ad excludendum Spiritum sanctum à ratione Filij. Nam ratio, cuius defectu Spiritus sanctus non est Filius, debet esse de ratione Filij; si enim non esset de ratione Filij, nec est, cur defectu illius Spiritus non sit Filius; imago autem intentionalis expressa producta ad repræsentandum suum principium non est de ratione Filij, cum in creatis stet Filius nullatenus illa constitutus: ergo sufficies non est vt defectu illius, Spiritus non sit Filius.

11 Hæc tamen ratio, quam P. Zuniga fusè prosequitur contra Vasquium, facile in fœcunditatem ad Spirandum, qua Filium ipse constituit, conuerti potest. Nam ratio, cuius defectu, Sipiritus non est Filius debet esset de ratione Filij; fœcunditas autem ad spirandum non est de ratione Filij, cum increatis stet Filius nullatenus ea fœcunditate constitutus: ergo sufficiens non est vt defectu illius Spiritus non sit Filius. Quod si dicas fæcunditatem ad spirandum non esse de conceptu Filij vt sic, sed tantum fœcunditas ad communicandam alteri naturam; nam fœcunditas ad spirandum, quid proprium est Filij diuini. Similiter responderi posset tuo argumento; imaginem scilicet expressam, ad repræsentandum suum principium per modum Verbi, non esse de conceptu Filij vt sic, sed sola imago expressa naturalis ad repræsentandum suum principium, nam id præstari per modũ Verbi propriũ est Filij diuini. *Vasquium P. Zuniga consequenter non impugnat.*

12 Melius Vasquium communi fundamento agreditur P.Arriaga disp.47.sect.3.à num.15. Nam etiam Spiritus sanctus est, imago Patris: ergo & Filius. Antecedens probatur, quia Filius in creatis ideò est imago Patris, non quia sit Verbum sui Parentis, nec quia procedat per intellectum, sed quia habet naturam similem parenti, à quo productus est; hoc autem habet Spiritus sanctus, vt fatetur Pater Vasquez, ergo. Quod si dicas Spiritum sanctum habere quidem eandem naturam; non tamen communicatàm ad repræsentandum Patrem, ideóque Filium non esse. Instat P. Arriaga euidenter, *Momenta P.Arriagæ contra sententiã Vasquez.*

vt

vt ipse ait. Primò, nam in creatis eo ipso quod generans det similem naturam, dat illam ad repræsentandum suum principium, aliter non staret Filius, vt patet in equo generante equum, vbi nulla est intentio de repæsentatione, nulla processio per cognitionem: ergo præcise quod det similem naturam, dat illam ad repræsentandum. Pater autem dat eandem suam naturam Spiritui sancto: ergo dat illam ad repræsentandum.

Pater creatis non est imago Filij quamuis illū repræsentet.

14 Confirmat ex ipso Vasquez, qui expresse num. 44. concedit, & meritò, Patrem in creatis repræsentare Filium, eo quod habeat similem naturam, solumque illi deesse, vt sit imago Filij, esse productum à Filio. Ergo etiam Pater æternus, cum habeat eandem naturam cum Filio suo, repræsentabit illum, licet imago non sit, eo quod ab ipso non procedat: ergo cum Spiritus sanctus habeat eandem naturam cum Patre & aliunde sit à Patre productus, repræsentabit illum vt imago. Maxime cum processio Spiritus sit in similitudinem naturæ, vt fatetur P. Vasquez, vltra quam sola productio desiderari poterat ad rationem imaginis, vt patet in generationibus creatis.

15 Secundo quia Filius diuinus nullam habet specialem repræsentationem respectu Patris, quam non habet Spiritus sanctus, cum Verbum secundum propriam relationem non sit formalis cognitio Patris; instrumentaliter autem, hoc est tanquam medium cognitum, non minus relatio Spiritus sancti potest ducere in cognitionem Patris, quam relatio Filij. Aliam similitudinem physicam non habet Filiatio maiorem, quam Spiratio passiua: ergo.

16 Tertio, & principaliter, quia, vt ait P. Vasquez, nulla particula addenda est definitioni generationis in communi, censet enim satis per illam declarari ea omnia, quæ ad veram generationem, & rationem Filij necessaria sunt Nunc sic, in definitione generationis viuentium non dicitur, quod debeat Filius esse imago, sed præcisè requiritur, quod sit in similitudinem naturæ, id autem totum num. 40. expresse conceditur à P. Vasquio Spiritui sancto: ergo Spiritus sanctus erit propriè Filius stando communi definitioni, quod dici non potest.

Triplex natura simili.

Hæc tamen momenta non ita mihi videntur efficacia, vt facilem

cilem solutionem patiantur. Quod vt facilius intelligatur triplex naturæ similitudo distinguenda est. *Prima*.est conuenientia plurium in eadem spacie, vel numero natura & hoc pacto omnes Diuinæ personæ sunt inter se similes, quia omnes in eadem natura Diuina conueniunt. *Secunda* est, conconuenientia in eadem natura accepta à principio suo. Quo pacto tam Filius,quam Spiritus sanctus sunt in similitudinem naturæ quia vtrique communicatur à suo principio natura Diuina. Vtraque autem hæc similitudo non est illa quam definitio generationis exprimit, quamque exigit imago naturalis Filij. Nam stare potest conuenientia in eadem natura accepta à suo principio absque imagine naturali Filij. Nam casu, quo Deus eleuasset Adamum ad Euam ex costa sua producendam, tunc Eua haberet naturam acceptam ab Adamo, tanquam à suo principio, non tamen illam haberet modo sufficienti ad generationem,& imaginem naturalem Filij.

tudo distinguenda

18. *Tertia* est, conuenientia in natura accepta à suo principio, modo generationi destinato, quale est semen in creatis, & sola intellectio in diuinis: quia tota vis generatiua refertur à Patribus solum intellectum intellectione fœcundum, vt nulli dubium esse potest. Sicut ergo in creatis, procedens ab alio medio semine, oritur imago naturalis producta ad repræsentandum suum principium, ita in diuinis procedens eb alio media intellectione oritur imago naturalis producta ad repræsentandum suum principium; cumque secunda tantum Persona oriatur hoc pacto, & nullo modo tertia, secunda tantum,& non tertia, euadet imago naturalis producta ad repræsentandum suum principium.

19. Hinc facillima est præcedentium argumentorum solutio. Nam etiam, si Spiritus sanctus eandem habeat naturam Diuinam cum Patre, & inde sit illi similis in natura accepta, non tamen est illi similis in natura accepta modo generationi destinato, quia illam non accipit per intellectionem, sed per volitionem; Vnde neque euadit similitudo naturalis producta ad repræsentandum suum principium. Sicut in creatis ille solus euadit imago naturalis alterius, non qui præcise accipit naturam ab illo, sed qui illam accipit medio semine generationi

Facilis via ad soluenda argumenta contra P. Vasquium.

tioni destinato, idcirco tam nutritio, quam vermium conceptio deficiunt à ratione generationis, imò, & resurrectio vnius hominis ab altero ad eam causandam diuinitus eleuato. Inde pullus Filius non est gallinæ fouentis, sed emittentis ouum, quia ab ista tantum procedit medio semine generationi destinato.

Vnde displiceat sententia P. Vasquij.

20. Tota ergo difficultas quæ explicationem desiderare posset in sententia Vasquij, ea erit. Cur scilicet, acceptio naturæ per intellectionem, sit modus Diuinæ generationi destinatus, potius quam acceptio eiusdem per volitionem, quod non explicat sententia illa, & ideo reiicienda. Nam similitudo intentionalis insufficiens est generationi, vt constat ex dictis, similitudo autem physica, & naturalis in modo procedendi non competit intellectioni, eo quod sit principium productiuum, vt statutum est disp.6. sect.1. Nisi fiat ergo recursus ad rationem formalem communicandi eiusdem generis intelligentis cum natura Dinina, vt nos tradidimus disp.7. sect.3. non apparet, vnde intellectio potius quam volitio, sit acceptio naturæ generationi Destinata: ergo nisi fiat recursus ad nostram sententiam, explicatio Vasquij sufficiens non est.

SECTIO III.

Cætera discrimina inter vtramque processionem.

Sententia P. Martini Perez.

21. PAter Martinus Perez disp.4. sect.6. ideo docet processionem secundæ personæ esse generationem, non vero tertiæ, quia secunda Persona procedit per intellectionem: tertia vero per amorem, ductus doctrina illa Thomistarum imaginis, & impulsus.

22. Displicet tamen *primo*, quia in sententia huius autoris, volitio, quæ ex vi processionis Spiritui sancto communicatur, est partialis natura, & essentia Diuina: ergo processio Spiritus sancti erit in similitudinem naturæ inadequate: idque sufficere ad generatienem clarum est, quia secunda Persona sola est

est per essentiam inadæquatam scilicet intellectionem, idque sufficit in sententia huius authoris vt illius processio generatio sit: ergo. *Secundo* quia procedere per intellectionem nihil aliud est in hac sententia, quam relationi productæ ex vi processionis coniungi, siue communicari formaliter intellectionem: ita autem coniungitur, & communicatur formaliter ex vi processionis relationi productæ Spiritus sancti, vt fatetur ipse author. disp. 4. sect. 2. num 8. ergo processio Spiritus sancti erit formaliter per intellectionem, & consequenter generatio. Tertiò quia, imago intentionalis sufficiens non est generationi, vt contra Thomistas expendimus sect. prima, sed vlterius physica, & naturali opus est, quam non explicat ille author.

23 Quidam Recentiores existimant processionem secundæ Personæ esse generationem; non verò tertiæ, quia illa est à natura diuina, vt à prima radice ab intrinseco, non verò ista, cum supponat aliam personam procedentem scilicet secundam. Docet Recētioris singularis sententia.

24 Displicet hic discursus. Primò quia explicandum illi restat, cur natura diuina sit virtus generatiua, vt prima radix, non verò vt secunda, etenim vel secundo genito communicatur natura, vt prima radix, vel non? Si primum: ergo sicut secundo genito, etiam si supponat primo genitum, communicatur natura vt prima radix; ita secundo procedenti, scilicet Spiritui sancto, etiam si supponat primo procedentem, & communicabitur natura vt prima radix. Si secundum; ergo ad rationem Filij opus non est communicatio naturæ, vt primæ radicis, aliter secundo genitus in creatis Filius non esset. Vnde displiceat sententia illa.

25 Secundo, quia vel procedere à natura tamquam à radice prima, est procedere à prima radice, quæ ex in producente, & aliam non supponat; & id falsum est; nam radix generatiua in creatis non est omnium prima, cum supponat aliam priorem radicem, scilicet intelligendi. Vel est primo oriri à radice generatiua, & non secundo, & id etiam falsum est; nam secundo genitus in creatis, Filius est quamuis non primo, ad secundo oriatur à radice generatiua: ergo. *Tertio*; quia licet

natura Diuina sit in Patre respectu Filij prima radix; in Filio tamen respectu Spiritus sancti, non est prima, sed secunda radix ergo Filius non asimilabitur Patri in conceptu primæ radicis; ergo impertinens erit conceptus primæ radicis ad generationem, quæ assimilationem exigit in natura cum generante.

Fundamentum à definitione naturæ desumptum, leuissimum.

26. Quartò, quia fundamentum aduersariorum sumptum ex Aristotele naturam explicante: Principium motus & quietis, eius in quo est primo, & cætera: vnde inferunt naturam debere esse primam radicem, pugnat contra ipsos: Etenim ibi Philosophus naturam explicat in ordine ad omnem operationem immanentem, siue prima sit, siue secunda, aut centesima: at processio Spiritus S. est immanens: ergo, & natura vt natura est. Patet consequentia quia ad mentem Philosophi non excluditur à ratione naturæ secunda operatio. Confirmatur, ibi explicatur natura à Philosopho, vt principium operationum immanentium, qualis non est generatio creata: ergo explicatio naturæ ibi tradita ad rem non est pro generatione viuentium: ergo seorsim ab ea explicatione naturæ, explicandum est, cur secunda Persona, potius quam tertia, Filius sit, eiusque processio generatio.

28 Alij Recentiores ex August. lib. 15. de Trinitate cap. 26. ideo censent secundam Personam esse Filium, quia procedit ab vno, scilicet, Patre, at Spiritus sanctus procedit à Duobus, Patre, scilicet & Filio, ideoque non esse Filium, quia vt Filius sit, qui procedit à duobus debet esse ab vno tanquam à Patre, & ab alio tanquam à matre, quod longissime à Mysterio Trinitatis positum est.

Sententia aliorum Recentium.

28. Hoc tamen discrimen iure optimo repudiatur ab omnibus. Primo, quia si attente introspiciatur, solam fidem pro ratione dat quod ad præsens institutum non est: reddenda ergo est ratio, cur procedens ab vno sit Filius, potius quam procedens à duobus. *Secundo* quia, licet Spiritus sanctus à Patre, & Filio procedat, non tamen procedit ab illis tanquam à duobus sed tanquam ab vno spiratore: cur ergo Filij non erit? *Tertio* quia, si ex creatis inferendus esset in Diuinis conceptus Filij, Verbum non esset Filius, etenim in creatis, quod procedit ab

vno, qui sit Pater, Filius non est, quamuis procedens ab vna quæ sit mater Filius sit, nempe Christus: Verbum autem procedit ab vno qui sit Pater ergo Filius non erit.

29. Quarto in creatis commixtione seminum, non implicat generatio à duobus, qui sint Pater, & Filius: ergo processio Spiritus sancti non ideo deficiet à ratione generationis, quia sit à duobus, qui sint Pater & Filius. Denique processionem aliquam esse generationem, vel non esse, non oritur ex eo quod sit ab vno, vel pluribus, sed ex eo quod sit origo viuentis à viuente coniuncto in eadem natura; cur ergo processio Spiritus sancti, cum sit origo viuentis à viuente coniuncto in eadem natura, generatio non erit?

30 Vltimum discrimen esse posset, ideo processionem tertiæ Personæ generationem non esse, quia nec est à principio viuente, nec personali, nam relatio Spiratoris personalitas non est: bene vero Paternitas, à qua tanquam à Principio personali oritur secunda Persona, & ideo genita est, & Filius insuper spirator, à quo procedit Spiritus sanctus, viuens formaliter non est, cum non sit intelligens, aut volens, sed amor tantum subsistens; Pater autem, à quo secunda Persona procedit, est formaliter viuens, cum sit formaliter intelligens, & volens. Inde processio secundæ Personæ est generatio; non vero tertiæ, quia illa est à principio viuente, non vero ista. Vltimum discrimen diuinæ generationis ab Spiritus processione.

31. Hoc tamen dicrimen, qua parte exigit ad generationem principium subsistentia personali completum, non placet. Tum quia subsistentia Personalis in relationibus necessaria tantum est simpliciter ad constituendam personam, non ad operationes exercendas. Etenim si Diuinitus humanitas Petri subsisteret subsistentia Leonis, potens esset ad suas operationes exercendas: ergo etiam ad generandum; cum non minus ad istam, quam ad istas virtus productiua vltimo completa requiratur. Tum etiam quia ad rationẽ Filij opus nõ est principium personalitate completũ, vt patet in brutis. Tum denique quia principium in definitione generationis traditum præscindit ab omni principio, cum sit quid omni generationi commune: ergo præscindit à principio, personalitate: Ad generationẽ principium Personalitate completum necessarium non est.

& puri subsistentia completo, quod quid commune est Spiratori, vtpote principio subsistenti: ergo.

Spirator est formaliter viuens.

32 Displicet etiam quia parte docet, Spiratorem non esse formaliter viuentem. Tum quia indiuiduum Spiratoris est concretum substantiuum Patri, Filioque commune, non minus quam concretum Dei commune est omnibus Personis. Et mea opinione concretum Spiratoris constituitur natura diuina, tanquam termino, communicando, amore, tanquam ratione formali communicandi, & relatione Spiratoris, tanquam virtute productiua. Vnde non minus est formaliter viuens, quam Pater. Tum etiam quia, etiam si indiuiduum, non natura diuina, sed amore tantum mutuo, iste est, saltem materialiter, viuens, cum sit realiter Deus, idemque est de ipso Spiratore; processio Spiritus sancti saltem materialiter erit à principio viuente, & consequenter generatio. Id enim ad generationem sufficere in creatis, negari non potest, at statim ostendo. Tum præterea quia, nullus Theologorum hactenus dubitauit Spiritum sanctum esse à principio viuente, imò cum processio Spiritus sancti, sit vitalis, & immanens, hoc ipso principium est formaliter viuens: ergo. Tum denique, quia, potentia generatiua in creatis non est formaliter viuens, sed tantum materialiter ratione identitatis cum principio intelligendi, & volendi; Spirator autem etiam est materialiter viuens, cum identificetur naturæ diuinæ: ergo id sufficiens erit virtuti generandi, vel saltem illi non obstabit.

Indiuiduum Spiratoris est saltem materialiter viuens, hocque sufficit generationi.

Inconuenientia illius sententiæ recensita.

33 Confirmo, nam si spirator solo constitueretur amore subsistente, solum illum posset ex vi processionis communicare Spiritui sancto, vnde Spiritus ex vi processionis, neque esset Deus, neque Persona, nec intelligens, imò neque amans, sed amor tantum personalitate subsistens, quæ omnia absurdissima mihi sunt, vt contra P. Arriagam expendebamus supra: ergo Spirator non constituitur solo amore subsistente. Sequella probatur, quia Spirator tantum communicare potest Spiritui sancto ex vi processionis, id quod in se habet, quodque requisitum est ad productionem Spiritus: id autem solus sit amor, qui nec Deitas est, nec natura diuina, nec intellectio, aut voluntas: ergo Spiritus sanctus ex vi processionis, nec Deus esset, cum sine

sine Deitate non stet Deus: nec Persona, cum hæc sine natura non consistat; nec intelligens, cum sine intellectione nullum sit, nec amans, cum hoc sit coniunctum ex amore, & natura volitiua, seu voluntate.



DISPVTATIO XII.

De relationibus diuinis in communi.

1 EXPOSITIS diuinis processionibus, earumque principiis, & discrimine inter vtramque, cur vna potius quam altera generatio sit. Ad diuinarum relationum existentiam, numerum, qualitatem & distinctionem earum, tum inter se, tum ab essentia, proram vertit disputationum ordo. Quibus explicatis, planior, & facilior erit ad Personas in particulari descensus; vtpote relationibus constitutas, iuxta inferius dicenda.

SECTIO I.

An sint in Deo relationes reales ad intra.

2 PRimus in hoc puncto errauit Arius Epist. ad Alexandrum Alexandrinum apud Epiphanium hæresi 69. pag. 2. Qui ne concederet Filium coæternum Patri, quia correlata sunt simul, negauit relationes in diuinis. Secundus errauit Guillelmus Parisiensis tract. de Trinit. probatur ex professo tam in Deo, quam in creaturis, relationes non esse reales, sed entia rationis tantum. Alij denique, alioqui catholici, errauerunt putantes dabilem esse viam ad negandos omnes respectus tam *Errores circa diuinarũ relationum existentiam.*

tam in diuinis, quam in creatis, si dicatur, Personas diuinas non constitui proprietatibus relatiuis, sed absolutis.

Dantur in Deo relationes reales ad intra.

3 Asserendum ergo est Primo, dari in Deo relationes reales ad intra. Probatur primo ex Scriptura, diuinas Personas nominibus relatiuis exprimente, *Patris Filij, Verbi, vnigeniti, Spi-Spiritus Dei, Spiritus Filij, & Spiritus veritatis, qui à Patre procedit.* Vt constat Ioan. 1. 8. 15. 16. 17. & 1. Ioan. 5. Roman. 8. Galat. 4. In quibus omnibus nulla est improprietas, aut Metaphora, sed proprietas summa; cum prima Trinitatis Persona vere sit Pater, secunda Filius Verbum, & vnigenitus; tertia Spiritus à Patre Filioque procedens. Confirm. nam locutiones sacras, in materia doctrinali, licitum non est ad metaphoricos sensus detorquere, maxime, quando constanter vniformes sunt, vt contingit in eis Personarum nominibus, aliter nihil certum ex Scripturis constare posset: ergo.

Secunda probatio ex Conciliis. Toletano. vormacienfi, & Florentino.

4 Secundo probatur ex Conciliis. Nam Toletanum XI. tacita Pontificum, & Ecclesiæ approbatione munitum in confessione Fidei cap. 1. ait. *In relatiuis Personarum nominibus Pater ad Filium, & Filius ad Patrem, & Spiritus sanctus ad vtrosque refertur. Quæ cum relatiue tres Personæ dicantur, vna tantum natura per substantiam creditur,* Et non longe inferius. *In relatione Personarum numerus cernitur.* Et post pauca. *Hoc solo insinuant numerum, quod ad inuicem sunt.* Similia habet Concilium Vuormaciense Prouinciale. *Pater est non ad se, sed ad Filium, & quod Filius est; non ad se, sed ad Patrem.* Insuper in Florentino sessione 18. post medium §. *diuina substantia,* Ioannes Theologus ex sententia Græcorum Patrum ait *Proprietates nequaquam communicabiles sunt, quod est relationis vi creditur conuenire.* Et post pauca. *Nil nisi principij habitudo est, in quo hoc duo considerantur, à quo aliquid, & ad quod aliquid.* Et in eadem sessione §. *Dixi quidem. Sola relatio apud omnes Græcos, & Latinos Doctores diuina processione Personas multiplicat; ita vt, non alia ratione, quam vi relationis vna Persona ab alia differat.* Cum ergo distinctio personarum sit realis, constans quoque est relationes diuinas reales esse.

Tertia probatio ex Pa-

5 Tertio probatur ex Patribus. Nazianzenus orat 13. quæst. 2. de pace, semel & iterum inculcat. *Relationem, & ordinem inter*

inter se habere Personas. Athanasius Dialogo de S. Trinitate contra Anomæum *Spiritus veritatis Patrem nobis, & Filium prædicauit, quæ nomina relationes in diuina essentia nobis indigitant.* Et Dialogo 1. contra Macedonium initio. *Nomina Patris, & Filij relatiua sunt.* Basilius lib. 2. contra Eunomium notat. *Patris, & Filij nomina, solam, quam inter se habent, habitudinem ostendere.* Augustinus 5. de Trinitate cap. 5. *Quia Pater non dicitur Pater, nisi ex eo, quod est ei Filius & Filius non dicitur, nisi ex eo, quod habeat Patrem, non secundum substantiam hæc dicuntur. Quia non quisque eorum ad seipsum, sed ad inuicem, atque ad alterutrum ista dicuntur.* Tenet expresse Sanctus Thomas cum Magistro hic, quæst. 27. art 1. Et de potentia quæst 8. art. 1, vbi nostram conclusionem de fide appellat, tribus Nazianzeno Athanasio Basilio. Thoma Augustino.

6 Quarto probatur ratione, nam in Deo dantur processiones reales ad intra: ergo, & relationes reales Personæ producentis ad productam, & productæ ad producentem. Patet consequentia, nam productio realis, necessario fundat relationem realem, vel est ipsa relatio. Confirm. *Primo*: nam productio realis necessario fundat distinctionem realem, cum idem non possit seipsum, saltem connaturaliter, producere, vt ostendimus disp. 5. sect. 1. distinctio autem realis in diuinis stare non potest absque oppositione relatiua: ergo. Confirm. *Secundo*, nam quæ sunt ad aliud, relatiua sunt: Pater autem ratione Paternitatis est ad aliud, nempe ad Filium, & Filius ratione Filiationis est ad aliud, videlicet ad Patrem: ergo Paternitas, & Filiatio erunt conceptus relatiui, idemque est de spiratione actiua, & passiua, cum sint vicissim vna ad alteram. Assertum ratione stabilitum.

7 Obiicies, productionem ad extra non consequitur in Deo relatio realis; ergo neque productionem ad intra similis relatio consequetur. Patet consequentia, quia non minus productio ad extra fundat respectum producentis ad productum, quam productio ad intra: ergo vel vtraque, vel neutra fundare debet in Deo relationem realem. Respondeo concesso antecedenti, quod negari posse iudicat. P. Zuniga disp. 3. dub. 1. num, 2. negans consequentiam. Disparitas est, quia productio ad extra est realiter à Deo distincta, ipsique contingens, vnde fundare in Deo non potest relationem realem à Deo indistin-

ctam, de qua hic agitur, nam distinctam non renuam: productio vero ad intra, est Deo omnino necessaria, ipsique realiter identificata, vnde intra Deus fundare debet relationem realem, cuius, circa productionem ad extra, nulla est in Deo necessitas. Addo ex productione ad extra necessario resultare relationem in termino producto respectiue ad principium, videlicet creaturæ ad creatorem: ergo similiter ex productione ad intra necessario resultabit relatio in termino producto, Filio scilicet, & Spiritu sancto: atque adeò eo argumento duplex saltem in Deo conuincetur relatio realis.

Quid sit relatio quoad esse *in*, & quoad esse *ad*.

9 Sed difficultas est inter Catholicos, An diuinæ relationes sint reales, non solum quoad esse *in*, idest respectu personæ cui insunt; sed etiam secundum esse *ad*; idest in ordine ad terminum, ad quem referunt. Caietanus hic quæstione 28. articulo 1. existimat relationes diuinas secundum esse ad reales non esse, sed rationis. Quam sententiam tenent Palludanus in 3. distinctione 1. quæstione 2. articulo 8. & 4. Ferrariensi 2. contra gentes capite 9. & 4. contra gentes capite 14. Canariensis quæstione 28. articulo 1. Fauet Henricus in sum. articulo 34. quæstione 2. Et P. Torres. qustione 28. art. 1.

Relationes diuinæ, quoad esse *ad*, & *in*, reales sunt.

10 Asserendum est secundo cum vera, & communi Theologorum sententia, relationes diuinas etiam secundum esse *ad* reales esse. Tum quia diuinæ relationes, sicut sunt vere, & realiter in suppositis suis, ita sunt vere, & realiter ad terminos suos; alioqui constitutio, & dinstinctio Personarum, sumpta à relationibus, quatenus se mutuo respicientibus, vera non esset, & realis. Tum etiam quia in relationibus diuinis esse *in*, & esse *ad* sunt realiter idem, aliter Paternitas idemque est de aliis, esset duplex relatio, realis vna, rationis altera: ergo: vtrumque esse *ad*, & *in* reale erit. Tum insuper, quia relationes diuinæ sunt realiter idem cum essentia, etiam secundum esse *ad*: ergo, & quid reale. Tum denique, quia secundum esse *ad* existunt à parte rei, Paternitatem autem referre Patrem ad Filium, nec chymericum est, nec pendens à nostro cogitatu: ergo quid reale erit.

11 Firmat

11. Firmat S. Thomas quæst. 28. art. 1. vbi disputans, vtrum in Deo sint relationes realies? Affirmatiuam partem ita probat. *Quod Pater non dicitur nisi à Paternitate. & Filius à Filiatione si igitur Paternitas, & Filiatio non sunt in Deo realiter, sequitur, quod Deus non sit realiter Pater, aut Filius, sed secundum rationem intelligentiæ tantum quod est hæresis Sabelliana.* Et iterum in corpore. *Cum autem aliquid procedit à principio eiusdem naturæ; nec esse est quod ambo, scilicet procedens, & id à quo procedit, in eodem ordine conueniant, & sic oportet quod habeant reales respectus ad inuicem* ergo respectus Diuinarum relationum ad inuicem sunt reales. Quod ex præcedentibus Verbis ita infert S. Doctor. *Cum igitur processiones Diuinæ sint in identitate naturæ (vt ostensum est,) necesse est, quod relationes, quæ secundum processiones Diuinas accipiuntur, sint relationes reales.* S. Thomas firmans assertum.

12. Obiicies Sanctum Thomam de potentia quæst. 2. art. 5. corpore ita Potentem. *Relatio secundum rationem sui generis, in quantum est relatio, non habet quod sit aliquid, sed solum quod sit ad aliquid. Quod sit vero aliquid secundum rem, habet ex illa parte, qua in est, vel vt idem secundum rem in Diuinis; vel vt habens causam in subiecto, sicut in creatis.* similia habet in 1. dist. 20. quæst. 1. art. 1. & dist. 26. quæst. 2. art. 2. ad. 3. ergo relationes Diuinæ secundum esse *ad* nihil sunt reale. Respondeo sanctum Thomam solum contendere relationes non esse aliquid intrinsece affixum, aut constitutiuum termini. Idcirco vocat illas assistentes, non intrinsecus affixas. Hoc autem non obstat, quominus respectus ad terminum sit realis in se. Idem Thomas obiectus, & explicatus.

SECTIO II.

Quot sint diuinæ relationes.

In Deo sunt tres relationes realiter inter se distinctæ.

13 Assero primo, esse in Deo tres relationes reales, realiter inter se distinctas, scilicet Paternitatem, Filiationem, & spirationem passiuam. Conclusio est certa. Nam in Trinitate sunt tres Personæ propriis relationibus constitutæ, & realiter inter se distinctæ, quod esse fere de Fide tenet P. Zuniga disp. 3. dub. 9. & oppositum erroris sugillant P. Torres, & P. Molina, & ex parte, quo ad distinctionẽ scilicet P. Vasquez: ergo in Trinitate sunt tres relationes reales realiter inter se distinctæ, quibus tres Personæ distinguantur inter se. Confirm. nam Personæ diuinæ secundum absoluta distingui non possunt: ergo tantum distingui non possunt secundum relationes: ergo cum sint tres Personæ realiter distinctæ, tres quoque similiter debent esse relationes.

Quarta relatio, scilicet spiratoris admittenda in Deo.

14 Assero 2. quartam esse in Deo relationem, scilicet spiratoris realiter distinctam à Spiritu sancto; à Paternitate vero, & Filiatione tantum virtualiter. Hæc conclusio, licet tam certa non sit, quam præcedens; est tamen omnium Theologorum calculis firmata cum Sancto Thoma quæst. 28. art 4. Probatur primo ex Concilio Lugdunensi sub Gregorio X. cap. vnico de summa Trinitate, & Florentino sess. 24. statuentibus Patrem, & Filium vnica Spiratione producere Spiritum sanctum: hæc autem vnica spiratio est relatio, non constituens Spiritum sanctum, sed principium illius, scilicet spiratorem: ergo admittenda est relatio Spiratoris, quæ cum vnica sit, & communis Patri cum Filio distincta debet esse virtualiter à Paternitate Filiatione; cumque sit virtus productiua Spiritus sancti, distincta debet esse realiter ab illo, vt constat ex dictis disputat. 6. sect. 1.

15 Ratio nostræ conclusionis est. Nam inter producens, & productum intercedere debet relatio principij ad terminum productum.

productum. Cumque Pater, & Filius sint vnus Spirator, & vnum principium Spiritus Sancti, debet quoque esse vnica relatio spiratoris. Etenim Pater Paternitate, vtpote virtute generatiua solum respicit Filium; & Filius Filiatione, solum respicit Patrem. ergo vt vterque vnica Spiratione, Spiritum sanctum respiciat admittenda est vnica spiratoris relatio vtrique communis. Nec obstat, Concilia & Patres expressam huiusce relationis mentionem non fecisse, nam satis illum indicasse constat ex dictis.

16 Obiicies vna relatio nequit in altera fundari relatio autem spiratoris, fundari deberet in relationibus Patris, & Filij: ergo non datur talis relatio. Respondeo negans maiorem. Vna enim relatio fundatur, seu fundari potest in altera quando hæc altera per se ipsam, nec terminum respicit, nec est virtus productiua illius. In diuinis autem Paternitas, & Filiatio, nec per se ipsas respiciunt Spiritum S. nec sunt virtus productiua illius; vnde in illis fundari potest relatio spiratoris.

17 Assero 3, quatuor tantum esse ralationes, & non plures. Est communis Theologorum sententia cum sancto Thoma quæst. 28. art. 4. & quæst. 33. art. 2. & 3. probatur; nam in Trinitate duæ tantum sunt Personæ procedentes, Filius scilicet, & Spiritus sanctus: ergo duæ tantum erunt relationes Personarum producentium videlicet Paternitas, & spiratio actiua; & duæ productarum, nempe Filiatio, & Spiratio passiua: vlterior autem processio non est: ergo neque ratio, quæ non alio titulo, quam processionis ponitur in Deo, sermo enim est de rationibus ad intra, quæ sola possunt processione multiplicari, cum sint relationes producentis & producti. In Deo quatuor tantum relationes admittendæ

18 Obiicies primo inter diuinas Personas datur relatio similitudinis, & dissimilitudinis, ergo dantur plures quam quatuor relationes. Consequentia videtur optima. Antecedens probatur. Nam relationes diuinæ sunt similes in conceptu relationis & dissimiles in suis differentiis. *Respondeo*, concesso antecedente, negans consequentiam. Nam similitudo, & dissimilitudo inter diuinas relationes nihil est diuersum ab ipsismet relationibus; se ipsis enim conueniunt, & seipsis etiam disconueniunt nam se ipsis sunt relatio, & se ipsis sunt talis relatio. Similitudo & dissimilitudo in relationibus diuinis nihil est distinctū ab ipsis.

 19 Instabis,

19 Instabis, conceptus relationis vt sic est relatio: hæc est distincta ab omnibus quatuor relationibus, ergo datur quinta relatio. Maior certa est, minor probatur, nam relatio vt sic non minus distinguitur, à differentiis Paternitatis, & Filiationis, quã relatio spiratoris, ergo sicut relatio spiratoris constituit distinctam relationẽ à Paternitate, & Filiatione cum sola distinctione virtuali ab illis, ita relatio vt sic. *Respondeo*, concessa maiori, negans minorem, & probationis antecedens. Relatio enim vt sic, non virtualiter, sed nostro tantum modo concipiendi distinguitur à differentiis Paternitatis, & Filiationis. Addo sermonem non esse de relationibus diuinis comparatis cum relatione in communi, sed de illis comparatis inter se secundum proprias eorum differentias.

20 Obiicies secundo. Relatio spiratoris identificatur realiter cũ Paternitate, & Filiatione, ergo nequit esse vnica, sed duplex. Probatur consequẽtia, quia vnica relatio nequit pluribus distinctis identificari, hoc enim proprium est perfectionis absolutæ. *Respondeo*, concesso antecedente, negans consequentiam, eiusq; probationẽ, quia spiratio est vnica cõmunis Patri cum Filio, cũ ambo sint vnius spirator, vnumque princium Spiritus sancti.

21 Instabis: ergo Paternitas, & Filiatio erunt realiter vnica relatio, atq; adeò non erunt in Trinitate tres relationes realiter inter se distinctæ. *Respondeo*, Paternitatẽ, & Filiationẽ esse vnicã relationẽ realiter ad Spiritum. S. quia sunt vnica spiratio actiua inter se verò esse duas relationes realiter distinctas, cumq; etiam distinguantur realiter ab spiratione passiua constans est, esse in Trinitate tres relationes inter se realiter distinctas.

Difficilior obiectio ex distinctione Paternitatis & Filiationis ab spiratione passiua.

22 Obiicies tertiò, Paternitas, & Filiatio non possunt distingui realiter à Spiritu S. per se ipsas, eo quod exigant identificari sibi realiter relationem spiratoris, neq; distingui possunt per ipsam relationem spiratoris: ergo nulllo modo distingui possunt à Spiritu S. Antecedens quo ad primam partem patet. Tum quia Paternitas, & Filiatio per se ipsas non sunt virtus productiua, nec relatio, aut oppositio cum Spiritu sancto. Tum etiam quia natura diuina, etiam exigit sibi identificari relationem spiratoris, nec tamen id sufficiens est, vt distinguatur à Spiritu sancto. Quoad secundam igitur partem probatur antecedens

dens. Nam si Paternitas, & Filiatio distinguerentur realialiter ab Spiritu sancto per relationem Spiratoris, maximè, quia hæc identificatur realiter cum illis: id non sufficit, nam etiam identificatur realiter essentiæ, nec tamen ita distinguitur realiter à Spiritu sancto: ergo.

23. Respondeo Paternitatem, & Filiationem non distingui realiter ab Spiritu sancto per relationem Spiratoris, nec præcise, quia hæc identificatur realiter cum illis, sed quia per illam denominantur Pater, & Filius producentes: seu spirantes Spiritum S. quam Denominationem non sortitur essentia, nec vlla perfectio absoluta, quia incapaces sunt omnis distinctionis realis ab Spiritu sancto, de quo ex professo disp. 19. sect. 2. & 3. Quomodo Paternitas & Filiatio distinguantur realiter ab Spiritu sancto per relationem Spiratoris.

SECTIO III.

An relationes diuinæ sint prædicamentales, vel transcendentales.

24. Prior sententia docet diuinas relationes prædicamentales non esse, sed transcendentales tantum. Ita Docti Recentiores. Posterior vero tuetur, esse prædicamentales simul, & transcendentales. Ita P. Zuniga quæst. 28. disp. 3. P. Arriaga disp. 48. sect. 2. Tota huius controuersiæ dicisio pendet ex constitutione vtriusque relationis, & discrimine earum inter se; si enim relatio prædicamentalis hoc differat à transcendentali, vt opinantur prioris sententiæ Patroni, quod illa sit contingens subiecto, non vero ista; certum est, Diuinas relationes non posse esse prædicamentales, cum subiectis, vel quasi subiectis contingentes esse non possint. Si vero relatio prædicamentalis præscindat ab eo, quod contingenter, vel necessario adueniat fundamento, hoc pacto posterioris sententiæ Doctores asserunt, diuinas relationes prædicamentales esse, etiam si subiectis necessario conueniant.

25. Mihi tamen placet commune fundamentũ, eo distinguẽs relationẽ prædicamentalẽ à transcendentali, quod ita sit adæquate idem Discrimen relationis prædica-

mentalis à transcendentali. idem cum solo fundamento, hocque per se ipsum sit respectus ad terminum, prædicamentalis vero, non ita; sed distincta sit à fundamento, seu adæquate, vt relatio productionis, & vnionis, sed inadæquate: vt similitudo inter duo alba, siue ea relatio fundamento, aut subiecto contingenter conueniat; siue necessario; id enim ad discrimen vtriusque relationis materialiter se habet. Quod autem possibiles sint relationes mediæ, à fundamento, & termino distinctæ, eique non contingenter, sed necessario conuenientes, mihi tam in creatis, quam in Diuinis compertum est. Nam Pater, & Filius respiciunt Spiritum sanctum per relationem Spiratoris ab ipsis virtualiter distinctam, & non contingenter, sed necessario conuenientem. Et creaturæ omnes respiciunt Deum creatorem per actionem: quia producuntur, & dependent ab ipso, cum tamen dependentia creaturarum à Deo non sit illis contingens, sed necessaria.

Paternitas, & Filiatio sunt relationes transcendentales. 26. Assero igitur primò. Paternitatem, & Filiationem esse relationes transcendentales, non vero prædicamentales. Probatur ex dictis. Nam Pater per se ipsum, & non per Paternitatem distinctam respicit Filium; similiter Filius per se ipsum, & non per Filiationem distinctam respicit Patrem; ergo erunt relationes transcendentales, non vero prædicamentales. Idem dicendum est de Spiratione actiua, & passiua inter se. Nam Spirator per se ipsum, & non per spirationem actiuam distinctam respicit Spiritum sanctum, & econtra Spiritus sanctus per se ipsum & non per Spirationem passiuam ab ipso distinctam respicit spiratorem.

Relatio spiratoris respectu Patris, & Filij ad Spiritum sanctum prædicamentalis est. 27. Assero secundo, Relationem Spiratoris respectu Patris, & Filij ad Spiritum sanctum esse relationem prædicamentalem. Probatur quia Pater, & Filius, non per se ipsos respiciunt Spiritum sanctum, sed per relationem spiratoris ab ipsis virtualiter Distinctam: ergo respectu eorum in ordine ad Spiritum sanctum prædicamentalis erit.

28. Obiicies primo ex P. Zuniga. In Deo est vera Paternitas, & Filiatio, imo magis proprie, quam in creaturis, iuxta illud Ephes. 3. *Ex quo omnis Paternitas in cælis, & in terra nominatur.* Paternitas autem, & Filiatio sunt veri respectus prædicam

dicamentales: denique est, de relationibus spiratoris, & spirati: ergo. Confirmat, nam productionem creatam comitatur relatio prædicamentalis: ergo etiam diuina. *Respondeo*, concessa maiore distinguens minorem, Paternitas, & Filiatio sunt respectus prædicamentales in creatis, concedo, in diuinis nego. Ratio est, quia in creatis non identificantur adæquate cum solo fundamento; bene vero in diuinis.

29. Obiicies secundo ex P. Arriaga. Inter Patrem, & Filium stat relatio similitudinis, cum Paternitas, & Filiatio conueniant in conceptu relationis, stat etiam relatio dissimilitudinis, cum opponantur inter se: relatio autem similitudinis, & dissimilitudinis est prædicamentalis; cum dicat vtrumque extremum: ergo. Hoc argumentum non probat Paternitatem, & Filiationem esse relationes prædicamentales, sed similitudinem inter illas, si hæc includat vtramque relationem, nam Paternitas, vt talis non constituitur Filiatione, nec Filiatio Paternitate, nec aliqua earum distinguitur à suo fundamento, atque adeò licet similitudo, & dissimilitudo inter Paternitatem: & Filiationem esset relatio prædicamentalis, non tales erunt Paternitas, & Filiatio. Quid de similitudine, & dissimilitudine dicendum in diuinis.

30 Obiicies tertio, tota ratio, cur relatio prædicamentalis à fundamento distinguitur, est, quia illi conuenit contingenter: ergo si relatio prædicamentalis distincta debet esse à fundamento saltem inadæquate, contingens quoque debet esse illi: nulla autem diuina relatio potest esse contingens fundamento: ergo neque poterit esse prædicamentalis. Antecedens probatur, quia si conueniret necessario, opus non esset distingui, vt patet in relatione transcendentali, quia necessario conuenit fundamento ab eo non distinguitur: ergo.

31 Respondeo negans antecedens, eiusque probationem. Ratio enim, cur relatio prædicamentalis distincta debet esse à fundamento, est, vel quia aduenit illi contingenter; vel si necessario conueniat, quia fundamentum se solo, & per se ipsum non potest ad terminum referri, vt in Patre, & Filio patet, qui per se ipsos referri non possunt ad Spiritum sanctum; sed per relationem spiratoris ab illis distinctam; & in creaturis dependentibus à Deo necessario in fieri, non per se ipsas, sed

per dependentiam ab illis distinctam. Relatio autem transcendentalis præstat, non solum necessario conuenire fundamento, sed etiam fundamentum per seipsum referri ad terminum, & non per relationem distinctam.

SECTIO IV.

An diuinæ relationes distinguantur ab essentia realiter formaliter ex natura rei, vel tantum virtualiter.

Scotorum distinctio ex natura rei librata.

32 DIstingui realiter formaliter ex natura rei affirmat illustrissima Scotorum familia cum suo subtilissimo Duce, à quibus vtraque schola Thomistarum; & Iesuitarum Libens semper recessit. Distinctionem realem formalem ex natura rei vocant distinctionem quandam mediam inter realem absolutam, quam nos vocamus materialem, & rationis, siue à nostri intellectus consideratione dependentem. Quam sententiam Recentiores multis tentant deturbare, sed meo iudicio irrito conatu: Expendam singulas eorum incursiones.

Concilium Florentinũ.

33 Arguunt primo ex Concilio Florentino ita loquente: *Porro autem, ne diuinitatem coniunctionemque diuinæ substantiæ distribuere, ac ipsam eandem substantiam re, non autem sola ratione, ab hypostasibus, & personis differre credere videmur &c.* Vnde ita argumentantur. Personalitates, & essentia sola ratione distinguntur: sed distinctio realis formalis ex natura rei, non est distio rationis, sed omnino independens à nostri intellectus consideratione: ergo relationes, & essentia non distinguntur realiter formaliter ex natura rei.

Procedens argumentũ distinctionẽ virtualẽ expugnat.

34 Hæc tamen ratio facile contra distinctionem virtualem conuerti potest, quippe à pia nostri intellectus meditatione omnino independentem: etenim non communicari Paternitatem, & communicari essentiam, nullatenus pendet à nostra consideratione, in quo consistit distinctio virtualis, ergo cum

cum relationes, & essentia sola ratione ex Florentino distinguantur, nullatenus virtualiter distingui poterunt, sicut nec possunt formaliter ex natura rei distingui: sicut ergo arguentes suam distinctionem virtualem cum Florentino componunt, explicantes illud de distinctione materiali: cur non poterunt componere Scotistæ cum distinctione ex natura rei explicantes idem Concilium de distinctione reali absoluta, siue materiali.

35 Arguunt secundo ratione. Distinctio realis vt sic opponitur identitati reali vt sic: ergo impossibile est, vt eidem entitati conueniant distinctio, & identitas realis respectu eiusdem. Antecedens patet, nam tunc aliqua opponuntur, quando vnum inducit alterius negationem: sed identitas realis vt sic inducit negationem distinctionis realis vt sic: ergo identitas realis vt sic, & distinctio realis vt sic opponuntur. Minor probatur, quia identitas realis vt sic opponitur contradictorie non identitati: sed non identitas est distinctio: ergo identitas realis vt sic, essentialiter dicit, vel inducit non distinctionem, & consequenter carentiam distinctionis: at relationes, & essentia dicunt identitatem realem inter se: ergo dicere non possunt distinctionem realem formalem ex natura rei.

36 Non est momenti incursio ista, eamque facillime eludent Scotistæ: Etenim identitas realis materialis, siue absoluta, soli opponitur distinctioni reali materiali, siue absolutæ; non autem formali ex natura rei, quæ distinctio minor est, quam realis absoluta: sicut identitas materialis non opponitur distinctioni reali virtuali in sententia argumentantium, sed soli distinctioni reali materiali, sicut ergo optime componuntur identitas realis materialis, & distinctio realis virtualis; ita, inquiunt Scotistæ, optime cohærent identitas realis absoluta, & distinctio realis formalis ex natura rei.

Identitas realis vt sic, sicut non opponitur distinctioni virtuali, ita neque formali ex natura rei.

37 Instant Recentiores efficaciter, vt ipsi aiunt, contendentes identitatem realem absolutam etiam opponi distinctioni reali formali ex natura rei. Identitas realis vt sic præcisa ab identitate reali formali ex natura rei, & ab identitate absoluta opponitur distinctioni reali vt sic, præcise à distinctione reali formali ex natura rei, & distinctione reali absoluta, ergo iden-

Efficacior Recentiorũ instantia.

 titas

titas realis vt sic, opponitur etiam distinctioni reali formali ex natura rei ergo identitas realis absoluta opponitur distinctioni reali formali ex natura rei. Antecedens clarum est, quia identitas, & distinctio, sunt termini inter se oppositi, sicut esse, & non esse.

38 Prima consequentia, scilicet identitatem realem vt sic, opponi distinctioni ex natura rei; probatur. Distinctio ex natura rei participat rationem distinctionis realis vt sic; ergo identitas realis vt sic, quæ opponitur distinctioni reali vt sic, opponitur distinctioni ex natura rei, quæ rationem communem distinctionis participat. Antecedens probatur, nam ratio communis distinctionis realis præscindit à distinctione reali ex natura rei, & reali absoluta, sicut animal ab homine, & leone; ergo sicut homo, & leo participant rationem animalis, sic distinctio ex natura rei, & realis absoluta participant rationem distinctionis realis præcisæ. Prima consequentia probatur, quia quod oponitur alicui prædicato alicuius constituti, opponitur etiam ipsi constituto, sic ratio accidentis opponitur homini, ratione, prædicati communis substantiæ, quod est de constitutiuo ipsius hominis; sed identitas realis vt sic opponitur distinctioni reali vt sic, quæ est prædicatum essentiale distinctionis realis formalis ex natura rei; ergo identitas realis vt sic apponitur distinctioni reali ex natura rei.

39 Secunda consequentia primi entymemmatis, scilicet, identitas realis absoluta opponitur distinctioni reali formali ex natura rei, Probatur. Quando duo prædicata communia dicunt inter se oppositionem, etiam inferiora includentia talia prædicunt inter se oppositionem; ergo si identitas realis vt sic & distinctio realis vt sic, dicunt inter se oppositionem, etiam identitas realis absoluta, & distinctio realis formalis ex natura rei, quæ sunt inferiora includentia rationes identitatis, & distinctionis, dicent inter se oppositionem. Antecedens probatur, quia ex eo quod accidens, & substantia, dicant inter se oppositionem, recte infertur, quantitatem, & leonem, quæ sunt inferiora includentia rationes substantiæ, & accidentis, dicere inter se oppositionem; ergo ex eo quod identitas realis vt sic, & distinctio realis vt sic, dicant inter se oppositionem, recte sequetur,

sequetur, identitatem realem absolutam, & distinctionem ex natura rei dicere inter se oppositionem.

40 Hæc tamen ratio, vel prorsus inefficax est, vel penitus distinctionem realem virtualem euertit. Nam identitas realis vt sic, præcisa ab identitate reali materiali, & identitate reali virtuali opponitur distinctioni reali vt sic, præcisæ à distinctione reali materiali, & distinctione reali virtuali: ergo identitas realis vt sic præcisa, opponitur distinctioni reali virtuali: ergo identitas realis materialis opponitur distinctioni reali virtuali. Antecedens clarum est, nam identitas, & distinctio sunt termini per se oppositi, sicut esse, & non esse. Prima, & secunda consequentia eisdem arguentium probationibus euidenter conuincuntur, vt cuique expendere facillimum erit: ergo arguentium labor, vel inanis est contra Scotistas, vel ipsorum distinctionem virtualem pænitus euertit. *Instantia præcedens vel inefficax est, vel distinctionē virtualem euertit.*

41 Sicut ergo arguentes velint, nolint, fateri tenentur, identitatem à reali materiali, & reali virtuali præscindentem, non opponi distinctioni præscindenti à materiali, & virtuali, quia compossibilis est cum distinctione virtuali, rationem distinctionis vt sic contrahenti, ita facile Scotistæ respondebunt, identitatem realem, ab identitate absoluta, & ex natura rei præscindentem non opponi distinctioni præscindenti à distinctione absoluta, & ex natura rei, quia compossibilis est cum distinctione ex natura rei, rationem distinctionis vt sic contrahente. Et sicut arguentes fateri tenentur identitatem illam realem præcisam, soli opponi distinctioni reali materiali, ita docent Scotistæ soli opponi distinctioni absolutæ.

42 Arguunt tertiò Personalitates, & natura diuina sunt idem realiter: ergo nulla intercedit distinctio realis inter ipsas adhuc ex natura rei. Antecedens est de fide. Consequentia probatur, quia vel sunt idem realiter absolute, vel realiter omnimodè? Si secundum: ergo sunt idem realiter formaliter ex natura rei. Si primum, ita instant; identitas absoluta per vos est inter entitatem, & entitatem: vel ergo personalitates sunt entitates, vel non? Si primum,

ergo distinctio, quæ intercedit inter ipsas est realis absoluta contra fidem. Si secundum: ergo non sunt idem realiter absolute: ergo erunt idem realiter formaliter ex natura rei.

Præcedens ratio pariter cõtra distinctionẽ virtualem conuersa.

43 Pariter ratio ista contra distinctionem virtualem conuerti potest. Deinde respondent Scotistæ, Personalitates respectu essentiæ non esse entitates, sed formalitates, sicut nos dicimus esse virtualitates. Nec capio, qua forma syllogistica, ex eo quod relationes, non sint entitates, inferatur non esse idem realiter absolutè cum essentia, cum sequatur oppositum, nam ex contextu argumenti ad distinctionem realem absolutam duorum opus est vtramque entitatem esse, cum distinctio realis absoluta sit inter entitatem, & entitatem: ergo ex eo quod relationes entitates non sint, non sequitur distinctas esse realiter absolute ab essentia. Nec secunda, & vltima consequentia ex præcedenti sequitur, nam ex eo quod relationes & essentia non sint idem realiter absolute, non sequitur esse idem formaliter ex natura rei; implicat enim, quæ realiter absolute distincta sunt, esse idem formaliter ex natura rei. Hic ergo omissis.

Quomodo relationes, & essentia non distinguantur realiter formaliter ex natura rei.

44 Assero primo. Relationes, & essentiam non distingui realiter formaliter ex natura rei, nisi distinctio realis formalis ex natura rei coincidat cum virtuali; tunc enim verba erunt diuersa, non res. Moueor, quia existimo has scholas verbis tantum discrepare & quod vna vocat distinctionem virtualem, altera vocat formalem ex natura rei: Etenim Scotistæ distinctionem realem formalem ex natura rei vocant illam quæ cum identitate absoluta, siue materiali, non componit prædicata realiter contradictoria, qualia sunt essentiam communicari, & paternitatem non communicari, Filiationem produci, & essentiam non produci, idem autem dicimus nos distinctionem virtualem: ergo dissidium tantum est vocum, non rerum, cum omnes admittant distinctionem componentem cum identitate absoluta, siue materiali prædicata contradictoria, & nullus aliam maiorem distinctionem agnoscat. Nihilominus tamen Scotorum illam locutionem non approbo, quia distinctio virtualis non est formaliter distinctio, sed virtute, aut æquiualentia: vnde mihi displicet distinctionem relatio-

num

num ab essentia vocare formalem ex natura rei.

45 Assero secundo relationes diuinas distingui virtualiter ab essentia, cœterisque perfectionibus absolutis, nam eadem pro omnibus est ratio. Probatur, nam illa distinguuntur virtualiter, quæ cum identitate reali materiali, seu vt alij loquuntur absoluta, componunt prædicata alioqui contradictoria; id enim vocamus distinctionem virtualem: relationes autem, & essentia id præstant: ergo virtualiter distinguuntur. Minor probatur, nam Paternitas, & essentia præstant communicari, & non communicari: Filiatio vero & essentia præstant produci, & non produci, idemque est de spiratione passiua. Denique spiratio actiua, & essentia præstant identificari realiter cum Spiritu S. & non identificari, quæ omnia sunt prædicata contradictoria: ergo.

Relationes & essentia virtualiter tantum distinguuntur.

46 Inde colliges relationem spiratoris distingui etiam virtualiter à Paternitate, & Filiatione, quia identificatur realiter cum illis, cum tamen istæ non identificentur realiter inter se, quæ sine dubio sunt prædicata contradictoria.

SECTIO V.

An relationes diuinæ quatenus ab essentia distinctæ habeant proprias existentias.

47 NEgat P. Vasquez disp. 126. cap. 2. docens, Relationes omnes existere per existentiam absolutam essentiæ, vnde tanquam superfluas expungit relatiuas. Communis tamen sententia affirmat; concedens relationibus diuinis, quatenus ab essentia distinctis proprias existentias relatiuas.

48 Asserendũ est, Relationes diuinas quatenus ab essentia distinctas habere proprias existentias relatiuas Prob. primò. Nam Relationes diuinæ quatenus ab essentia dictæ habent propria constitutiua relatiua, ergo & proprias existentias, existentia enim indistincta omnino est à constitutiuo saltem illius rei, quæ realiter, aut virtualiter est ab alio, ob statim dicenda.

Relationes diuinæ quatenus ab essentia distinctæ proprias habent existentias.

49 Secundò,

49 Secundo, quia omnis productio terminatur ad existentiam, ergo realis productio Filij, & Spiritus sancti terminatur ad existentiam Filij, & Spiritus sancti; non ad existentiam absolutam, quia nihil absolutum realiter producitur; ergo ad relatiuam. Confirmatur, in diuinis datur subsistentia absoluta, & relatiua; ergo & existentia absoluta & relatiua.

50 Tertio probant aliqui, nam attributa transcendentia multiplicantur in singulis perfectionibus diuinis, etiam relatiuis, existentia autem est attributum transcendens; ergo multiplicatur in relationibus diuinis. Maior. Probatur, nam Paternitas, idemque est de aliis relationibus, habet propriam immensitatem distinctam ab immensitate essentiæ, idemque est de æternitate, cæterisque attributis transcendentibus; ergo & propriam existentiam distinctam ab existentia essentiæ. *Confirmatur* perfectio transcendens, vt talis sit debet imbibi in vltimis differentiis eorum omnium, quæ transcendit, ergo existentia diuina, vt transcendat relationes, imbibi debet in vltimis earum differentiis, existentia autem absoluta propria essentiæ non imbibitur in differentiis relationum cum ab illis virtualiter distinguatur, ergo neque poterit transcendere relationes.

51 Hæc tamen probatio libranda est ex professo tractatu de attributis transcendentibus, eorumque multiplicitate, sermo fiet, forte enim non eadem est omnium ratio, nec præcisa transcendentia sufficiens est ad attributa negatiua multiplicanda, sed speciale fundamentum expectandum, quale nos pro multiplici existentia protulimus. Nam ad transcendentiam alicuius perfectionis diuinæ satis est, si omnes alias denominet, etiamsi in vltimis omnium differentiis non imbibatur.

Existentia absoluta obiicitur sufficiens.

52 Obiicies primo, nulla est necessitas multiplicandi pro singulis relationibus singulas existentias, ergo admittendæ non sunt. Antecedens probatur discurrendo per singula capita, vnde ea necessitas peti posset. Primo eam necessitatem subsistere non posse, eo quod existentia absoluta essentiæ non possit reddere relationes existentes, ostenditur. Nam forma communicata subiecto apto tribuit illi suum effectum formalem, vt est certum. Relationes autem diuinæ sunt subiectum aptum

effectus

effectus formalis existendi; & aliunde existentia absoluta est illis sufficienter aplicata, ergo reddit diuinas relationes existentes. Nec dicas quid relatiuum existere non posse existentia absoluta, eo quod sola relatiua sit illi proportionata. Nam quid relatiuum, nempe Pater potest intelligere cognitione absoluta, & simili amore diligere: ergo & poterit existere existentia absoluta. Insuper quid absolutum potest subsistere subsistentia relatiua: ergo & quid relatiuum poterit existere existentia absoluta.

53 Secundo, necessarias non esse multiplices existentias relatiuas, eo quod multiplex sit relatiuum constitutiuum, & existentia sit formaliter ipsummet constitutiuum. Probatur, quia licet in creatis constitutiuum, & essentia sint formaliter idem, id tamen contingit quia in creatis omne constitutiuum est essentia constituti à qua nullatenus distinguitur existentia, in diuinis autem constitutiuum, & essentia diuidi possunt, nam relatio vt virtualiter distincta ab essentia, essentia non est, cum tamen sit constitutiuum relationis: ergo similiter in diuinis diuidi poterunt constitutiuum, & existentia: ergo sicut non multiplicatur essentia pro singulis relationibus, nec necessaria est essentia relatiua, ita nec multiplicabitur existentia, nec relatiua necessaria erit. Multiplex existentia relatiua minime necessarias

54 Tertio necessarias non esse plures existentias, quia existens est quid transcendens omnes etiam relationes, ostenditur. Nam effectus alicuius formæ, vel quasi formæ, potest esse transcendens in multiplicata forma, sic effectus intelligentis, volentis, omnipotentis &c. transcendit omnes personas in multiplicata intellectione, volitione, & omnipotentia, vnde licet personæ plures sint, omnes tamen ab eadem intellectione denominantur intelligentes ab eadem volitione volentes &c. ergo licet effectus existentis transcendens sit omnes relationes poterunt ab eadem existentia denominari omnes existentes quia ad id multiplicitas existentiæ necessaria sit. Nec non transcendentia.

55 Respondeo, necessitatem multiplicandi existentias relatiuas summi ex diuersis constitutiuis relationum, quæ vitari non possunt, etiamsi existentia absoluta relationes enim quatenus ab essentia distinctæ habent sua constitutiua relatiua, ad

quæ vel realis; vel virtualis productio terminatur, & inde proprias habent existentias relatiuas distinctas ab existentia absoluta essentiæ. Quod autem relationes diuinæ non habeant proprias essentias, non euincit, nec habere proprias existentias, nam existentia omnis in diuinis non est idem formaliter quod essentia, sed idem, quod constitutiuum cumque in diuinis relationes, quatenus ab essentia distinctæ, habeant propria constitutiua, proprias quoque existentias habere necesse est.

SECTIO VI.

An diuinæ relationes vt ab essentia distinctæ sint perfectio.

Paludanus Capreolus Caietanus Ferrariensis Scotus Durandus Marsilius Ricardus Argentinas Dionysius Cister. Deza P. Molina Card. Bellar.

56 NOn procedit controuersia de perfectione morali consistente in conformitate cum dictamine rationis, sed de physica, & entitatiua. Prior ergo sententia negat. Quam tenent Paludanus 3. sentent. dist. 1. q. 2. art. 3. & 4. Capreolus 1. dist. 17. q. 1. art. 2. ad 3. contra primam conclusionem. Et dist. 33. art. 3. ad argumenta Aureoli, præsertim ad 2. 3. & 4. Caietanus hic. q. 28. art. 1. & 2. Ferrariensis 2. contra gentes cap. 9. Scotus quod lib. 5. art. 2. Et. 1. dist. 2. q. 5. §. *ad primam quæstionem dico.* Versiculo *hoc etiam arguitur.* Et dist. 26. q. vnica §. ad primum tertiæ viæ, versiculo *per hoc patet* Et dist. 19. q. 1. ad secundum principale, quamuis contrarium scripserit 1. dist. 1. q. 2. ad primum principale. Durandus 1. sentent. dist. 13. q. 2. num. 26. Marsilius 1. q. 6. art. 1. Ricardus ibidem dist. 19. art. 1. q. 3. Et clarius dist. 24. art. 1. q. 3. ad 1. Argentinas ibidem dist. 4. q. 1. art. 1. Dionysius cisterciensis dist. 33. q. vnica. art. 3. Deza ibidem dist. 7. q. 1. art. 3. notab. 4. P. Molina 1. part. 28. art. 2. disp. vlt. & latius infra q. 42. art. 6. disp. 2. Cardinalis Belarminus tom. 1. lib. 2. de Christo. cap. 12.

Okam Gabriel Aureolus P. Soarius

57 Posterior sententia affirmat relationes quatenus ab essentia distinctas esse perfectiones, concedens posse in Deo tres perfectiones admitti. Ita Okam. 1 dist. 19. q. 1. Gabriel ibidem dist.

dist.7.q.2.art.2. Aureolus 1.dist.19.part.2.art.3. P. Soarius lib.3. de Trinitate cap.9.& 10. Et 3.part. tom.1. disp.11.sect.4. P. Valentia in controuersiis de Trinitate lib.2. c.12. P. Ruiz disp.29. de Trinitate sect. 2. & multi alij apud ipsum. Quibus adde P. Arriagam disp.49. de Trinit. sect.2. P.Valencia P Ruiz. P.Arriaga

58 Assero primo relationes diuinas esse perfectissimas. Probatur primo ex Conciliis. Nicænum etenim, vt habetur lib.2. de actis in Concilio Nicæno ante constitutionem decretorum col.10.§.*sancta, & magna*, definit: *Verbum esse Personam perfectam ex perfecta.* Et longe inferius post medium eiusdem lib.2. responsione data per Protogenem Sardicensem §.*non difficile, Vna est diuinitas sancta Trinitatis, qua in tribus subsistentiis perfectis, & aqualibus consideratur.* Prima Synodus Constantinopolitana in epist. ad Damasum Papam. *Credimus aqualem honorem, ac dignitatem, & imperium cæterorum in tribus perfectissimis subsistentiis, seu tribus perfectis Personis.* Et Sophronius Patriarcha Hierosolim. in Epist. quæ habetur in sexta Synodo generali, actione 11.colum. 4. eiusdem epistolæ asserit: *subsistentiis, & proprietatibus intellectualibus perfectis numerari Trinitatem.* Concilium Nicæum. Prima Synodus Constantinopolitana. Sophronicus Patriarcha.

59 Probatur secundo ex Patribus. Iustinus in expositione fidei de Trinit. *Maluimus vnius Deitatis in tribus perfectis subsistentiis notitiam exponere*; Basilius homil.28. contra Sabellianos. *Filius ex Patre sempiterne perfecto, perfectus resplendens.* Et post medium eiusdem homil. *Quando sanctam Triada coniungimus, trium perfectorum, & incorporalium inseparabilem coniunctionem intellige.* Epiphanius hæresi 69. *Tria perfecta, vna Deitas.* Cyrillus Alexandrinus lib. thesauri cap. 6. *Perfectus est, non solum quia Deus, sed etiam quia Pater est*, Damascenus lib. de decretis primæ institutionis cap.1. *Vnusquisque enim eorum perfecta est hypostasis, & perfecta persona.* Hieronimus epist.57.ad Damasum. *sufficiat nobis dicere, vnam substantiam, tres Personas subsistentes, perfectas, aquales.* Iustinus Basilius Epiphanius Cirillus Damascen. Hieronym.

60 Probatur tertio ratione. Nam quidquid est in Deo, realiter est ipse Deus, & consequenter capax, vt à diuina perfectione, perfectissimum denominetur: relationes autem sunt realiter ipse Deus: ergo & capaces vt à diuina perfectione de-

nominent perfectiſſimæ, ſicut eodem titulo capaces ſunt, vt à diuina immenſitate,& æternitate immenſæ, & æternæ denominentur.

Relationes diuinæ, vt ab eſſentia, diſtinctæ ſunt perfectio Dei.

61 Aſſero ſecundo relationes vt ab eſſentia diſtinctas eſſe perfectionem Dei. Probatur quia perfectio phyſica, & entitatiua eſt illa, ſine qua res, non ita bene ſe habet, ac cum illa: Deus autem, ſine relationibus diuinis, non ita bene ſe haberet, ac cum illis: ergo ſunt perfectio Dei. Maior tam in diuinis quam in creatis certa eſt, vt perpendenti fiet manifeſtum. Minor oſtenditur. Tum quia relationes diuinæ ſunt proprietas diuinæ eſſentiæ: eſſentia autem diuina ſine ſuis proprietatibus non ita bene ſe habet, ac cum illis. Tum etiam, quia relationes perſonales complent naturam, cum eaque conſtituunt Perſonas, quod ingens eſt perfectio; & natura melius ſe habet cum ſuo complemento perſonali, quam ſine illo. Tum denique quia melior eſt Deo Trinitas Perſonarum, quam carentia illius, & virtus generatiua, & ſpiratiua, quam eius carentia: ergo.

Deus complacet in diuinis Perſonis quatenus inter ſe diſtinctis.

62 Confirmatur primò, quia Deus non ſolum complacet in Patre, Filio, & Spiritu S. quatenus habentibus eandem eſſentiam, ſed etiam quatenus diſtinguntur inter ſe: ergo in illis vt diſtinctis inter ſe ſtat bonitas alliciens ad ſui dilectionem: Pater autem, Filius, & Spiritus ſanctus vt diſtincti inter ſe, ſolas dicunt relationes, vt ab eſſentia diſtinctas, cum ſolis illis diſtinguantur: ergo relationes quatenus ab eſſentia diſtinctæ dicunt proprias bonitates phyſicas, & entitatiuas, quod idem eſt, ac perfectio.

Athanaſius. Cyrillus Alex. Leo Magnus.

63 Secundo quia eſſentia diuina ſine relationibus detrimentum, & imperfectionem pateretur, vt teſtantur Patres. Athanaſius orat. 2. *Proles autem ſi non coæternaliter coexiſtat cum Patre detrimentum adfert perfectitudini illius ſubſtantiæ.* Cyrillus Alexandrinus lib. 2. theſauri. cap. 1. *Non poteſt eſſe perfecta deitas, niſi Filium habeat.* Et lib. 1. Dialogorum de Trinit. col. penultima. *Ipſam Dei Patris naturam in hoc ſimul dehoneſtant, quandoquidem contendunt, non eſſe fructiferum, & ſpoliant eum gignendi facultate.* Leo Magnus ſerm. 5. de natiuitate Domini capite tertio *Si Deo Patri impar eſt genitus, quia vt tibi videtur generando*

generando eum, qui non erat, genuit: imperfecta erat etiam generantis essentia, quæ adhibendo quod non habuit, generando perfecit, seu vt alij dicunt profecit: ergo essentia diuina sine relationibus, detrimentum, & imperfectionem pateretur; atque adeò perfectio illius erunt.

64 Tertio, si relationes vt ab essentia distinctæ non essent perfectio, neque esse personam perfectio esset. Vnde insufficienter probaretur ab scholasticis cum sancto Thoma hic quæstione 29. articulo tertio, Deum esse Personam, eo quod omnis perfectio, sit Deo concedenda: ergo Personalitas diuina perfectio erit. Id quod euidentissime tradit Sanct. Thom. citatus his verbis. *Respondeo dicendum quod, Persona significat id quod est perfectissimum in tota natura, scilicet subsistens in rationali natura. Vnde cum omne illud, quod est perfectionis Deo sit attributum, eo quod eius essentia continet in se omnem perfectionem, conueniens est, vt hoc nomen, Persona, de Deo dicatur.* Et sane mirabilis est in hac parte Gaietanus, qui cum peccato concedat bonitatem, & perfectionem transcendentalem, in quantum ens est; id diuinis relationibus concedere recusat.

Personalitatem esse perfectionem, tradit S. Thom.

65 Obiicies. Nulla est necessitas concedendi perfectionem entitatiuam in relationibus diuinis; ergo istæ quatenus ab essentia distinctæ, perfectiones non erunt. Consequentia constat ex traditis à nobis sectione præcedenti. Antecedens probatur. Nam perfectio essentiæ præstare posset, quidquid perfectio relationum; cum hæc solum præstaret, denominare relationes perfectas, quod idem præstare posset essentia: ergo. *Respondeo*, negans antecedens, eiusque probationem. Nam perfectio relationum præstat complere naturam, constituere Personam, principium generatiuum, & spiratiuum, quod essentia se sola præstare non potest.

Necessitas concedendi perfectionem relationibus diui.

SECTIO

SECTIO VII.

An Relationes diuinæ, vt ab essentia distinctæ sint plures perfectiones vel vnica tantum.

66 PRior sententia affirmat esse plures perfectiones, ita communiter Doctores sect. præcedenti pro perfectione relationum allegati, quos sequitur P. Arriaga disp. 49. de Trinit. sect. 2. sub sect. 3. Posterior sententia, etiam si admittat, relationes diuinas esse perfectionem Dei: negat tamen esse plures perfectiones, & vnicam affirmat, complectentem omnes diuinas relationes, ad eum modum quo Trinitas, est vna Trinitas complectens omnes tres diuinas Personas. Ita P. Vasquez 1. part. disp. 122. iudicans cap. 4. priorem sententiam multum derogare mysterio Trinitatis, quia multiplicat voces in hoc mysterio, quas, nec Patres agnouere, nec ausi sunt multiplicare. Eandem sententiam tenet P. Ruiz tota disp. 30. cum multis quos citat sectione 3. docens integritatem Dei, seu perfectionem, complecti omnes relationes, ab eisque omnibus quamlibet Personam denominari perfectam, atque adeò eandem esse omnium perfectionem.

P. Arriaga. P. Vasquez. P. Ruiz.

67 Posteriorem sententiam conformiorem esse Conciliis, & Patribus. Probari solet, quia à Conciliis, & Patribus nomen *perfectio* in diuinis perpetuo vsurpatur in singulari, in plurali nusquam. Quæ obiectio cum vibrata sit contra aduersarios, hactenus nihil momenti ex Conciliis, & Patribus productum est. Nam sexta synodus generalis ad quam apellat P. Arriaga contra ipsum est. Dicitur enim. *Trinitatem propter subsistentiarum perfectionem.* In quibus verbis, quæ Conciliis non sunt, vt ipse obseruat, sed confessionis Constantini Imperatoris, solum nomen *subsistentia* sumitur in plurali, nomen vero *perfectio* in singulari: ergo eo textu vnica potius probatur perfectio, quam multiplex. Etenim eo quod natura diuina dicatur trium Personarum seu subsistentiarum essentia, probari non potest multiplex essentia: ergo neque multiplex perfectio, eo quod dicatur

Omnes relationes vnicam tantum esse perfectionē probatur ex Patribus, & Conciliis.

dicatur plurium subsistentiarum perfectio.

68 Nec Patres asserentes, diuinas Personas, earumque subsistentias perfectas esse, quidquam iuuant, nam etiam si id verum sit, adhuc tamen stat integra præsens controuersia. An scilicet Personæ diuinæ; earumque subsistentiæ perfectæ sint, vnica, vel multiplici perfectione: ergo hisce testimoniis Patrum nihil iuuatur prior illa sententia. Confirmatur, nam etiam si omnes Personæ, earumque subsistentiæ dicantur diuinæ, id tamen sufficiens non est fundamentum ad multiplicandas diuinitates: ergo eo præcisè quod asserantur perfectæ, sufficiens non est fundamentum ad perfectiones multiplicandas, aliter cum omnes personæ dicantur Deus, hoc ipso ex Patribus multiplex Deitas conuinci posset. Similiter quamuis Damascenus, & alij Patres, Personalem, perfectionem scribat. Quid inde pro multiplici perfectione, cum semper nomen *perfectio* in singulari ponatur.

69 Insuper relationes diuinas vnicam tantum esse pefectionem. Probatur primo, nam si plures essent, aliqua perfectio esset in Patre, quæ non esset in Filio, & è contra; quod hoc syllogismo expositorio aperte concluditur. *Paternitas non conuenit Filio, Paternitas est aliqua perfectio, ergo aliqua perfectio non conuenit Filio.* Similiter, *Filiatio, est aliqua perfectio, ergo aliqua perfectio non conuenit Patri.* Vnde aliqua perfectio deesset, Patri, & aliqua Filio. Nunc sic Aliqua perfectio deesset Patri, & aliqua Filio: ergo neuter esset simpliciter infinite perfectus. Patet consequentia, quia simpliciter infinite perfectum non est illud, cui deest aliqua perfectio: sicut simpliciter infinite productiuum, aut intellectiuum non esset illud, cui deesset aliqua virtus productiua, vel intellectiua. Si plures essent perfectiones aliqua perfectio esset in patre, quæ non esset in Filio.

70 Confirmatur si essent duæ deitates, aut omnipotentiæ, neutra esset simpliciter infinita, quia neutra formaliter contineret alterius perfectionem, etiam si vna æquiualenter esset altera: ergo si Paternitas, & Filiatio essent duæ perfectiones, neutra esset simpliciter infinita, cum neutra contineret formaliter alterius perfectionem, etiam si illi æquiualeret. Aliter non bene, nec sufficienter probaretur à Theologis vnicus Deus, eo quod debeat esse ens simpliciter infinite perfectum, quod

non

non patitur alium eiusdem perfectionis, quia hoc ipso, quod duo essent Dii, neuter esset ens simpliciter infinite perfectus, cum neuter formaliter alterius perfectionem contineret, esto vna alteri æquiualeret: ergo si in Deo essent duæ perfectiones, neutra esset simpliciter infinite perfecta, esto vna alteri æquiualeret.

Perfectionē diuinā consistere in coniuncto ex omni perfectione necessaria.

71 Probatur secundo. Perfectio diuina consistit indiuisibiliter in coniuncto ex omni prædicato necessario; non autem datur multiplex coniunctum, complectente quolibet eorum omne prædicatum necessarium: ergo neque multiplex perfectio. Minor certa est, & consequentia legitima. Maior probatur. In illo consistit diuina perfectio, quo formaliter, & immediate deficiente, deficeret perfectio, etiam si cætera manerent: deficiente autem quolibet prædicato necessario, siue absoluto, siue relatiuo, formaliter, & immediate deficeret diuina perfectio, etiam si cætera manerent; ergo includit omnia prædicata necessaria simul, ergo indiuisibiliter consistit in eorum omnium coniuncto. Maior euidens est. Minor probatur, nam quolibet prædicato necessario pereunte, maneret Deus, hoc præcisè, mutilus, & imperfectus; ergo periret, hoc præcisè, diuina perfectio; bonum enim ex integra causa, malum autem ex quocunque defectu.

Confirmatur exemplo pulchritudinis.

72 Explicatur, & confirmatur hæc ratio. Nam diuina perfectio, & pulchritudo idem sunt; pulchritudo autem consistit indiuisibiliter in coniuncto omnium prædicatorum sibi consonantium, absque vllius defectu, vel excessu, sicut pulchritudo creata consistit indiuisibiliter in coniuncto omnium partium concordantium inter se, à quo si nasum abscindas, vel oculum eruas, pulchritudo perit, & deformitas subrogatur; ergo perfectio diuina consistit indiuisibiliter in coniuncto omnis prædicati necessarij, à quo quolibet abscisso peribit perfectio.

73 Vlterius eadem confirmatur ratio. Ponamus deficere in Deo solam Filiationem. Tunc nullum prædicatum diuinum esset perfectum; ergo nulla esset Dei perfectio. Probatur antecedens. Quia natura diuina, cui deesset, aliquod complementum personale, perfecta non esset, vt est perspicuum. Prætere-

rea,

rea, Paternitas, cui deesset Filiatio, perfecta non esset. Insuper spiratio tam actiua, quam passiua, cui deesset vnum ex duobus suppositis, quæ necessario prærequirit, imperfecta esset. Idem argumentum fieri potest deficiente quolibet alio prædicato necessario: ergo nullum prædicatum diuinum esset perfectum, sed omnia defectuosa, quolibet necessario deficiente ergo perfectio diuina includit omnia necessaria.

74 Probatur tertio. Si relationes diuinæ essent plures perfectiones, perfectior esset Personarum Trinitas, quam solus Pater, vel solus Filius: id falsum est: ergo, &c. Maior certa videtur, nam continens plures perfectiones, magis perfectus est, quam continens vnam tantum. Minor probatur ex August. lib. 5. de Trinitate cap. 3. *Ratione reddita intelligentibus clarum est, in substantia veritatis non solum Patrem, Filio non esse maiorem, sed nec ambos simul aliquid maius esse, quam solum Spiritum sanctum, aut quoslibet duos in eadem Trinitate maius esse aliquid, quam vnum, aut omnes simul tres, maius aliquid esse, quam singulos.* Et lib. 3. contra Maximianum cap. 10. de Patre, Filio, & Spiritu sancto, ait *Nec maius aliquid sunt omnes, quam singuli.* Quæ testimonia Ioannes Papa II. ad stabilienda dogmata de Trinitate allegat epistola secunda ad Senatores, appellari solita liber de duabus naturis contra Eutichianos; Augustinique doctrinam commendat his verbis. *Augustini doctrinam secundum præcessorum meorum statuta, Romam sequitur, & seruat Ecclesia.* Eandem Augustini doctrinam tenent Concilium Toletanum sextum in professione fidei his verbis. *Trinitas, nec minor in singulis, quam in omnibus, nec maior in omnibus, quam in singulis Personis manet.* Similiter Toletanum vndecimum in professione fidei. *Nec minorat in singulis, nec augetur in tribus, quia nec minus aliquid habet, cum vnaquaque Persona Deus singulariter dicitur, nec amplius, cum tota tres Personæ vnus Deus enunciantur.*

Si relationes diuinæ esset plures perfectiones, perfectior esset Trinitas, quam solus Pater.

75 Si dicas, solum Patrem tam perfectum esse, quam totam Trinitatem, quia licet solam habeat perfectionem Paternitatis, hæc tamen æquiualet omnibus, & singulis aliis relationibus, quia omnes inter se sunt æquales, nec vna est altera melior, aut perfectior; vt autem Trinitas perfectior esset solo Patre,

opus erat includere relationē aliquā Paternitatē perfectiorem.

76 Contra, quia Deus perfectior est cum tribus Personis, quam esset cum solo Patre, etiam si Pater cæteris personis æquiualeat, sitque illis æqualis: ergo & Trinitas continens omnes Personas, perfectior erit solo Patre. Probatur consequentia. Ideò Deus cum tribus Personis perfectior est, quam esset cum vnica tantum, quia plures continet perfectiones, quantumuis æquales inter se: Trinitas autem plures continet perfectiones, quam Pater: ergo etiamsi illæ sint æquales inter se, tamen Trinitas erit solo Patre perfectior. *Confirmatur*, nam vt ostendimus ex Patribus sect. præcedenti, diuinitas cum Paternitate, & sine Filiatione detrimentum, & imperfectionem pateretur, idemque fieret defectu cuiusuis alterius relationis: ergo maior erit perfectio diuinitatis cum omnibus relationibus, quam cum vnica tantum: ergo maior perfectio erit Trinitas Personarum, quam solus Pater, vel solus Filius.

Relationes diuinæ plures sunt perfectiones, & non tantū vnica

77 His tamen non obstantibus, placet sententia prior docens, relationes diuinas, vt ab essentia distinctas esse plures perfectiones. Primo, quia relationes, vt distinctæ ab essentia, sunt perfectio, vt fatentur nobiscum aduersarij: Relationes autem vt distinctæ ab essentia sunt plures: ergo si vnaquæque, vt distincta ab essentia, & ab omni absoluto, sit perfectio, plures erunt perfectiones. *Confirmatur*, vel perfectio, quæ est in Paternitate vt distincta ab essentia, & ab omni absoluto, est eadem in Filiatione, vel non? Si non est eadem: ergo diuersa. Si est eadem: ergo Paternitas; & Filiatio, & omnes diuinæ relationes identificantur cum perfectione vnica omnibus communi; quod est, in solis relationibus, nouum Trinitatis erigere mysterium.

78 Secundo vnica perfectio omnium relationum non est quid absolutum, aliter relationes, vt distinctæ ab omni absoluto, non essent perfectio: ergo est quid relatiuum, cum medium non sit: ergo est relatio distincta à Paternitate, Filiatione & spiratione, tam actiua, quam passiua, cum identificetur pluribus inter se realiter distinctis, non minus quam relatio spiratoris. Atq; adeò in Deo quinque relationes erunt. De quibus

quibus omnibus idem iterum instauratur argumentum. Nam quinque relationes essent vnica perfectio; atque adeò hæc esset sexta relatio, & sic ininfinitum: ergo omnes relationes non sunt vnica perfectio, sed plures.

79 Dices, vnicam perfectionem omnium relationum consistere indiuisibiliter in coniuncto omnium earum: sicut vnica Trinitas consistit in coniuncto omnium personarum. Atque adeò ex vnica relationum omnium perfectione, non sequitur noua relatio, nec nouum Trinitatis mysterium. Ad quod opus erat, vnicam illam perfectionem, esse simplicem, & pluribus distinctis identificatam.

Responsio contendens perfectioné diuinam esse coniunctû omnium relationum.

80 Contra, quia Paternitas, vt distincta ab essentia, non est omnis relatio, cum neque sit Filiatio, nec spiratio passiua, adhuc realiter; ergo neque est coniunctum omnium relationum: ergo neque perfectio, cum ista consistat indiuisibiliter in coniuncto omnium relationum. Idem argumentum fieri potest de Filiatione, & quacumque alia relatione diuina. *Confirmatur* primo, nulla Persona diuina est tota Trinitas: ergo nulla persona diuina erit perfectio, quod negant aduersarij, contendentes, vt vidimus numero 74. quamlibet Personam esse tantam perfectioně, quam tres omnes simul. Confirmatur secundo, quod bonitas, & perfectio cõplexa, ex pluribus constituentibus, consurgat, non impedit quominus, singula constituentia sint bonitas & perfectio, saltem partialis: ergo quamuis cumulus omnium relationum sit perfectio complexa, id non obstabit, quo minus singulæ relationes sint perfectio saltem partialis.

81 Nec dicas Paternitatem, vt distinctam à cumulo omnium relationum, perfectionem non esse. Tum quia perfectio, tam in diuinis, quam in creatis est illa, cumqua res melius se habet, quam sine illa, vt vidimus numero 61. Deus autem cum Paternitate, vt distincta à cumulo omnium relationum, melius se haberet, quam sine illa: ergo erit perfectio; sicut cumulus omnium relationum ideo perfectio Dei est, quia cum illo Deus melius se habet, quam sine illo. Tum etiam, quia si Peternitas vt distincta à cumulo omnium relationum perfectio non esset, solus Pater, tam perfectus non esset, quam tota Trinitas;

Quælibet relatio vt distincta à cumulo omnium perfectio est.

imo sola Trinitas perfecta esset: & non singulæ personæ, vt distinctæ ab aliis. Quod tanquam absurdum obiiciebant nobis aduersarij numero 74. ex Augustino lib. 15. de Trinitate c.3. asserente. *Clarum est in substantia veritatis, non solum Patrem Filio non esse maiorem, sed nec ambos simul aliquid maius esse, quam solum Spiritum S. aut quoslibet duos in eadem Trinitate maius esse aliquid, quam vnum, aut omnes simul tres maius aliquid esse, quam singulos.*

Aliqua perfectio est formaliter in vna persona, quæ non est formaliter in altera.

82 Restat nunc, vt oppositis fundamentis occurramus. Ad primum ergo ex numero 69. dicimus nullum esse inconueniens, quod aliqua perfectio relatiua sit in Patre, quæ formaliter non sit in Filio, dummodo sit in Filio æquiualenter; quia in ratione quælibet perfectio vnius Personæ reperitur in altera, cum ratione essentiæ sit æquiualenter altera, id est tantum valens, quantum altera. Nec de ratione perfectionis relatiuæ est, esse simpliciter infinitam in omni genere perfectionis, sed in proprio tantum. Sicut de ratione Paternitatis non est esse simpliciter infinitam in omni genere relationis, sed in proprio tantum.

Quo pacto omnia prædicata necessaria sint de ratione diuinæ perfectionis.

83 Ad secundum ex numero 71. dicimus, omnia prædicata necessaria esse de ratione diuinæ perfectionis aggregatim sumptæ, non vero singillatium consideratæ. Quod si per impossibile deficeret in Deo sola Filiatio cæteris manentibus, non omnis periret diuina perfectio, sed vnica tantum ex cuius defectu cæteræ imperfectæ manerent, non quia intrinseca earum perfectio periret, sed quia deficeret extrinseca, admodum, quo res suis proprietatibus spoliata maneret extrinsece imperfecta, id est, priuata termino, quem innate appetit.

Trinitas personarum non est intensiue perfectior solo Patre nec solo Filio, aut Spiritu sancto.

84 Ad tertium ex numero 74. dicimus Trinitatem Personarum non esse intensiue perfectiorem solo Patre, nec solo Filio, sed extensiue tantum. Nec aliud contendi ab Augustino asserente, omnes tres Personas, non esse maius aliquod, quam singulas. Quia cum singulæ Personæ sint æquales in perfectione, eiusdemque æstimabilitatis & valoris simpliciter infiniti; omnes simul, possunt quidem maiorem perfectionem extensiuam constituere; non vero intensiuam; quia id non patitur perfectio simpliciter infinita; quamuis in creatis, & finitis,

finitis, res aliter contingat, eo quod vna perfectio creata propter limitationem suam cæteris omnibus æquiualere minimè possit.

SECTIO VIII.

An relationes diuinæ dicant æqualem perfectionem cum essentia.

85 DIxi iam supra quæstionem non procedere de perfectione morali, sed physica & entitatiua. Dupliciter ergo potest vna res excedere aliam in perfectione physica, & entitatiua. Primo intensiue, eo quod maioris sit excellentiæ, & dignitatis, quam altera. Secundo extensiue, eo quod vna plures habeat perfectiones, quantumuis inter se æquales, quam altera. Difficultas ergo est, An relationes vt ab essentia distinctæ dicant inter se tantam perfectionē intensiuam, quantam dicit essentia. Id est an virtualitas Paternitatis (idemque est de Filiatione, & aliis) tantæ æstimabilitatis, & dignitatis sit, quam virtualitas essentiæ. Nec procedit controuersia de virtualitate relationum materialiter sumpta, seu quatenus identificata materialiter essentiæ, quia cum vt sic dicat essentiam & hæc non sit perfectior se ipsa nec poterit esse perfectior virtualitate relationis materialiter sumpta. Agitatur ergo difficultas de virtualitate relationis formaliter sumpta, & quatenus ab essentia virtualiter distincta.

86 *Prior* sententia affirmat relationes tantam dicere perfectionem intensiuam, quantam dicit essentia. Ita DD. existimantes omnes diuinas perfectiones esse æquales inter se. Ita P. Gaspar Hurt. disp. 1. difficult. 9. P. Aldrete de Incarn. disp. 48. sect. 5. P. Quiros disput. 18. section. 4. Card. de Lugo de Incarn. disp. 2. sect. 4. numero 5. citans pro se Augustinum. Fulgentium. Gregorium Nazianzenum. Ricardum Victorinum Scotum P. Grenadum. P. Arrubal, & Alios. *Posterior* sententia negat relationes diuinas tantam dicere perfectionem intensiuam. P. G. Hurt. P. Aldrete P. Quiros Cardin. de Lug. Scotus P. Grenadus P. Arrubal.

P. Herice
P. Bernal
P. Ripalda
P. Arriaga
P. Ribas

quantam dicit essentia. Ita Pater Herice disp. 5. à n. 12. P. Bernal de Incarnatione disp. 3. sect. 1. num. 13. Pater Ripalda de ente supernaturali disp. 74. num. 4. P. Arriaga tom. 1. in 1. part. disp. 27. sect. 4 circa inæqualitatem diuinorum actuum. P. Ribas tract. 1. disp. 1. num. 10. & plures Recentiores cum ipsis.

Relationes diuinæ non dicunt formaliter tantum perfectionem intensiuam, quantum dicit essentia.

87. Assero, diuinas Relationes non dicere formaliter tantam perfectionem intensiuam, quantam dicit essentia. Probatur primo, concusso vnico aduersariorum fundamento, ideo asserente omnes diuinas perfectiones esse formaliter intensiue æquales, quia omnes exparte sua dicunt identitatem realem cum essentia; hoc autem fundamentum non subsistit: ergo. Minor Probatur quia scientia, & volitio libera adæquate sunt realiter idem cum Deo in sententia fere omnium aduersariorum, & formaliter ex parte sua: vtraque dicit identitatem realem cum diuina essentia: nec tamen scientia, nec volitio libera dicunt formaliter tantam perfectionem intensiuam, quantam dicit essentia ergo ea identitas non est subsistens fundamentum ad omnes diuinas perfectiones asserendas æquales. Minor probatur, quia scientia, & volitio libera vera potuerunt deficere, & non esse, saltem quoad denominationem, quatenus denominationem, quæ denominatio, quatenus denominans, dicit ex parte sua identitatem realem cum essentia. ergo non dicunt tantam perfectionem in intensiuam, quantam dicit essentia. Patet consequentia, nam quod est defectibile tantam perfectionem intensiuam non dicit, quam indefectibile; vt videtur per se notum: ergo neque scientia & volitio defectibiles tantam perfectionem intensiuam dicent, quantam dicit indefectibilis essentia.

Indefectibilitas tam physica, quam moralis maior est perfectio quam defectibilitas.

89 Confirmatur. Si essentia diuina esset defectibilis, non diceret tantam perfectionem intensiuam, quantam modo dicit, ratione indefectibilitatis: ergo cum scientia, & volitio libera defectibiles sint, neque dicere poterunt tantam perfectionem intensiuam, quantam dicit indefectibilis essentia, nec illius perfectioni æquiualere poterunt ratione identitatis realis, quam ex parte sua dicunt cum essentia, cum ea identitas non minus defectibilis sit quam ipsa scientia, aut volitio libera, saltem quo ad denominationem, vnde enim identitas defectibilis

inde

indefectibili poterit æquiualere? Roboratur vlterius. Nam indefectibilitas à vero, & bono maior est perfectio intensiua, etiam in Deo, quam defectibilitas: ergo indefectibilitas ab existentia maior erit perfectio intensiua, etiam in Deo, quam defectibilitas.

89. Probatur secundo conclusio. Nam attributa & relationes secundum se præscindendo ab identitate cum essentia, non dicunt tantam perfectionem intensiuam, quantam essentia, aliter ad æqualitatem perfectionis inutilis esset recursus ad identitatem: ergo nec ratione identitatis cum essentia tantam dicent perfectionem. Probatur consequentia, *Primò*. quia identitas ex parte relationis, aut attributi cum essentia non est intensiue perfectior, ipsa relatione aut attributo secundum se: ergo neque ratione illius poterit attributum aut relatio æqualem dicere perfectionem cum essentia. *Secundò*, quia essentia secundum se, & ratione sui, dicit infinitam perfectionem intensiuam; attributa vero, & relationes ratione accessus ad assentiam per identitatem cum illa: ergo maior erit intensiua perfectio essentiæ, nam id propter quod vnumquodque est tale, & illud magis. *Tertiò*, quia si mensura diuinæ perfectionis intensiuæ pensanda esset ex identitate cum essentia, hoc ipso essentia esset maior perfectio intensiua, essentia autem maiorem habet identitatem cum se ipsa, quam relationes, & attributa cum illa, ergo & maiorem perfectionem intensiuam. Minor certa est, nam relationes & attributa solam dicunt identitatem realem cum essentia, essentia vero dicit identitatem realem, & virtualem cum se ipsa: ergo & maiorem identitatem, atque adeo & maiorem perfectionem intensiuam. *Quarto*, quia essentia non redditur æqualis relationibus & attributis per identitatem cum ipsis sed ex propiis prædicatis essentiæ: ergo si predicata propria relationum, & attributorum non dicant tantam perfectionem intensiuam, quantam dicunt prædicata essentiæ, nec ratione identitatis dicent.

Fundamentum identitatis vt essentia ad æqualitatem perfectionũ diuinarum iterum probatur insufficiens.

90. Si dicas, essentiam euadere intensiue æqualem cum relationibus, & attributis per identitatem cum ipsis. *Contra*, quia inde fieret, essentiam, attributa, & relationes secundum se, &

Præoccupatur effugiũ si forte attenterur.

& præcisa omniũ identitate, esse intensiue æquales atq; adeò ad id nihil conducere identitatẽ, quod intendimus. Sequella. Probatur, quia si ab æqualibus æqualia detrahas, aut præscindas; manent æqualia secundum id quod remanet, aut non præscinditur, licet inæqualitate diuersa; ita si ab vtraque qualitate intensa vt octo detrahas, aut præscindas duos gradus, qualitates remanentes manent æquales, videlicet vt sex: ergo idem erit de gradibus perfectionis: ergo præcisa identitate omnium diuinarum perfectionum, omnes erunt æquales æqualitate prædicatorum, cum identitas ab omnibus præcisa, sit æqualis in illis.

Maior essentiæ perfectio ex summa fœlicitate probatur.

91 Probatur tertio. Quod est formaliter summe fœlix, est intensiue perfectius, quam quod tale formaliter non est, relationes autem cum sua identitate ad essentiam non sunt formaliter summe fœlices, bene vero essentia; ergo. Minor probatur, quia summa fœlicitas in summa beatitudine consistit, & summa beatitudo in perfectissima cognitione summi boni; relationes autem non sunt formaliter summa beatitudo, cum non sint cognitio summi boni: ergo, neque summa beatitudo. Similiter quod est formaliter intelligens, maior est formaliter perfectio intensiua, quam quod tale non est; essentia autem diuina est formaliter intelligens, non vero relationes; ergo. Pariter quod est formaliter intellectio, maior est formaliter intensiua perfectio, quam quod tale non est; relationes non sunt formaliter intellectio; ergo intellectio maior erit perfectio intensiua, quam relatio. Idemque est de volitione respectu eiusdem intellectionis,

Aduersariorum responsio, relationes æquiualere summæ fœlicitatis essentiæ.

92 Respondent aduersarij, relationes, quamuis non sint formaliter summa beatitudo, qualis est essentia, esse tamen summam beatitudinem æquiualenter, quia æquiualent illi ratione identitatis realis cum illa. Idem asserunt de intellectione, & intelligente, cæterisque perfectionibus diuinis, quia licet relationes diuinæ nec sint formaliter intelligentis, nec intellectio, his tamen omnibus æquiualent. Idemque est de amore respectu intellectionis.

Enerueratur responsio

93 Hæc tamen responsio, ni fallat animus, videtur principij petitio. Nam vnum non habens formaliter perfectionẽ alterius,

æquiualere

æquiualere illi & esse æqualis perfectionis cum illo, verba sunt synonyma; ergo dicere, relationes esse æqualis perfectionis cum essentia, quia æquiualent, idem est ac dicere, relationes esse æquales, quia æquales sunt. Deinde non satisfacit, quia quod non est formaliter summa fœlicitas, non potest illi æquiualere: sed relationes cum sua identitate cum essentia non sunt formaliter summa fœlicitas ergo nec possunt illi æquiualere. Maior probatur, quia quod non est formaliter summa fœlicitas, hoc ipso est formaliter extra, vel infra summam fœlicitatem: ergo non potest æquiualere summmæ fœlicitati. *Confirmatur*, si visibilitas esset proprietas virtualiter à rationalitate distincta, numquam formaliter æquiualeret rationalitati, nec esset formaliter æqualis perfectionis intensiue cum illa; ergo neque relationes cum essentia, cum non minorem distinctionem virtualem dicant ab illa.

æquiualentiæ, & quid tei ea verba contineant.

94 Probatur quarto. Nam intellectio vt sic est formaliter perfectior volitione vt sic, & similiter relatione, etiam si non esset Dei essentia; cum genus intellectiuum de suo perfectior sit genere volitio, & respectiuo alterius: ergo etiam intellectio diuina perfectior erit formaliter volitione, & relatione diuina. Probatur consequentia, antecedens enim conceditur ab aduersariis. Nam si inæqualibus addantur æqualia, quantũuis infinita, semper remanent inæqualia: intellectio autem, volitio & relatio vt sic, sunt inæquales: ergo cum differentia diuina illis addita sit in omnibus æqualis, quantumuis infinita, manebunt inæquales. Maior videtur euidens, nam si numeris millenario, & centenario, superaddantur duo numeri infiniti æquales, numeri consurgentes remanent semper inæquales, quantumuis additio infinita sit, quia æqualis est, & inæqualibus superaddita: ergo cum intellectio ex vno capite, & relatio aut volitio ex alio, sint inæquales secundum se ex genere suo, differentia autem diuina vtrique addita sit inæqualis, inæquales semper remanebunt.

Maior essentiæ perfectio probatur ex inæqualitate perfectionũ secundum se, & æqualitate differentiarum in Deo.

95 Respondent Recentiores primo. Intellectionem, & volitionem diuinas manere æquales, etiam si inæqualibus ex suo genere addantur æqualia: nam collectio ratione suæ infinitatis simpliciter continet illum excessum, quo intellectio ex suo ge-

Primo Recentiorum responsio.

 nere

nere superat volitionem: quod non militat in instantia illa duplicis numeri infiniti æqualis additi numero millenario, & centenario, nam excessus, quo mille superat centum, non continetur in illo infinito, cui solum centum ad dicta sunt, æquiualentia aliqua compensante excessum.

Responsio ostenditur insufficiens, & à suo fundamento deficiens.

69 Hæc tamen responsio non soluit argumentum. Nam licet differentia diuina simpliciter infinita sit, vt tamen omnino æqualis in intellectione, & volitione: ergo compensare non potest intellectionis excessum, cum nihil habeat differentia volitionis, quo differentiam intellectionis excedat. Ideò enim numerus infinitus additus centenario non potest componere excessum millenarij, quia est omnino æqualis numero infinito addito millenario. Addo responsionem istam clare à suo illo fundamento identitatis deficere. Nam infinitas cuiusuis diuinæ perfectionis non habetur formaliter à præcisa identitate cum altera, sed à propria perfectione, & modo tendendi illimitato in suum terminum, vel obiectum: vt ipsimet respondentes expresse tenent explicantes infinitatem simpliciter attributorum, & essentiæ, intellectionis, volitionis, omnipotentiæ, immensitatis, &c. vbi nulla fit mentis identitatis cum essentia, & seorsim ab illa explicatur infinitas simpliciter cuiuscunque diuinæ perfectionis. Quod si illa omnes constituerentur formaliter æqualis, potius æqualitas per ordinem ad carentiam limitationis, quam per identitatem vnius cum altera explicanda foret: ergo vel illa responsio non subsistit, vel fundamentum identitatis cum essentia derelictum est.

Secunda Recentiorũ responsio differentias inæquales in Deo constituens.

97 Respondent secundo. Intellectioni, & volitioni non addi æqualia per differentias diuinas, sed inæqualia; plus enim additur volitioni quam intellectioni. Nam volitioni additur exigentia intellectionis, quæ plus est, quam exigentia volitionis addita intellectioni; cum intellectio ex suo genere nobilior sit volitione. Quocirca non adduntur inæqualibus æqualia, sed inæqualia. Nam exigere intellectionem, quæ ex suo genere perfectior est volitione plus aliquid est, quam exigere volitionem, quæ ex suo genere minus perfecta est quam intellectio. Vnde per eam exigentiam intellectionis, quæ additur volitioni sufficienter compensabitur excessus intellectionis.

98 Mirandi

98 Mirandi sane sunt recentiores hanc solutionem scribentes, & dictantes, & non animaduertentes donari nobis intentum; videlicet differentias diuinas additas intellectioni & volitioni inæquales esse quod intendimus. Nec video quid in eorũ sententia subsistere possit doctrina illa. Si enim exigentia intellectionis addita volitioni & exigentia volitionis addita intellectioni, inæquales sunt, eo quod termini secundum se sint inæquales: ergo etiam cognitiones obiectorum inæqualium, vt hominis, & Angeli, inæquales erunt. Vrgeo nam differentia intellectionis plus exigit intellectionem, quam differentia, volitionis: ergo ex hoc capite perfectior non erit differentia volitionis. Antecedens probatur, quia differentia intellectionis exigit illam secum virtualiter identificatã; differentia vero volitionis tantum exigit intellectionem realiter secum identificatam: ergo perfectior erit differentia intellectionis. Roboro vlterius, nam exigentia intellectionis ad volitionem se tenet ex parte intellectionis; & similiter exigentia volitionis ad intellectionẽ se tenet ex parte volitionis: ergo cum intellectio sit perfectior etiam exigentia se tenens ex parte illius perfectior erit; aliter quæcunque essentia; quatenus radix suarum proprietatum imperfectior esset illis: nam proprietates exigerent essentiam de se nobiliorem, essentia vero proprietates de se minus perfectas. Inconsequẽtia præcedẽtis responsionis aperitur.

SECTIO X.

Soluuntur obiectiones.

99 Obiicies primo aliquos Patres asserentes omnes diuinas perfectiones esse æquales. *Respondeo*, eos Patres locutos de æqualitate reali, nam cum omnes sint realiter idem cum essentia, & hæc omnes diuinas perfectiones contineat, vel formaliter, vel virtualiter, vnde omnibus collectiue æquiualet, inde nulla diuina perfectio realiter sumpta potest esse maior alia. His tamen optime consonat vnam diuinam perfectionem esse alteri formaliter inæqualem. Exponuntur Patres omnia diuina æqualia commendantes.

100 Obiicies 2. à priori, quælibet, diuina perfectio, siue absoluta, siue relatiua quatenus distincta virtualiter ab essẽtia habet exi- Fundamentum à priori

oppositæ sententiæ, eiusque solutio.

gentiam virtualiter sibi identificatam identificandi se realiter cum essentia : stante autem huiusmodi exigentia, nulla potest inter ipsas inæqualitas intensiua reperiri : ergo. Minorem quam solam negamus, ita probant *Primo*, quia nulla est excogitabilis intensiua inæqualitas inter perfectiones quarum quælibet est realiter, & exigit esse totam aliam exigentia virtualiter indistincta : sed ratione identitatis quælibet perfectio hoc habet : ergo. *Secundo*, Nam quælibet relatio est realiter tota perfectio essentiæ, quam sibi exigit identificari realiter etiam cum virtuali distinctione ab illa ; ergo non erit minus intensiue perfecta quælibet relatio, quam essentia. *Respondeo* negans minorem. Ad primam illius probationem negamus maiorem. Et ad secundam concesso antecedente, negamus consequentiam de inæqualitate formali. quia sola probatur æqualitas realis.

Aliud fundamentum sumptum ex æquali æstimabilitate relationum cum essentia, dirutum.

101. Obiicies tertiò, non est minus æstimabilis formaliter Paternitas, aut relatio virtualiter exigens sibi identificari realiter essentiam, quam ipsa essentia : ergo neque erit intensiue minus perfecta, cum æqualis æstimabilitas æqualem arguat perfectionem. Antecedens probatur, quia licet Paternitas aut volitio, vt distincta virtualiter ab essentia, non sit formalis habitio essentiæ, est tamen æquiualens ; quiuis enim tanti æstimabit identitatem realem cum aliqua perfectióne, ac ipsam perfectionem, nam per identitatem cum illa iam illam habet medio efficacissimo ad eius consecutionem, habetque strictius ; quam habens sub se actionem dicitur habere terminum : ergo non est minus æstimabilis Paternitas, aut volitio cum sua distinctione virtuali ab essentia, quam ipsa essentia. *Respondeo* negans antecedens, eiusque probationem. Paternitas enim formaliter cum sua identitate cum essentia, non tantum valet, quantum ista, vt constat ex dictis ; atque adeo nec æquiualet illi.

Inæqualitas diuinarum Personarum obiecta, sed non admissa.

102 Obiicies quartò, fieri ex nostra sententia Diuinas personas esse inæquales intensiue, cuius oppositum conuincunt Theologi ex Symbolo Athanasij docente, esse coæternas, & coæquales. Sequela probatur, quia Filio ex vi processionis communicatur essentia, Spiritus vero sola volitio, quæ neque

est

est formaliter essentia, nec tantæ perfectionis intensiuæ cum illa: ergo Filius erit Spiritu sancto Intensiue perfectior. Cuius oppositum docet Augustinus lib. 15. de Trinitate capite 30. aiens. *Clarum est in substantia veritatis non solum Patrem Filio non esse maiorem, sed nec ambos simul aliquid maius esse, quam solum Spiritum sanctum, aut quoslibet duos in eadem Trinitate, maius esse aliquid quam vnum, aut omnes simul tres maius aliquid esse quam singulos.* Quam doctrinam Augustini vnanimes sequuntur Patres. *Respondeo* negans sequelam, eiusque probationem. Nam vtrique personæ procedenti ex vi formalis processionis communicatur essentia, ratione cuius, vt pote æquiualentis omni diuinæ perfectioni, quælibet persona est alteri, & omnibus intensiue æqualis, cum nulla sit quæ non includit formaliter essentiam.

103. Obiicies quintò. Fieri saltem ex nostra sententia diuinas relationes, vt ab essentia distinctas esse formaliter intensiue inæquales inter se, quod videtur contra concilium in responsione data per Protogenem Sardicensem §. *Non difficile* statuens. *Vna est diuinitas Sanctæ Trinitatis, quæ in tribus subsistentiis perfectis & æqualibus consideratur: ergo.* Sequela probatur; Vsum quia ideo essentia est perfectior attributis, quia est eorum radix, & improducta; similiter autem Paternitas est principium Filiationes & improductæ. Ergo. Vsum etiam quia Paternitas, & Filiatio sunt generis intellectiui, spiratio vero tam actiua, quam passiua generis volitiui; Vnde nos inter intellectionem & volitionem intensiuam inæqualitatem probabamus: ergo. *Respondeo* concedens sequelam, nec eam Nicœno contrariam esse, quia tres subsistentiæ sumuntur, vel pro tribus personis. Quam interpretationem dat nobis prima Synodus constantinopolitanus epist. ad damasum Papam ita loquens. *Credimus æqualem honorem, ac dignitatem, & imperium coæternum in tribus perfectissimis subsistentiis, seu tribus perfectis personis.* Vel sermo est de æqualitate reali.

Inæqualitas formalis relationum inter se obiecta, & admissa.

104. Instabis primo: si subsistentiæ essent formaliter inæquales, etiam essent personæ: id falsum est: ergo. Sequela probatur *Primo*, quia personæ diuinæ non minus includunt formaliter essentiam, quam relationes: ergo si istæ essent per-

Ex inæqualitate formali relationum.

inter se, non probatur inæqualitas personarum

sonæ. *Secundo*, quia omnes personæ sunt æquales in essentia: ergo si in relationibus essent inæquales; etiam in ratione personæ inæquales essent. Patet consequentia, nam inæqualitas addita æqualitati constituit inæquale, vt nos supra argumentabamur: ergo inæqualitas relationum addita æqualitati essentiæ constituunt personas inæquales. *Respondeo* negans sequellam. Ad primam probationem concesso antecedenti, neganda est consequentia. Nam etiam si omnes personæ æqualiter essentiam, & relationem includant, ratione tamen essentiæ adequate continentis omnem aliam perfectionem diuinam, euadunt æquales. Ad secundam probationem concesso antecedente negamus consequentiam, & ad probationem distinguimus antecedens. Inæqualitas addita æqualitati adæquate continenti inæqualitatem constituit inæquale, nego. Non continenti, concedo: & nego consequentiam. Nam essentia diuina est æqualitas adæquate continens inæqualitatem omnium relationum, & attributorum, ideoque ex essentia, attributis, & relationibus inæqualibus non potest inæquale consurgere. Nostrum vero argumentum contra aduersarios non procedebat de vna perfectione continente aliam, id circo loquens de intellectione dixi, *etiam si non esset Dei essentia*; id est, etiam si non contineret relationes, nec volitionem.

Continentia tantum virtualis relationum non obstat maiori perfectioni essentiæ.

105. Instabis secundo, essentia non continet formaliter relationes, sed virtualiter tantum: ergo nec continebit formaliter excessum perfectionis Paternitatis respectu Filiationis. *Respondeo* concesso antecedenti negans consequentiam. Nam continentia virtualis essentiæ est formaliter tanta, & maior perfectio, quam Paterniras; atque adeo continens excessum Paternitatis respectu Filiationis.

Eligibilitas diuinarum perfectionũ obiecta.

106. Instabis tertio; si vna relatio esset formaliter intensiuæ inæqualis alteri, vna esset maioris eligibilitatis quam altera; id falsum est: ergo. Minor videtur certa, quia vna relatio, siue personalitas non potest esse maioris eligibilitatis quam altera, nisi quia perfectiorem constitueret personam ergo cum id falsum sit, falsum quoque erit maioris esse eligibilitatis. Maior vero probatur, quia regula maioris perfectionis intensiuæ est maior eligibilitas: ergo si vna relatio esset & formaliter intensiue per-

fectior

fectior alia, maioris quoque eligibilitatis esset, quam altera. *Respondeo* negans maiorem eiusque probationem. Maioris enim eligibilitatis est ingens thesaurus quam vilis seruus, & maioris eligibilitatis sunt mille argentei, quam vnus aureus, cum tamen seruus sit intensiue perfectior thesauro, & aurum argento, quantumuis infinito. Inde diuinæ personalitates, quãuis æqualiter eligibiles, inæquales esse possunt. Et ratio est, quia maior eligibilitas alicuius rei mensuratur, vel à maiori personæ eligentis vtilitate, vel quia persona eligens maius perfectionis incremẽtum cum vna potius quam cum altera comparabit: cũ autem persona diuina quacunque relatione constituta eiusdem sit dignitatis & perfectionis, inde vna relatio præ altera magis eligibilis non est, cum ad aliud eligibilis non sit, quam ad constituendam personam.

Inæqualitas diuinarum relationum non reddit illas inæqualiter eligibiles.

108. Obiicies quinto. Fieri ex nostra sententia perfectiones attributorum & relationum non esse adorabiles summo cultu, nec amabiles summo amore, quod est absurdum: ergo. Sequella probatur, quia quæ maior est excellentia, bonitas, & perfectio ratione cuius aliquis colitur, & amatur, eo debet esse maior cultus, & amor: ergo cum maior sit excellentia & perfectio essentiæ, quam attributorum, & relationum, maiori cultu adorare tenemur, & maiori amore prosequi essentiam, quam attributa, & relationes: ergo illam summo cultu & amore prosequi tenemur; vnde attributa, & relationes cultu inferiori, & amore; atque adeo non summo. Idemque erit de vna relatione aut attributo inæquali alteri.

Inæqualis cultus & adoratio essentiæ, & relationibus obiicitur exhibenda.

109. Respondeo negans sequellam. Nam ab eodem habitu prodire possunt actus circa obiecta inæqualia materialia, imo & formalia, rationem formalem communem habitui continẽtia. Sic idem habitus Misericordiæ circa inæquales pauperes inæquales exhibet subuentiones. Cum autẽ excellentia diuina, seu dominiũ supremũ, quæ est motiuum adorationis latriæ; & bonitas diuina, quæ vt motiuum Charitatis perfectissimæ, sint rationes communes, illa adorandi, ista amandi: inde omnes diuinæ perfectiones, vt pote excellentes, & bonæ quamuis inæquali formaliter excellentia, & bonitate, eodem supremo Latriæ, & Charitatis habitu adorantur, & diliguntur. Quod si nomine summi cultus, & amoris, intendat obiectio actũ intra

eundem habitum omnium summum, & perfectissimum; negamus illum possibilem cum communi Philosophia, etiã respectu essentiæ. Si vero contendatur, gradum aliquem perfectionis, aut intensionis actus creati, debitum esse essentiæ, & tantundem debitum non esse cuilibet perfectioni diuinæ. Negatur id etiam. Nam cum omnis dilectio, & adoratio creata, finita est, nulla est, quæ diuinam aliquam perfectionem, quantumuis minimam; adæquet: atque adeò quæcunque intensione, aut perfectione adoretur à nobis, aut diligatur essentia, tantumdem debetur cuilibet perfectioni diuinæ.

Obiicitur diuina complacentia circa relationes, & essentiam.

110 Obiicies vltimo. Complacentia diuina est regula & mensura diuinæ perfectionis intensiuæ: vel ergo Deus magis complacet in essentia diuina quatenus ab attributis, & relationibus distincta, quam in attributis, & relationibus, quatenus ab essentia distinctis: vel non? si non magis complacet: ergo omnes sunt æquales. Si magis complacet: ergo maioris æstimabilitatis, bonitatis & amabilitatis erit apud Deum essentia vt ab attributis & relationibus distincta, quam ipsæ relationes & attributa, quod videtur absurdum. Hoc argumentum obiicientis expugnat. Nam vel Deus æque complacet in bonitate, creata & diuina, vel non? Si primum: ergo æquales erunt bonitas & perfectio creata & increata, quod dici non potest. Si secundum: ergo maior erit complacentia in bonitate & perfectione diuina, & minor increata, & consequenter inæquales, atque adeò vna maioris æstimabilitatis, bonitatis, & amabilitatis quam altera.

Deum magis complacere in essentia quam in relationibus vt ab illa distinctis nullum est inconueniens.

111 Respondeo, Deum magis complacere formaliter in essentia vt distincta à relationibus, & attributis: quam in ipsis, relationibus, & attributis, vt ab essentia distinctis, idemque est de vna relatione, aut attributo respectu alterius inæqualis: atque adeò essentiam formaliter maioris esse æstimabilitatis, bonitatis, & amabilitatis apud Deum, quam relationes, & attributa, & vnum attributum, aut relatio respectu alterius inæqualis. In quo nec vestigium est absurdi, imo æquitas magna, vt inæquales perfectiones inæquali prosequantur amore.

SECTIO

SECTIO X.

An qualibet relatio sit perfectio simpliciter simplex.

112 TOta hæc controuersia nititur in explicatione perfectionis simpliciter simplicis, in qua multum de nomine contenditur. *Prior* ergo sententia negat relationes diuinas esse perfectiones simpliciter simplices. Quia ad perfectionem simpliciter simplicem non sat est, quod melior sit ipsa, quam non ipsa, sed vlterius opus est, quod in quolibet supposito melior sit ipsa, quam altera quælibet. Inde inferunt nullam relationem diuinam esse perfectionem simpliciter simplicem, nam supposito Patris melior non est filiatio, quã Paternitas; nec supposito Filij melior est Paternitas, quam Filiatio. *Posterior* sententia affirmat esse perfectiones simpliciter simplices, quia ad id satis est, quod cuilibet subiecto melior sit ipsa quã non ipsa, si per impossibile in eo esse posset. Ad eum modum quo dicere solemus; si mihi per impossibile esset eligendum, esse Angelum, vel hominem, mallem esse Angelus. Relationes autem diuinæ meliores essent cuilibet subiecto, si per impossibile eas habere posset, quam quælibet alia perfectio incompossibilis. Ita P. Arriaga disp. 43. sect. 3. sub sect. 4.

Sententia negans cum suo fundamento.

113 Sententia affirmans & similiter cum suo fundamento.

114 Assero, relationem quamlibet diuinam esse perfectionem simpliciter simplicem. Probatur, quia perfectio simpliciter simplex est, quæ melior est ipsa, quam non ipsa; id est, cuius defectus per nullam aliam perfectionem compensabilis est: defectus autem cuiusuis relationis per nullam aliam perfectionem compensabilis est: ergo quælibet relatio erit perfectio simpliciter simplex. Minor probatur, quia defectus Paternitatis, siue non esse illius, per nullam perfectionem creatam compensari potest, vt est certum; neque potest per diuinam compensari: ergo per nullam. Antecedens, quoad secundam partem, probatur; quia defectus Paternitatis diuinæ, siue

Qualibet diuina relatio est perfectio simpliciter simplex.

Contra ... quia ... per nullam aliam perfectionem compensari ... ergo ... erit perfectio simpliciter simplex ... nullam aliam perfectionem compensari ... ergo ... simpliciter ... non sufficit ... nomine ... [illegible]

non dari Paternitatem in Deo, compensari non potest per essentiam, neque per aliam relationem, cum neque per essensentiam, neque per relationes filiationis, aut spirationis, vacuitas Paternitatis compleretur, imo maneret semper Deus cum defectu Paternitatis, quin loco istius subrogaretur aliquid æquiualens, cum quo æque bene Deus se haberet, ac cum Paternitate: ergo Paternitas est perfectio, quæ melior est ipsa, quam non ipsa. Idemque est de Filiatione, & spiratione tam actiua, quam passiua.

115 Dices ad perfectionem simpliciter simplicem non sat esse, quod illius defectus in Deo non possit compensari per aliam perfectionem, sed alterius opus esse, quod in nullo subiecto talis defectus compensari possit: defectus autem Paternitatis in humanitate Christi perfectissime compensatur per Filiationem, qua Persona diuina tam perfecta est, quam esset cum Paternitate terminante naturam humanam.

Incompensabilitas ad perfectioné simpliciter simplicem necessaria declaratur.

116 Contra quia defectus ille Paternitatis in humanitate Christi non est defectus simpliciter Paternitatis, sed vnionis illius cum humanitate; eo enim quod Paternitas non terminet humanitatem sequitur dari carentiam, siue defectum vnionis illius cum humanitate; non vero fit dari carentiam Paternitatis, siue non dari Paternitatem in rerum natura, quæ sola carentia est defectus simpliciter Paternitatis. Ad perfectionem autem simpliciter simplicem, satis est, & necesse, quod defectus simpliciter illius per nullam aliam suppleri, aut compensari possit; hoc enim ipso melior est ipsa, quam non ipsa: defectus autem simpliciter cuiusuis relationis per nullam perfectionem, siue creatam, siue increatam compensari potest: ergo quælibet erit perfectio simpliciter simplex. Minor est certa si enim modo per impossibile destrueretur Paternitas diuina, quid conducere posset ad hunc defectum compensandum vnio Filiationis cum natura humana: Hæc enim sufficiens tantum est ad compensandum defectum vnionis Paternitatis cum humanitate.

SECTIO

SECTIO XI.

An essentia diuina includat relationes, vel includatur in illis.

117. VNum alterum includere, præcisis quæstionibus de nomine aliud re non est, quam continere illum, & simul alterum ab eo distinctum, iuxta modum inclusionis, idem enim non includit seipsum. Sic totum dicitur includere partem, quia continet illam, & simul etiam compartem ab ea distinctam. Inclusio vna est realis formalis, quando scilicet includens continet vnum & simul alterum realiter ab eo distintum: sic homo physicè includit animam. Altera est realis virtualis, quando scilicet includens continet vnum, & simul alterum virtualiter tantum ab eo distinctum: sic homo metaphisicè includit animal, si hoc virtualiter à rationali distinguatur. Altera est rationis, quando videlicet includens continet vnum, & simul alterum ratione nostra tantum ab eo distinctum: sic rationale includit ens sola ratione à differentia rationalitatis distinctum. His positis. Inclusio vno realis, altera formalis, vtraque declarata.

118 Assero primo, essentiam diuinam non includere relationes inclusione reali. Probatur, quia, vt vnum alterum realiter includat, hoc debet esse de constitutiuo reali siue materiali illius, nisi quæstio sit de voce: relationes autem diuinæ non sunt de constitutiuo materiali naturæ diuinæ ergo neque realiter includuntur in illa. Minor probatur, quia illud est constitutiuum materiale alicuius entis, quod reperitur in omni supposito, in quo tale ens perfecte & integre reperitur: relationes autem diuinæ non reperiuntur in omni supposito, in quo natura diuina integre reperitur: ergo nec sunt de constitutiuo materiali naturæ diuinæ. Maior ex terminis nota videtur. Minor probatur, nam in qualibet persona integre natura diuina reperitur, cum tamen in ea omnes relationes minime reperiantur, in Patre enim non est Filiatio, nec spiratio passiua, nec in Filio est Paternitas, nec spiratio passiua, nec in Spiritu Essentia diuina non includit relationes inclusione reali.

 sancto

sancto est Paternitas, aut Filiatio: ergo.

Concilium Toletanum Nicœnum Epiphanius Damascen.

119 Confirmatur primò, Nam Concilium Toletanum in professione Fidei statuit ita. *Singulariter vnaquæque Persona plenus Deus sit.* Et Concilium Nicænum apud Nazianzenum breuiori tractatu de Fide Nicœna orat. 3. cap. 5. docet. *Filium esse Deũ de Deo, profectum de perfecto, plenum de pleno.* Id quod vnanimes firmant Patres, Epiphanius hæresi 76. *Singulariter vnaquæque persona est plenus Deus, & totus Deus.* Damascenus 3. de Fide cap. 6. *Confitemur omnem naturam esse in Patre, & omnem & perfectam in Filio, in quo secundum Apostolum inhabitat plenitudo diuinitatis*: ergo cum in Patre nulla ratione sit Filiatio, nec Paternitas in Filio, neque vlla ratione relationes huiusmodi constituere poterunt naturam diuinam. Et ratio est, quia si natura diuina relationibus constitueretur, nulla Persona esset integre Deus cum nulla sit omnis relatio, ex qua integra Deitas consurgeret. Vnde sicut hæc propositio falsa est: *Pater est integra Trinitas*, ita quoque falsa esset ista *Pater est integre Deus.* Idem enim esset, esse integre Deum, & esse integram Trinitatem.

Identitas materialis essentiæ cũ relationibus insufficiens est, vt essentia illis constituatur.

120 Confirmatur secundo. Si natura diuina relationibus constitueretur, maxime, propter identitatem materialem cum illis: id non sufficit: ergo. Minor ostenditur, quia natura diuina similem identitatem habet cum actibus liberis, & contingentibus, vt ostendi de voluntate Dei; nec tamen illis materialiter constituitur; aliter Deus materialiter esset ens contingens, & quod deficere potuisset ergo. *Confirmatur tertio*, Distinctio virtualis inter essentiam diuinam, & relationes sufficiens est, vt relatio materialiter producatur, quin essentia adhuc materialiter producta sit: ergo sufficiens etiam erit, vt natura diuina perfectione absoluta materialiter constituatur, relationibus nec materialiter eam constituentibus; æque enim difficilis apparet vtrorumque extremorum compositio.

Relationes diuinæ non includunt essentiam inclusione reali.

121 Assero secundo, Relationes diuinas non includere essentiã inclusione reali. Est contra P. Soar. 1. par. tr. 3. lib. 4. c. 5. & 7. Probatur, quia relationes diuinæ licet materialiter identificentur essentiæ, non tamen continent illam, & simul aliud realiter ab ea distinctum, cum nihil ab essentia diuina realiter distinguatur

tur

tur,quod ad incluſionem realem propriam,& ſtrictam neceſſarium eſſe,conſtat ex his, quæ poſuimus ſectionis initio: ergo relationes diuinæ non includunt eſſentiam incluſione reali. Secus dicendum eſt de Trinitate Perſonarum reſpectu vniuſcuiuſq; ſingularis; Trinitas enim proprie includit quãlibet Perſonam,quia continet illam,& ſimul alias ab ea realiter diſtinctas.

122 Aſſero tertio, eſſentiam diuinam non includere relationes,neque relationes eſſentiam incluſione virtuali. Tum quia relationes, & eſſentia mutuo virtualiter diſtinguntur,& excluduntur. Tum etiam quia tota relatio v.g. Filiatio producitur, & nihil quod virtualiter eſt eſſentia perducitur. Inſuper tota eſſentia communicatur, & nihil Paternitatis communicatur. Tum præterea, quia ex relatione, & eſſentia conſtituitur Perſona:conſtitutio autem mutuam exigit conſtituentium excluſionem; ita vt neutrum claudat; ſed potius excludat aliud, aliter non minus clauderet conſtituens,quam conſtitutũ,quod falſum eſſe,nullum eſt totum quod non demonſtret. Tum denique,quia eſſentia,& relatio diuerſimode ſe habent,ac Perſona, & relatio;ſiue Perſona, & eſſentia: Perſona autem & relatio ſe habent tanquam includens virtualiter, & incluſum; idemque eſt de Perſona,& eſſentia:ergo eſſentia & relatio ſe habebunt tanquam excludens virtualiter,& excluſum. Eſſentia diuina non includit relationes, neque relationes eſſentiã incluſione virtuali.

123 Aſſero quarto eſſentiam diuinam non includere relationes,neque relationes eſſentiam,incluſione noſtro modo concipiendi Ratio eſt,nam quæ virtualiter mutuo ſe excludunt,quoque ſe excludunt noſtro modo concipiendi; non enim cum fundamento poſſum ergo concipere vnum includere aliud, quod reuera non includit,ſed potius excludit:relationes autem & eſſentia mutuo ſe virtualiter excludunt:ergo etiam noſtro modo concipiendi. Neque incluſione noſtro modo concipiendi.

124 Obiicies primo contra primum aſſertum. Eſſentia diuina conſtituitur materialiter relationibus:ergo non bene infertur à nobis ideo eſſentiam non includere relationes incluſione reali, quia illis materialiter minime conſtituitur. Antecedens probatur. Nam relationes ſunt realiter idem cum eſſentia diuina: ergo de materiali cõſtitutiuo ipſius. Conſequentia probatur,nã tũc aliquid eſt de materiali cõſtitutiuo alicuius, quãdo realiter,

seu materialiter est ipsum constitutiuum: relationes autem diuinæ sunt realiter, seu materialiter ipsa essentia diuina: ergo & de constitutiuo materiali ipsius. Confirmatur, impossibile est, vnam rem eo modo quo est alia, non illam constituere: relationes autem realiter materialiter sunt essentia: ergo realiter materialiter constituunt illam.

Identitas realis relationum & essentiæ, vnde insufficiens inclusioni reali.

125 Respondeo negans antecedens. Ad probationem concesso antecedente, neganda est consequentia. Ad cuius probationem distingo maiorem: Tunc aliquid est de materiali constitutiuo alicuius, quando realiter, seu materialiter est ipsum constitutum absque distinctione virtuali ab illo, prædicata realiter contradictoria componente, propria relationum, & essentiæ, qualia sunt communicari, & non communicari, produci, & non produci, concedo: cum huiusmodi distinctione nego. Similiterque distinguenda est minor, Relationes diuinæ sunt realiter, seu materialiter ipsa essentia diuina cum ea distinctione virtuali ab illa, concedo: sine illa nego. Et neganda est consequentia. Nam sicut distinctio virtualis relationum ab essentia præstat, vnam produci realiter altera improducta, ita etiam præstat essentiam diuinam constitui prædicato absoluto, & non constitui adhuc materialiter prædicato relatiuo. Inde patet ad confirmationem. Etenim sicut impossibile non est, Filiationem identificatam realiter essentiæ produci, & realiter essentiam non produci, ita neque impossibile est relationem identificatam essentiæ non illam realiter constituere.

Nazianzenus aliique Patres explicati.

116 Obiicies secundo, Nazianzenum oratione 5. de Theologia asserentem, Patrem, & diuinitatem sine Spiritu sancto fore imperfectam: ergo Personalitates sunt de perfectione diuinæ essentiæ, ergo essentia Dei perfecta includit relationes. *Respondeo*, relationes perficere essentiam instar proprietatis æquiualentis distinctioni reali nuper expositæ, vnde sicut proprietates realiter ab essentia distinctæ, illam perficiunt, quia materialiter constituant, ita relationes diuinæ. Addo Nazianzenum, & alios Patres, solum contendere naturam Dei fore imperfectam defectu relationis Spiritus sancti, non quia hæc sit de constitutiuo illius adhuc materiali, sed quia deesset illi proprietas æquiualens distinctioni reali, ad eum modum, quo essentia

essentia creata sine proprietatibus ab ea realiter distinctis imperfecta foret.

127 Obiicies tertio. Personalitas est complementum substantiæ, & de constitutiuo substantiæ completæ, Deus autem est substantia completa, ergo & constituta Personalitate, ista autem indistincta est à relatione, ergo. *Respondeo*, Personalitatem esse complementum substantiæ, non absolutum, sed relatiuum, Deus autem non constituitur substantia relatiue completa, sed absolute completa, quare sola constituitur subsistentia absoluta, quia hæc communis est, sicut concretum Dei.

Deus non subsistentia relatiua, sed absoluta cõstitutus.

128 Obiicies quarto, Deus est Pater, Filius, & Spiritus sanctus, ergo constituitur Patre, Filio, & Spiritu sancto, quia esse, & materialiter constitui idem sunt. *Respondeo*, concesso antecedenti, negans consequentiam. Nam Deus ita est Pater, Filius, & Spiritus sanctus, vt sit quid omnibus commune, nulla autem personalitas adhuc materialiter communis est, vnde nec materialiter constitutiua Dei.

129 Obiicies quinto contra tertium assertum, in quo diximus, essentiam non includere relationes inclusione virtuali. Relationes diuinæ virtualiter continentur in essentia, cum hæc sit earum radix, & principium virtuale, ergo virtualiter includuntur in essentia. *Respondeo*, sermonem non esse de inclusione, solum virtute, & eminenter continente aliud, qua ratione dicitur effectus virtualiter in sua causa contineri, & creatura in Deo, sed de inclusione perfectionis formaliter existentis in includente, cum sola distinctione virtuali ab altera similiter etiam contenta in ipso. Quo pacto nec essentia diuina includit relationes, nec relationes essentiam.

Incidens æquiuocatio circa inclusionem, & continentiã virtualem detecta.

SECTIO

SECTIO XII.

An relationes diuinæ sint subsistentiæ.

130 ASsero primo, relationes Personales, scilicet Paternitatem, Filiationem, & Spirationem passiuam, esse subsistentias. Conclusio est omnium Theologorum contra durandum, Scotum, Paludanum, & Capreolum apud P. Soarium 1. part. tract. 3. lib. 3. cap. 4 negantes subsistentias relatiuas, & solam absolutam concedentes. Probatur primo ex Conciliis, & Patribus. Nicœnum lib. 2. de actis in Concilio Nicœno, responsione data per Protogenem Sardicensem §. *non difficile*, ita statuit. *Vna est diuinitas Sanctæ Trinitatis, quæ in tribus subsistentiis perfectis, & æqualibus consideratur.* Prima Synodus Constantinopolitana epistola ad Damasum Papam, decernit. *Credimus æqualem honorem, ac dignitatem, & imperium coæternum in tribus perfectissimis subsistentiis, seu tribus perfectis personis.* Sophronius Patriarcha Hierosolymitanus epist. quæ habetur in sexta Synodo generali actione 11. 4. eiusdem epist. ait *Subsistiis & proprietatibus intellectualibus perfectis numerari Trinitatem.* Iustinus in expositione Fidei de Trinitate. *Maleimus vnius Deitatis in tribus perfectis subsistentiis notitiam exponere.* Denique Hieronymus epist. 57. ad Damasum. *Sufficiat nobis dicere vnam substantiam, tres Personas subsistentes.*

Omnes relationes personales subsistentiæ sunt

Concilium Nicœnum.

Prima Synodus Constantinopolitana.

131 Ratione probatur *secundo* conclusio, Nam in diuinis sunt tres Personalitates tres personas distinguentes: ergo & tres subsistentiæ, cum omnis Personalitas, qua talis, subsistentia sit. *Tertio*, quia vnio hypostatica facta fuit in subsistentia Verbi, qua verissime Christi humanitas subsistit: non autem facta est in subsistentia absoluta: aliter non esset, vnde Filius, potius quam Pater, aut Spiritus sanctus, incarnatus esset cum subsistentia absoluta æqualiter omnibus communis sit; ergo vnio hypostatica facta est in subsistentia relatiua propria Verbi. Minor patet ex Tholetano 6. deficiente, vnionem esse factam in eo, quod est proprium Verbi; solum autem relatiuum est proprium Verbi; ergo facta est, non in sub-

Ratio, vnde omnis relatio personalis subsistentia sit.

ſiſtentia abſoluta, ſed relatiua. *Quartò*, quia tres relationes Perſonales conſtituunt tria concreta ſubſtantiua, tres ſcilicet Perſonas, ad multiplicationem autem trium concretorum, neceſſario multiplicanda eſt natura, vel ſubſiſtentia; natura autem diuina multiplicari non poteſt, nec ſubſiſtentia abſoluta: ergo relatiua.

132 Obiicies primo. Admiſſa ſubſiſtentia abſoluta, ſubſiſtentiæ relatiuæ ſunt inutiles; ergo reiiciendæ. Antecedens probatur, quia Pater, ex vi ſubſiſtentiæ abſolutæ, eſſet per ſe, & ex vi relationis Paternitatis, eſſet incommunicabilis: ergo præciſis ſubſiſtentiis relatiuis, haberet Pater quidquid ad Perſonam neceſſarium eſſet, atque adeò ſuperfluæ erunt ſubſiſtentiæ relatiuæ. *Reſpondeo* negans antecedens, ad probationem diſtingo antecedens, Pater ex vi ſubſiſtentiæ abſolutæ eſſet per ſe Perſona à cæteris diſtincta in eſſe Perſonæ, nego: eſſet per ſe modo omnibus Perſonis communi, concedo. Et neganda eſt conſequentia; quia Pater in eſſe Perſonæ ſingularis ſubſiſtentis diſtinctus eſſe debet à cæteris perſonis. Admiſſa ſubſiſtentia abſoluta nõ ſuperfluunt relatiuæ.

133 Obiicies ſecundo, conceptus ſubſiſtentiæ, & relationis pugnant inter ſe: ergo non poſſunt in diuina relatione componi. Antecedens probatur, nam relatio eſt ad aliud; ſubſiſtentia vero eſt ad ſe: idem autem non poteſt eſſe ad ſe, & ſimul ad aliud: ergo neque ſubſiſtentia poterit eſſe relatio, nec relatio ſubſiſtentia. *Reſpondeo* negans antecedens. Ad cuius probationem dicimus, eſſe ad aliud, tanquam terminum, & eſſe ad ſe, id eſt, eſſe per ſe, nullam dicere oppoſitionem. Nam ſubſiſtentia creata eſt ad aliud, ſcilicet, ad cauſam, & naturam, quas tranſcendentaliter reſpicit, & ad ſe, id eſt, per ſe, ſiue reddens naturam completam, ſubſiſtentem, ſiue vltimo terminatam, aut concretam, iuxta effectum formalem proprium ſubſiſtentiæ. Conceptus ſubſiſtētiæ, & relationis non pugnãt inter ſe.

134 Aſſero ſecundo, quamlibet relationem Perſonalem reddere naturam diuinam ſubſiſtentem. Ratio eſt, Nam quælibet forma, vel quaſi forma applicata ſubiecto communicat illi effectum formalem, cuius eſt capax; ſi capax ſit omnium, communicat omnes, ſi alicuius tantum, aliquem, natura autem diuina eſt capax effectus formalis ſubſiſtendi, & quæli- Quælibet ſubſiſtentia perſonalis reddit naturam diuinam ſubſiſtentem.

bet relatio Personalis est subsistentia intime eidem applicata naturæ: ergo communicabit illi effectum formalem subsistendi. *Confirmatur.* Nam eo quod humanitas Christi capax sit effectus subsistendi; & subsistentia Verbi sit illi applicata per physicam vnionem, communicat illi effectum formalem subsistendi: ergo cum eadem subsistentia Verbi, idemque est de aliis, altiori modo applicata sit naturæ diuinæ, scilicet per physicam, & realem identitatem, hæcque capax sit effectus formalis subsistendi; illum eidem naturæ communicabit. Aliud enim ad effectum formalem impertiendum non desideratur, quam applicatio formæ, & capacitas subiecti.

Cur relatio non denominet naturam diuinā relatam, cū denominet subsistentē.

135 Obiicies primo, nulla relatio, quantumuis intime applicata denominare potest naturam diuinam relatam: ergo neque subsistentem. *Respondeo*, concesso antecedente, negans consequentiam. Ratio est, quia natura diuina, vtpotè substantialis, est capax effectus subsistentis, non vero relatæ. Nam huiusmodi effectus exigit distinctionem inter relatum, & terminum ad quem refertur; ideò Filius refertur ad Patrem, & Spiritus sanctus ad Patrem, & Filium, quia inter ipsos stat distinctio realis: Natura autem diuina à nullo termino diuino realiter distingui potest, ideòque nec realiter relata denominari. Sicuti propter eandem rationem à productione relationis producta denominari non potest, nec incommunicabilis ab incommunicabilitate eiusdem.

Cur pariter non denominet naturam sanctā.

136 Obiicies secundo, Relationes diuinæ sunt sanctitas applicata, & natura diuina capax effectus sanctitatis: nec tamen denominant Deitatem sanctam: ergo neque subsistentem. Prima maioris pars ostenditur, nam relatio, siue subsistentia Verbi, denominat humanitatem Christi sanctam, quod autem sanctitas non est, nec potest subiectum aliquod denominare sanctum, sicut quod Albedo non est, non potest denominare album, ergo relatio Verbi sanctitas est. Idemque de relatione Patris, & Spiritus sancti dicendum videtur, nam quælibet earum si humanitatem terminaret sanctificaret illam, non minus, quam relatio verbi de facto sanctificat. *Respondeo*, relationes diuinas non esse simpliciter, & absolute sanctitates in Deo, cum in eo non sint radices totius rectitudinis, esse tamen respe-

respectiue ad humanitatem, quam possunt terminare, quia vt sic sunt principium totius rectitudinis suppositi. Vnde nihil mirum, quod Deitatem non denominent sanctam, etiamsi subsistentia Verbi sanctam denominet humanitatem.

137 Assero tertio, Relationem Spiratoris esse etiam subsistentiam. Ratio est, quia indiuiduum Spiratoris est concretum substantiuum, vt ostendam de constitutiuo Spiratoris, ergo constat subsistentia relatiua, vtpote opposita Spiritui S. Nec inde sequitur in Trinitate quaternitas à Lateranensi damnata cap. *damnamus*. Nam ibi sermo est de quaternitate mutuo inter se distincta sicut ergo quarta relatio Lateranensi nullatenus contrariatur, ita neque quarta subsistentia. Nec obstat relationem Spiratoris esse Patri, Filioque communem, nam de ratione subsistentia non est, esse incommunicabilem, vt in subsistentia absoluta constabit disp. sequenti, ergo relatio spiratoris, quantumuis Patri, Filioque communis subsistentia erit. Cur autem Personalitas non sit, nec Personam constituat constabit disputatione sequenti. Relatio spiratoris subsistentia est.



DISPVTATIO XIII.

An præter subsistentias relatiuas detur in Deo subsistentia aliqua absoluta.

1 NOMINE subsistentiæ absolutæ intelligitur complementum substantiæ, seu naturæ diuinæ, non minus absolutum, & cōmune omnibus Personis, quam natura ipsa. Quæritur ergo, An sicut in Deo est vnica natura singularis omnibus Personis communis, pariter sit etiam vna subsistentia singularis communis omnibus. Dixi *singularis*, quia nomine subsistentiæ absolutæ non intelligitur subsistentia ab omnibus relatiuis præcisa, quantumuis illa communis sit beneficio præcisionis. Quia tamen tota hæc difficultas pendet ex constitutiuo subsistentiæ, & effectu formali illius, momenti erit id præmittere; vnde clarior potissima deprehendatur controuersia.

Quid nomine subsistētiæ absolutæ intelligatur.

SECTIO I.

In quo consistat ratio formalis subsistentiæ.

2 PRior, & communis sententia, subsistentiam absolutam in Deo propugnantium, tenet, rationem formalem subsistentiæ consistere in independentia à supposito alieno; atque adeò subsistere, aliud non esse, quam à supposito alieno independere. Dicitur ab alieno supposito, quia de ratione subsistentiæ non est, reddere, naturam independentem ab alio supposito, si hoc alienum non sit, sed naturæ proprium, vt contingit

Prima sententia constituens naturam, & effectum formalem subsistentiæ in

tingit in Deo, in quo ſubſiſtentia Patris non reddit naturam diuinam independentem à ſuppoſito Filij, aut Spiritus ſancti, quia tria iſta ſuppoſita aliena non ſunt, ſed naturæ diuinæ propria. Inde natura diuina triplici perſonalitate ſubſiſtens, triplici etiam titulo eſt independens à ſuppoſito alieno. Cùm vero natura creata propter ſuam limitationem vnica tantum ſubſiſtentia perfectè compleatur, duplicemque ſimul habere non poſſit, ſiue eiuſdem, ſiue diuerſæ rationis: inde omnis alia ſubſiſtentia, præter illam, qua natura actu completur, dici poteſt aliena. Hinc infert, naturam diuinam gaudere ſubſiſtentia abſoluta, quia vt diſtincta à relationibus eſt independens à ſuppoſito altero; & conſequenter ſubſiſtens abſolute.

independentia à ſuppoſito alieno.

3 Diſplicet hæc ſententia, *Primo*. Quia independentia à ſuppoſito alieno eſt independentia à conſtituto ex natura, & ſubſiſtentia, quo inexplicata manet aliena ſubſiſtentia, cum tamen vera ſubſiſtentia ſi. Non aliter, quam ſi hominem explicaturus diceres, Hominem eſſe: Id, quod ſimile eſt alteri homini. *Secundo*, quia natura à ſe potius, quam à ſubſiſtentia, habet eam independentiam. Nam tota ratio, cur natura humana v. g. vnica ſubſiſtentia terminata, independet ab alia eiuſdem rationis, eſt limitatio illius, quod ſi natura humana fœcunda foret ad duplicem ſubſiſtentiam humanam terminandam, iſtæ nihil pugnarent inter ſe, ſicut diuinæ ſubſiſtentiæ relatiuæ nihil pugnant inter ſe, nec vna reddit naturam diuinam independentem ab alia: ergo independentia naturæ humanæ ab alieno ſuppoſito eiuſdem rationis, ad ipſam naturam potius, quam ad ſubſiſtentiam referenda eſt.

Diſplicet ea ſententia, tũ quia aſſumptum non explicat.

Tum etiam, quia eam independentiam à ſe potius natura habet, quam à ſubſiſtentia.

4 *Tertio*, quia ſicut vnica natura creata non poteſt duplici terminari ſubſiſtentia; ita neque vnica materia duplici poteſt actuari forma ſubſtantiali, in ſententia aduerſariorum, & communi: ergo ſicut ſubſiſtentia creata reddit naturam independẽtem ab alieno ſuppoſito, ita forma ſubſtantialis reddet materiam independentem ab alieno compoſito: his tamen nõn obſtantibus forma ſubſtãtialis non ſatis explicatur per eam independentiam ab alio, ſeu alieno cõpoſito: ergo neq; ſubſiſtentia per independentiam ab alio, ſeu alieno ſuppoſito; eadem enim videtur vtriuſque ratio. *Quarto*, quia ſi ſubſiſtentia ad eam

foret inutilis subsistentia.

præcisè naturæ independentiam requisita foret, inutilis prorsus, & superuacanea redderetur. Nam impossibili omni subsistentia, impossibilis quoque esset dependentia naturæ à supposito alieno: ergo staret independentia, siue repugnantia dependendi, quod idem est: ergo cum subsistentia frustranea non sit, ad alium effectum naturæ impertiendum prouisa est.

Tum denique quia creatio præstat eam independentiã, cùm tamen apud aduersarios subsistentia non sit.

5 *Quinto*, quia creatio vt connaturalis independentia à supposito alieno, cum tamen in sententia plurium aduersariorum subsistentia non sit: ergo ea independentia non est quidditas subsistentiæ propria. Antecedens probatur, nam ideò subsistentia creata est independentia à supposito alieno, quia repugnat illi ab eo dependere; & ideo creatio est independentia à subiecto inhæsionis, quia repugnat illi talis dependẽtia: creationi autem connaturali repugnat dependere ab alieno supposito: ergo est idependentia ab illo. Vel si creatio connaturalis ideò est independentia à subiectò inhæsionis, quia non attingit intrinsecè illud: ergo cum neque attingat alienum suppositum, erit etiam independentia ab illo.

Indepẽdẽtia à supposito alieno prædicatum est, subsistentiæ necessarium, sed non sufficiens.

6 Obiicies primo. Hoc præcisè quod res aliqua sit dependentia ab alieno supposito, deficit à ratione subsistentiæ: ergo ideò præcisè, quæ subsistentia est, talis erit, quia est independentia à supposito alieno. *Respondeo* concesso antecedente, negans consequentiam. Nam independentia à supposito alienò est quidem prædicatum subsistentiæ necessarium, commune tamen aliis. Sicut viuens vt prædicatum homini quidem necessarium, cõmune tamen aliis. Quemadmodũ ergo res, quæ non est viuẽs, hoc præcisè homo esse non potest, quin inde fiat, hominẽ præciso gradu viuentis cõstitui: pariter dicimus, rẽ quæ est dependẽtia à supposito alieno, hoc præcisè non posse esse subsistentiam, quin inde fiat, eam, quæ subsistentia est, ideò præcisè talem esse, quia est independentia à supposito alieno.

Independẽtia animæ rationalis à subiecto inhæsionis obiecta.

7 Obiicies secundo. Etiamsi animæ rationali repugnet depẽdentia à subiecto inhæsionis, tamen se ipsa non est formalis independentia ab illo, sed id habet à creatione: ergo etiamsi naturæ, & creationi repugnet dependere à supposito alieno, non idcirco erunt formalis independentia à supposito alieno, sed id à sola subsistentia præstabitur. Antecedẽs probatur, quia si anima rationalis se ipsa esset formalis indepẽdẽtia à subiecto inhæsionis

sionis, frustranea esset creatio ad hunc effectum illi cõmunicã-dũ. *Confir.* Nam si natura humana se ipsa esset formalis indepẽdentia à supposito alieno, non posset illud terminare adhuc diuinitus, cõtra Incarn. myst. ergo talis nõ est Antecedẽs probatur; quia indepẽdẽtia ab aliquo termino nullo pacto potest ab aliquo depẽdere: ergo si natura humana se ipsa esset indepẽdẽtia à supposito alieno, nullo pacto posset alienã subsistentiam terminare.

8 Resp. negãs anteced. Ad cuius probationẽ negãdũ est similiter anteced. Nam creatio necessaria nõ est, ad reddendã animã rationalẽ indepẽdẽtẽ à subiecto inhæsionis, cũ animus rationalis eam indepẽdẽtiã ingenitã ex se habeat; sed necessaria tantũ est, vt res natura sua indepẽdẽs à subiecto inhæsionis, modo sibi proportionato producatur, cur per se ipsã nõ possit ita produci. Si autẽ de ratione subsistẽtiæ sola esset indepẽdẽtia à supposito alieno, cũ natura ex se eã independentiã habeat, superflua ad eũ effectũ præstãdũ adueniret subsistẽtia. Ad cõfirmationẽ. Res. negãs anteced eiusq; probationẽ. Nã rẽ aliquã esse se ipsa indep. à subiect. & ab ipso per aliquid distinctũ depẽdere, nullã dicit cõtradict. *Munus creationis respectu animæ rationalis expositum.*

9 Obiicies 3 Licet creaturæ repugnet nõ depẽdere à Deo, & nõ produci ab ipso; tamẽ à creatura se ipsa nõ est formalis depẽdẽtia à Deo, nec productio: ergo licet naturæ repugnet depẽdere ab alieno supposito, nõ inde erit formalis independ. ab illo. *Resp.* creaturã depẽdere à Deo in esse, fieri, & cõseruari; atq; adeo per se ipsã, quod est suũ esse, depẽdet à Deo in facto esse; per actionẽ vero in fieri. Vnde licet creatura per se ipsã non possit esse productio sui, eo quod ista ex Phisicis modus sit distinctus realiter à termino, potest tamen esse dependentia; quia hæc tantum dicit impossibilitatem existendi sine alio. *Dependentia creaturarum à Deo exposita, earumq; productio.*

SECTIO II.

Sententia Patris Aldrete.

10 Secũda sẽtẽtia propugnãs etiã subsistẽtiã absolutã in Deo docet, de ratione subsistẽtiæ tantũ esse, reddere naturam substantialẽ immediate incõmunicabilẽ alienæ subsistẽtiæ; id est substãtiæ, quæ non est de naturali cõplemẽto naturæ, subsistentis per eam subsistentiã; nã materia subsistens propria subsistentia non redditur per eam incommunicabilis formæ, eo quod ista sit de naturali cõplemẽto materiæ. Nec propter eadẽ rationẽ natura *Secunda sententia P. Aldrete de incommunicabilitate immediata alienæ substantiæ.*

diuina

diuina Paternitate ſubſiſtens redditur incommunicabilis Filiationi, quia hoc eſt de naturali complemento naturæ diuinæ. Dicitur immediatè, nam Perſonalitas Verbi, licet reddat naturam humanam mediatè communicabilem naturæ diuinæ, non tamen immediatè. Si autem queras quanta debeat eſſe naturæ incommunicabilitas alienæ ſubſtantiæ. Reſpondet, ſubſiſtentiam non ſolum reddere naturam, quam complet, naturaliter incommunicabilem alienæ ſubſtantiæ, nam huiuſmodi incommunicabilitatem de ſe habet natura, ſed reddere illam immediatè incommunicabilem, etiam diuinitus. Ita Pater Aldrete diſp. 40. de Incarnatione ſect. 3.

Illatio Authoris circa ſubſiſtentiã abſolutam.

11 Ex quibus diſp. 41. ſect. 3. infert in Deo ſubſiſtentiam abſolutam, quia cum natura diuina ratione ſui exigat eſſentialiter Perſonalitates, à quibus redditur incommunicabilis alienæ ſubſtantiæ, ratione ſui habet etiam, quamuis in ordine ad Perſonalitates, eſſentialem incommunicabilitatem, & conſequenter ſubſiſtentiam abſolutam incommunicabilitatem inquam per vnionem cum aliena ſubſtantia. Nam incommunicabilitas per identitatem cum illa, non habetur à ſubſiſtentia, nec per reſpectum ad illam, ſed à propriis prædicatis cuiuſcunque naturæ, ſiue creatæ ſiue increatæ. In quo decepti videntur Aliqui RR. inſurgentes contra Patrem Aldrete, eo quod natura diuina præciſſo reſpectu ad Perſonalitates ſit incommunicabilis per identitatem cum aliena ſubſtantia.

Ea ſententia reiicitur à priori.

12 Diſplicet tamen hæc ſententia Primo. Quia ſubſiſtentia non eſt diuinitus incommunicabilis, ſiue inconiungibilis alienæ ſubſtantiæ, vt fatetur aduerſarius, & conuincit Incarnationis Myſterium, in quo ſubſiſtentia diuina Verbi terminat alienam ſubſtantiam, ſcilicet humanam: ergo neque poterit reddere naturam diuinitus incommunicabilem, ſiue incompenſabilem alienæ ſububſtantiæ. Probatur conſequentia, quia natura creata, recluſa omni ſubſiſtentia, non eſt diuinitus incommunicabilis, ſeu inconiungibilis cum aliena ſubſtantia, aliter ſuperflua eſſet ad hunc effectum ſubſiſtentia: ergo nec per ſubſiſtentiam reddi poteſt diuinitus incommunicabilis, ſiue inconiungibilis alienæ ſubſtantiæ. Probatur conſequentia, quia res diuinitus communicabilis, ſiue coniungibilis alicui termino,

no, non potest reddi per aliam diuinitus incommunicabilis, siue inconiungibilis illi, nisi hæc alia sit ratione sui diuinitus inconiungibilis, & incommunicabilis tali termino, subsistentia autem ratione sui non est diuinitus incommunicabilis, siue inconiungibilis alienæ substantiæ: ergo neque natura per subsistentiam reddi poterit diuinitus incommunicabilis, siue inconiungibilis alienæ substantiæ. Maior videtur certa, nam res quæ à se non habet inconiungibilitatem cum aliquo, sed illam habet ab alio superueniente ipsi; si hæc superueniens non habeat in se eam inconiungibilitatem, nec potest eius effectum impertiri, non habenti illam; sicut forma, quæ in se albedo non est, nec potest reddere subiectum album.

13 Confirmatur si subsistentia Verbi non esset ratione sui inconiungibilis peccato, nec posset reddere humanitatem Christi inpeccabilem, siue inconiungibilem peccato; eo quod humanitas, seclusa vnione Hypostatica coniungibilis peccato, non possit inconiungibilis reddi, nisi per formam ratione sui inconiungibilem peccato. Natura autem quælibet creata, seclusa subsistentia, est diuinitus coniungibilis alienæ substantiæ: ergo non potest reddi diuinitus inconiungibilis per subsistentiam, nisi hæc ratione sui sit diuinitus inconiungibilis alienæ substantiæ. Idem videre licet in visione beata ratione sui inconiungibili cum peccato, vt reddat hominem impeccabilem. Et in aliis formis contrariis; etenim, quia materia est de se coniungibilis frigiditati, vt reddatur inconiungibilis, illi per calorem, iste debet esse ratione sui inconiungibilis frigiditati. Idemque est de aliis sexcentis. *Communibus instantiis ratio præcedens stabilita.*

14 Dices subsistentiam esse inconiungibilitatem essentialem cum aliena substantia, non sui, sed naturæ, quam complet. *Contra*, quia id expugnat argumentum nostrum, euincens nullam forma posse esse inconiungibilitatem subiecti indifferentis cum aliquo termino, nisi ipsa in se, & ratione sui sit inconiungibilis tali termino; atque adeò nisi sit inconiungibilitas sui cum illo; vt patet instantiis subsistentiæ Verbi, & visionis beatæ ad humanitatem inpeccabilem reddendam; & instantiis qualitatum contrariantium, ad reddendum subiectum inconiungibile oppositæ qualitati. Et ratio omnium est, quia subie- *Responsio, quæ exhiberi posset, præoccupata.*

iectum ſecundum ſe coniungibile alicui termino, non poteſt reddi inconiungibile per acceſſum formæ, niſi illi repugnet tali termino coniungi, ſi enim id neutri repugnaret, neque ſubiecto ratione formæ repugnare poſſet. Numquam enim amor voluntatem indifferentem redderet inconiungibilem odio, niſi amori repugnaret coniungi odium, & ideò cognitio indifferens non poteſt reddere voluntatem inconiungibilem amori, quia ipſi amor coniungi poteſt.

Effectus incommunicabilitatis alienæ ſubſtantiæ proprius ſubſiſtentiæ non eſt,

15 Diſplicet ſecundo, quia ad preciſè reddendam naturam diuinitus incommunicabilem alienæ ſubſtantiæ, neceſſaria ſubſiſtentia non eſt, ſufficeret enim decretum efficax Dei nolens efficaciter talem communicationem exiſtere. Quod enim decretum id præſtet extrinſecè, & ſubſiſtentia intrinſecè, nihil obſtat. Nam præciſa incommunicabilitate communi tam decreto, quam ſubſiſtentiæ, nihil remanet ſubſiſtentiæ proprium, nam eſſe formam intrinſecam naturæ, etiam competit accidentibus. Aliter ſimiliter dici poſſet, de ratione ſubſiſtentiæ eſſe, naturalem incommunicabilitatem naturæ alienæ ſubſtantiæ; non quamcunque, ſed habitam à forma per intrinſecam vnionem ſuperadditam naturæ, qualem incommunicabilitatem non habet à ſe ipſa natura, cum non ſit forma ſibi ipſi per intrinſecam vnionem ſuperaddita.

Ea ſententia non ſtabili iacta fundaméto.

16 Diſplicet tertio, quia non videtur ea ſententia ſtabili iacta fundamento. Nam notitia creatæ ſubſiſtentiæ deriuata nobis eſt ex Incarnationis myſterio, in quo cum viderit aduerſarius naturas alienas mediatè coniunctas, bene infert de ratione ſubſiſtentiæ non eſſe reddere naturam mediatè incommunicabilem alienæ ſubſtantiæ: ex eo autem, quod non inueniantur naturæ immediatè coniunctæ non ſolidè infertur, eas per ſubſiſtentiam reddi diuinitus inconiungibiles immediatè; eo enim, quod aliquid factum non ſit, non ſequitur implicare, quod fiat. Imo ex myſterio Incarnationis oppoſitum deduci videtur, nam ſi de ratione ſubſiſtentiæ non eſt reddere ſe ipſam diuinitus inconiungibilẽ immediatè alienæ ſubſtãtiæ; ergo neque de ratione ſubſiſtẽtis erit reddi diuinitus immediatè inconiungibile eidem alienæ ſubſtantiæ. Nec video quid implicat de abſoluta potẽtia vnio immediata duplicis naturæ ſubſiſtẽtis.

17 Diſplicet

17 Displicet vltimo. Quia ex ea sententia fieret vnionem Hypostaticam esse subsistentiam, atque adeo in Christo duas esse subsistentias, creatam vnam, & increatam alteram, quod dicendum non est. Sequella probatur, quia vnio Hypostatica ratione sui reddit naturam humanam incommunicabilem immediatè alienæ substantiæ, cum sit ratione sui inseparabilis à subsistentia, eam incommunicabilitatem præstante: ergo est subsistentia probatur hæc consequentia ad hominem contra Patrem Aldrete. *Primo*, quia natura diuina eo precisè quod ratione sui sit inseparabilis à subsistentiis relatiuis præstantibus effectum incommunicabilitatis immediatæ, cum aliena substantia; ipsa quoque præstat eum effectum, & est subsistentia absoluta: vnio autem Hypostatica est inseparabilis à subsistentia Verbi, præstante incommunicabilitatem immediatam naturæ cum aliena substantia: ergo ipsa quoque eum effectum præstabit, & subsistentia erit. *Secundo*, quia natura ratione sui diuinitus inseparabilis à subsistentia, hoc ipso præstaret effectum illius, & subsistentia esset, vt tenet aduersarius: ergo etiam vnio hypostatica talis erit de facto.

Fieri ex illa vnionē hypostaticam esse subsistentiam.

SECTIO III.

Sententia docens subsistentiam esse vltimum terminum naturæ.

18 TErtia, & communis sententia negantium in Deo subsistentiam absolutam docet de ratione subsistentiæ esse complere, & perficere naturam per modum vltimi termini. Inde inferunt subsistentiam absolutam esse impossibilem in Deo; quia non esset vltimus terminus naturæ diuinæ, cum ita esset vlterius terminabilis per subsistentias relatiuas.

Tertia, & communis sententia constituens subsistentiā in ratione vltimi termini.

19 Displicet hæc sententia. Quia de ratione subsistentiæ non est esse vltimum terminum naturæ: ergo &c. Antec. probatur. Nam essentia, seu natura diuina non solum terminatur Paternitate,

Esse vltimum termimum naturæ non est de

nitate, sed vlterius etiam Filiatione, & insuper spiratione passiua, ergo Paternitas non est vltimus terminus, vltra quem natura Diuina non progrediatur. Est tamen subsistentia: ergo de ratione subsistentiæ non est esse vltimum terminum naturæ, aliter sola spiratio passiua, in qua vltimo sistit natura Diuina, subsistentia esset.

Explicatio vltimi termini subsistentiæ proprij.

20. Dices de ratione subsistentiæ non esse, quod sit vltimus terminus naturæ, quatenus iste non patitur alium vltimum terminum eidem aduenire naturæ, hoc enim pacto Paternitas non est vltimus terminus, naturæ Diuinæ, cum non excludat consortium alterius vltimi termini in eadem natura. De ratione ergo subsistentiæ tantum est esse vltimum terminum; id est vltimum, determinatiuum naturæ, seu aliarum perfectionum substantialium constituentium cum ipso vnum ens per se substantiale, ita vt subsistentia sit vltima omnium, quibus ens substantiale completur; cætera vero præsupponuntur ad illam. Hoc pacto quælibet diuina Personalitas est vltimus terminus. Nam Paternitas in constitutione Patris est vltimum determinatiuum aliarum perfectionum substantialium communium. Similiter Filiatio ad constitutionem Filij, & spiratio passiua ad constitutionem Spiritus sancti.

Insufficientia præcedentis explicationis aperitur.

21. Contra primò, quia aliud est, subsistentiam esse vltimum constitutiuum entis substantialis completi ex natura, & subsistentia, ad eum modum, quo rationalitas est vltimum constitutiuum hominis, & hoc pacto dubium non est, Paternitatem esse vltimum constitutiuum Patris, Filiationem Filij, &c. Aliud vero est, subsistentiam esse vltimum terminum naturæ, & hoc impossibile est stante alio vltimo termino eiusdem naturæ. Nam de ratione vltimi termini est excludere alium, qui vltimus sit.

Quid rei contineat vltimus terminus positiuè, & negatiuè.

22. Dices id verum tantum esse de ratione vltimi termini negatiuè, non verò de ratione vltimi termini positiuè, ad quem satis est, quod supponat alia. *Contra*, quia vltimum positiuè, & non negatiuè est implicare terminos. Quis enim dicet punctum existens in medio lineæ, esse vltimum illius, eo quod supponat alia puncta præcedentia, quamuis non excludat subsequentia? Hoc re ipsa non est esse vlti

vltimum terminum lineæ, sed medium illius: ergo cum Paternitas non excludat alium vltimum terminum naturæ diuinæ, neque erit vltimus terminus illius.

23 Contra secundo. Quia omnem subsistentiam debere præsupponere naturam, aut alias perfectiones substantiales, quibuscum ens completum substantiale constituat, nullo probatur stabili fundamento. Nam humanitas Christi verè subsistit per subsistentiam Verbi; Nec tamen ista præsupponit existentem humanitatem, imò præsuponitur ad illam, subsistentia autem creata ex mysterio Incarnationis nobis innotuit: ergo nullum inde stat fundamentum ád asserendum subsistentiam creatam debere presupponere naturam: ergo eo quod subsistentia absoluta non possit diuinam præsupponere naturam, impossibilis non erit. Nec esse vltimum determinatiuum naturæ, aliarumque perfectionum substantialium, proprium est solius subsistentiæ. Nam subsistentia Verbi ad constitutionem suppositi Christi non est vltimum determinatiuum humanitatis, sed tam humanitas, quam subsistentia Verbi determinantur vltimo per Hypostaticam vnionem, quæ tamen subsistentia non est, etiam si sit vltimum determinatiuum naturæ, eamque præsupponat: ergo ad effectum subsistendi, nec opus est subsistentiam præsupponere naturam; nec satis esse vltimum determinatiuum ad constitutionem entis completi substantialis, sed sufficiens erit, esse perfectionem naturæ substantialis, constituentem cum illa vnum concretum substantiuum, siue subsistentia supponat naturam, siue non; siue sit determinatiuum vltimum respectu naturæ, siue concomitans illam, aut simul omnimode cum illa: ergo ex his fundamentis subsistentia absoluta non est Deo neganda. Subsistentiã omnem debere suppone naturam non subsistit.

24 Confirmatur primo, sic se habet subsistentia ad naturam in in ordine ad cõstitutionẽ suppositi, sicut forma substantialis ad subiectũ in ordine ad cõstitutionẽ cõpositi: de ratione autẽ formæ substãtialis nõ est supponere subiectũ, nec esse determinatiuũ illius vltimũ in ordine ad cõstitutionẽ cõpositi: ergo neq; de ratione subsistẽtiæ erit, supponere naturã, nec esse determinatiuũ illius vltimũ in ordine ad cõstitutionem suppositi. Minor prob. Idem confirmatur primo à paritate formæ substantialis in cõposito.

 quia etiam

etiam si materia vnicæ huic esset alligata formæ, & forma hæc vnicæ huic esset alligata materiæ, & absque vlla prioritate, aut posterioritate inter se, vno ictu producerentur, & vnirentur à Deo, consisteret compositum ex materia, & forma substantiali, quia hæc supponeret materiam, nec esset determinatiuum illius vltimum in ordine ad constitutionem compositi: ergo etiam si natura vnicæ huic esset alligata subsistentiæ, & vnica hæc subsistentia vnicæ huic esset alligata naturæ, & absque prioritate aut posterioritate inter se, vno ictu producerentur, & vnirentur à Deo, consisteret suppositum ex natura, & subsistentia, quin hæc supponeret naturam, nec esset determinatiuum illius vltimum in ordine ad constitutionem suppositi. Quod autem possibilis sit forma substantialis vnicæ huic alligata materiæ, & vnica hæc materia vnicæ huic alligata formæ, res est, quæ attenta absoluta Dei potentia, ex nullo capite videtur implicare.

Secundo cōfirmatur in relatione Spiratoris.

25 Confirmatur secundo, vel relatio Spiratoris est subsistentia, vel non? si primum: ergo concretum Spiratoris constat non solum perfectione absoluta, scilicet amore, aut etiam natura, sed etiam subsistentia communi Patri, & Filio, de quibus Spirator prædicatur: ergo etiam concretum *Deus* constabit, non solum perfectione absoluta, scilicet Deitate, sed etiam subsistentia omnibus Personis communi, & consequenter absoluta, cum concretum *Deus* de omnibus Personis prædicetur. Si vero dicatur secundum, videlicet relationem Spiratoris subsistentiam non esse: ergo cum Spirator sit perfectio substantialis ab aliqua subsistentia denominari debet subsistens; non ab absoluta, neque à subsistentia Spiritus sancti: ergo à subsistentia Patris, & Filij. Nunc ita. Paternitas, & Filiatio denominant subsistentem Spiratorem: sed Spirator non præsupponitur existens à Paternitate, & Filiatione, imo consequitur illas: ergo de ratione subsistentiæ non est præsupponere perfectionem substantialem, quam complet, & consequenter neque erit de ratione subsistentiæ esse vltimum terminum.

Tertio confirmatur ex forma sub-

26 Confirmatur tertio, quia forma substantialis est positiuè vltimus terminus materiæ, nec tamen est illius subsistentia: ergo

ergo esse vltimum terminum positiuè non est quidditas subsistentiæ. Maior Probatur, nam ad vltimum terminum positiuè opus non est excludere alium vltimum terminum, sed satis est alia præsupponere, vt aiebant aduersarij: forma autem substantialis præsupponit materiam, ergo est vltimus terminus illius similiter vnio Hypostatica præsupponit naturam: ergo erit vltimus terminus illius, & consequenter subsistentia. Præterea vnio formæ rationalis cum materia præsupponit vtramque: ergo erit vltimus terminus earum, & consequenter subsistentia. Quæ dici non possunt, aliter in Christo esset duplex subsistentia, creata vna, & increata altera.

Materiall. quæ est vltimus terminus materiæ nec tamen est illius subsistentia.

27 Displicet secundo, ea sententia, quia si subsistentia esset vltimus terminus substantiæ, hoc ipso subsistentia superflua esset: ergo. Anteced. probatur, quia impossibili omni subsistentia forma substantialis esset per se ipsam vltimus terminus substantiæ, cum ista non posset vlterius terminari: ergo si subsistentia precisè necessaria esset ad complendam substantiam per modum vltimi termini, hoc ipso superflua esset. Confirmatur, nam ideò per vos subsistentia esset superflua, si necessaria tantum esset ad reddendam naturam independentem à supposito alieno, quia impossibili omni subsistentia, natura ex se eam independentiam haberet, cum repugnaret dependere, impossibili autem omni subsistentia, forma substantialis compleret materiam per modum vltimi termini, cum illam præsupponeret, & vlterius terminus possibilis non esset: ergo superflua erit subsistentia ad eum effectum, saltem respectu materiæ.

Si subsistentia esset vltimus terminus naturæ, hoc ipso superflua esset.

28 Displicet tertio, quia si subsistentia partialis materiæ sit entitas in illa recepta, materia per illam non completur tanquam per terminum, sed tanquam per formam. Nec compleri potest vltimo, cur vlterius per animam compleatur, tanquam per formam. Idem est de subsistentia partiali formæ, si entitas sit, in forma recepta.

SECTIO

SECTIO IV.

Propria sententia circa naturam, & effectum subsistentiæ.

Propria sententia circa naturam, & effectû formale subsistentiæ.

29 Censeo igitur de ratione subsistentiæ tantum esse complere, & perficere naturam constituendo cum illa concretum substantiuum, siue subsistentia sit prior, siue posterior, siue supponat naturam, siue sopponatur ad illam, ab his enim omnibus præscindit ratio subsistentiæ. Si autem inquiras, quid sit constituere concretum substantiuum. Respondeo, aliud non esse, quam constituere cum natura humana hominem suppositum, Personam, cum diuina Deum, Patrem, Filium, cum natura leonis leonem, & sic de cæteris. Sicut autem de ratione subsistentiæ totalis est constituere cùm natura totali concretum substantiuum totale; ita de ratione subsistentiæ partialis erit, cum natura partiali, partiale concretum constituere qui effectus impossibili omni subsistentia impossibilis quoque esset, tunc enim solum daretur abstractum, & nullatenus concretum substantiuum.

Vberior nostræ sententiæ declaratio ex mysterio Incarnationis.

30 Hæc nostra sententia iam diu in Philosophia tradita, eo solum fundamento satis probaretur, quod omnem, & solam explicat subsistentiam, quæ est potissima, & fortè vnica, præsentis controuersiæ difficultas, vt constat ex dictis; cum nulla sit subsistentia, siue propria, siue aliena: quæ cum natura, quam complet, non constituat concretum substantium. Confirmatur tamen ex mysterio Incarnationis, vnde in nos notitia subsistentiæ deriuata est. Nam subsistentia Verbi in ordine ad naturam humanam supplet deffectum subsistentiæ propriæ, & præstat effectum in ratione subsistentis, quem præstaret illa: effectus autem, quem in ordine ad naturam humanam præstat subsistentia diuina, est complere illam, constituendo concretum substantiuum, nempe hominem, Personam, suppositum, quæ ómnia concreta substantiua sunt: ergo de ratione subsisten

ſubſiſtentiæ tantum erit complere naturam conſtituendo cum illa concretum ſubſtantiuum.

31 Dices, vnio Hypoſtatica complet naturam humanam, & conſtituit cum illa concretum ſubſtantiuum, nec tamen eſt ſubſiſtentia: ergo ratio propria ſubſiſtentiæ non eſt complere naturam conſtituendo cum illa concretum ſubſtantiuum. Maior probatur, quia ſubſiſtentia Verbi non complet humanitatem, nec conſtituit cum illa concretum ſubſtantiuum ſine vnione: ergo complet, & conſtituit cum vnione: ergo non minus vnio complet, & conſtituit, quam ſubſiſtentia; quia ſicut ſine ſubſiſtentia non ſtat natura completa, nec concretum ſubſtantiuum, ita neque ſtat ſine vnione. Hoc argumentum ſoluendum eſt ab omnibus, vtpotè probans vnionem participare rationem ſuæ formæ, & effectum iſtius non minus præſtari ab vnione quam, ab ipſa forma; cum neque forma ſine vnione, nec vnio ſine forma illum præſtare poſſint. Atque adeò vnionem albedinis non minus dealbare, quam ipſam albedinem. Idemque eſt de cæteris. Obiectio ab vnione hypoſtatica deſumpta, eiuſque.

32 Reſpondeo igitur negans maiorem. Ad probationem conceſſo antecedente diſtinguendum eſt conſequens, ſubſiſtentia complet cum vnione ſe habente vt pura determinatione complentis, concedo; vt ratio formalis complendi, nego, & neganda eſt vltima conſequentia. Nam ſicut vnio albedinis non dealbat, quia ſe habet, vt pura determinatio albedinis ad ſubiectum, & non vt ratio formalis dealbandi; ita neque vnio Hypoſtatica complet naturam humanam, quia ſe habet vt pura determinatio complentis illam, & non vt ratio formalis complendi; hæc enim tam propria eſt ſubſiſtentiæ, quam ſit propria albedini ratio formalis dealbandi.

SECTIO

SECTIO V.

Proponuntur sententiæ, & eligitur subsistentia absoluta in Deo.

Sententia affirmans.

33 PRior sententia affirmat, dari in Deo vnam subsistentiam absolutam omnibus Personis communem, siue sint tres relatiuæ, vt omnes Theologi tuentur, siue non, vt tenent Doctores disp. præcedenti citati sect. 9. ita Scotus in 3. dist. 1. q. 2. §. *ad quæstionem* Durandus in 1 dist. 26. q. 1. Caietanus 3. part. q 3 art. 2. P. Soarius tom. 1. in 3. part. disp. 11. sect. 3. & 1. part. tract. 3. lib. 4. cap. 11. P. Molina 1. part. q. 29. art. 2. disp. 3. Pater Granadus tract. 4. disp. 5. sect. 3. P. Martinus Perez hic disp. 11. sect. 2. num. 2. P. Ludouicus de Ribas de attributis disp. 1. sect. 2. & plures alij.

Scotus. Durandus. Caietanus. P. Soarius. P. Molina. P. Granadus. P. Ribas. P. Perez.

Sententia negans. P Vazquez. P. Valentia. P. Ruiz. P Zuniga. P Arriaga. Henricus. Ricardus.

34 Posterior sententia negat in Deo subsistentiam absolutam solis relatiuis contentaiita Pater Vasquez 1. part. disp. 125. cap. 3. Pater Valentia 3. part. q. 13. punct. 3. Pater Ruiz hic. disp. 34. à sect. 5. Pater Arrubal disp. 109. Pater Zuniga q. 30. disp. 5. dub. 10. memb. 1. P. Arriaga 1. part. disp. 51. sect 1. Henricus 1. part. art. 46. q. 6. Et quodlib. 5. q. 8. Ricardus in 1. dist. 26. art. 1. q. 1. Genebrardus lib. 2. de Trinitate paulò post initium, & plures alij.

Vltra subsistentias relatiuas admittēda est in Deo subsistentia absoluta.

35 Assero vltra subsistentias relatiuas concedendam esse Deo subsistentiam absolutam. Hæc conclusio probanda est iuxta fundamenta in Philosophia præiacta, circa naturam, & effectum formalem subsistentiæ. A priori hæc mihi vnica est, & plena ratio. Nam præcisis omnibus relationibus, Deitati competit effectus subsistendi: ergo præcisis omnibus relationibus concedenda illi erit subsistentia absoluta, à qua talem effectum sortiatur, impossibile enim est, præcisa omni subsistentia, effectum formalem subsistendi reperiri, non minus, quam effectum formalem cognoscentis, absque cognitione, consistere. Antecedens probatur. Quia effectus formalis subsistentiæ est, reddere naturam concretam, constituendo cum abstracto vnum concretum substantiuum, id est cum humanitate

nitate hominem, Deitate Deum, vt tradidi in Philosophia: Huiusmodi autem effectus reperitur in Deo, omni præcisa relatione, ergo & effectus formalis subsistẽdi. Minor probatur, quia, præcisa omne relatione, reperitur Deitas, quæ est abstractum; & reperitur etiam Deus, qui est concretum substantiuũ, nam vt ostendam de essentia, & Attributis Deus nulla ratione formaliter relationibus constituitur: ergo reperitur concretum substantiuum, & consequenter effectus formalis subsistendi.

36 Confirmatur ex S. Thoma pluribus in locis nostram sententiam innuente. Præcipuè 1. sent. dist. 21. q. 2. art. 1. corpore, ita scribente. *Iste terminus, Deus, prædicat naturam diuinam de tribus Personis, quæ etiam in se est habens esse subsistens, nulla Personarum distinctione intellecta.* Si ergo hic terminus, *Deus*, communis est omnibus Personis, cũ de illis prædicetur, & in se habet esse subsistens, nulla Personarum, siue relationum distinctione intellecta: ergo habet esse subsistens, præcisa omni relatione, atque adeo à subsistentia absoluta. Insuper, si hic terminus, *Deus*, non minus communis est, quam Deitas, cum non minus, quam Deitas, de omnibus Personis prædicetur: ergo cum terminus, *Deus*, sit concretum substantiuum, subsistentia, qua constituitur, non minus communis erit quam ipsa Deitas, & consequenter relatiua non erit, sed absoluta, vtpotè communis omnibus Personis. Antecedens patet ex S. Thoma, nam hic terminus, *Deus* prædicat naturam diuinam in se subsistentem de omnibus Personis. natura autem diuina in se subsistens, & Deus, idem omnino sunt: ergo hic terminus Deus non minus communis est, quam ipsa Deitas. Confirmatio efficax ex S. Thom.

37 Vrgentiora habet. S. Thomas ibidem dist. 26. q. 1. art. 1. ad quartum his verbis: *Ad quartum dicendum quod Persona, vt dictum est, non distinguitur in diuinis ex parte naturæ, vel ex parte ipsius esse: sed solum ex parte proprietatum. Vnde illa nomina, quæ dicuntur secundum respectum ad proprietatem, pluraliter prædicantur, sicut hypostasis, & Persona, quæ autem dicuntur per respectum ad esse, prædicantur singulariter, vt subsistentia, & essentia, quamuis nomen subsistentiæ apud vsum Sanctorum sumatur pro hypostasi.* In quibus S. Doctor apertissime docet, dari subsistentiam in Deo, quæ singulariter de omnibus Personis prædicetur, non Idem iterum ex S. Thoma firmius stabilitum.

minus quam essentia. Quod aliud non est quam admittere subsistentiam singularem non minus communem, seu absolutam, quam essentiam.

Prima responsio, sumptam esse subsistentiã pro substãtia non stat.

38 Nec dici potest, nomen subsistentiæ vsurpatum esse à S. Thoma pro substantia, eo quod addiderit, *Quamuis nomen subsistentiæ apud vsum Sanctorum sumatur pro hypostasi* vt tentat P. Ruiz. Tum quia ibi distinguit S. Doctor inter Personã, hypostasim, subsistentiam, & essentiam, & dum negat hypostasim, & Personam prædicari singulariter, id de subsistentia, & essentia concedit: ergo nullum est fundamentum ad dicendum, nomen subsistentiæ impropriè assumptum esse, quando cætera omnia propriissime vsurpata sunt. Tum etiam quia nomen subsistentiæ pro eodem quod substantia, non vsurpatur à Patribus pro Persona, & hypostasi: nomen subsistentiæ assumptum à S. Thoma vsurpatur à Patribus pro hypostasi, & Persona, ergo idem non valet ac substantia. Tum denique, quia additio illa S. Thomæ potius format, quam infringit nomen subsistentiæ, non pro substantia, sed pro subsistentia assumptem esse sensus est: Licet nomen subsistentiæ apud vsum sanctorum sumatur pro hypostasi, id tamen non obstat, quominus sumatur etiam pro subsistentia absoluta, quæ singulariter prædicatur, non minus quam essentia. iste videtur legitimus sensus eorum Verborum, nempe, *quæ autem dicuntur per respectum ad esse, prædicantur singulariter vt, subsistentia, & essentia, quamuis nomen subsistentiæ apud vsum sanctorum sumatur pro hypostasi*

Secunda responsio, sermonẽ fuisse de subsistentia radicali minus idonea

39 Nec dici potest S. Thomam locutũ fuisse de subsistẽtia radicali, non formali, vt tentant Recentiores. Tum quia id libere, & absque fundamento dicitur. vt constabit sincere legenti testimonia à nobis adducta. Tum etiam quia subsistentia radicalis non est re vera subsistentia, nec reddit naturam subsistentem, sed tantum est radix subsistentiæ reddentis naturam subsistentem, aliter intentum haberemus, & de solo nomine *radicalis* foret dissentio: subsistentia autem de qua agit S. Doctor credit naturam diuinam subsistentem, nam de natura diuina ait in priore testimonio habere esse subsistens *nulla intellecta distinctione relationum.* Tum denique quia in posterio

posteriori testimonio comparat inter se, hypostasim, personam, subsistentiam & naturam. Hypostasis autem & Persona non sumuntur radicabiliter, vt est certum: ergo neque subsistentia, maxime cum distinguat inter subsistentiam, & naturam illis verbis: *Prædicantur singulariter, vt subsistentia, & essentia.*

40 Ratione confirmatur 2. Nam concretum *Deus*, est commune omnibus Personis, cum de illis prædicetur, & omnes vnus, idemque Deus: ergo constituitur subsistentia communi, & consequenter absoluta, nam nulla relatiua communis est omnibus Personis. Antecedens videtur certum, nam Pater, Filius, & Spiritus Sanctus sunt Deus, & Pater non est diuersus Deus à Filio, nec Filius à Patre, nec vterque à Spiritu sancto: ergo concretum *Deus* commune est, & vnum idemque in omnibus Personis.

Concretum Deus est commune omnibus Personis, atque adeo constans subsistentia communi.

41. Dices Primo concretum *Deus* esse quidem commune omnibus Personis, & constitui subsistentia communi, non tamen absoluta, sed relatiua præcissa ab omnibus subsistentiis relatiuis.

42 Contra tamen Primo quia concretum Deus, existit independenter ab omni intellectus præcissione, & independenter ab eadem, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus sunt vnus, idemque Deus: ergo nequit constitui relatione à tribus præcissa. Maxime in sententia aduersariorum fere omnium præcissiones obiectiuas à Deo penitus exterminantium: ergo relatio constituens concretum Dei tantum potest esse præcissa ex parte actus omnes diuinas relationes confundentis: relatio autem ita præcissa, intrinsece, & ex parte obiecti non est vnica, sed cumulus omnium, qui de singulis Personis prædicari non potest: ergo concretum *Deus* ea relatione constitutum de singulis Personis prædicari non potest, saltem integrum, sed adæquatum de vna, & adæquatum de altera. Vnde fieret concretum *Deus* quod prædicaretur de Patre diuersum esse à concreto *Deus*, quod enunciaretur de Filio: ad quod vitandum sapientia illa commuuis inuenta fuerat. *Secundo*, quia concretum Deus, non constituitur relatione præcissa, vt ostendam de attributis: ergo neque constituitur subsistentia

Concretum Deus non constituitur subsistentia relatiua præcissa

relatiua

relatiua præcissa. *Tertio*, quia concretum *Deus*, ita commune est omnibus Personis, vt nihil illius multiplicetur in singulis, aliter Pater, Filius, & Spiritus S. non essent idem Deus: subsistentia autem relatiua ab omnibus præcisa multiplicatur in singulis Personis: ergo non potest constituere concretum *Deus*. *Quarto*, quia vt aiebat S. Thomas supra num. 37. subsistentia constituens hunc terminum *Deus* prædicatur singulariter, non minus quam natura: ergo est singularis, & non tantum communis beneficio præcisionis.

Quid sétiút alij circa concretum. Dei eiusque subsistentiá.

44 Dices secundo, concretum, *Deus* in tota suâ latitudine non esse singulis Personis commune vt pote constitutum triplici subsistentia relatiua, & nulla absoluta. Id tamen non obstat, quominus singulæ Personæ sint Deus; nam Deus Pater constituitur Deitate, & Paternitate, Deus Filius Deitate & Filiatione, Deus Spiritus Sanctus Deitate, & Spiratione passiua. Nec id obstat, quominus omnes Personæ dicantur vnus, & idem Deus; nam ad id sufficit, habere omnes vnam, & eamdem Deitatem, quam concretum Deus principalius importat. Sicut Pater, & Filius sunt vnus & idem Spirator ab vnica, eademque Spiratione actiua vtrique communi, & principalius importata à concreto Spiratoris, sicut insuper Deus, & homo in Christo quamtumuis distinctis naturis constituti, sunt vna, eademque Persona ab vnica, eademque Personalitate Verbi, quam Persona Christi principalius importat.

Concretum Deus in tota sua latitudine commune est omnibus personis.

45 Contra, quia concretum Deus in tota sua Latitudine est singulis Personis commune, vt pote constitutum natura diuina in se subsistente, nulla intellecta distinctione aut multiplicitate relationum, vt aiebat S. Thomas supra. Vnde licet ab vnica Deitate abstracta Personæ omnes dici possent vnus, & idem Deus, sicut Pater, & Filius dicuntur vnus spirator ab vnica spiratione actiua vtrique communi, de qua infra, & sicut homo, & Deus in Christo dicuntur vna, & eadem Persona ab vnica, eademque Personalitate Verbi, non tamen omnes Personæ dici possent vnus, idemque Deus ab vnica, eademque Deitate concreta, id est, in se subsistente, nulla intellecta multiplicitate, aut distinctione relationum: ergo vt omnes Personæ

sonæ ita sint vnus, idemque Deus, quæ est expressissima mens diui Thomæ, admittenda est subsistentia absoluta in Deo.

46. Confirmatur tertio ad hominem contra aduersarios. Quia natura diuina in sententia plurium eorum est radix, & principium virtuale omnium relationum: ergo ante omnes relationes supponenda est subsistens, & completa: non subsistentia relatiua, vt est certum: ergo absoluta. Prior consequentia probatur ad hominem contra aduersarios contendentes naturam diuinam non posse esse radicem, aut principium virtuale suæ existentiæ, quia natura quælibet ad operandum præsupponi debet existens: sed etiam ad connaturaliter operandum præsupponi debet subsistens: ergo cum natura diuina sit connaturalium radix, & principium virtuale omnium relationum, ante illas præsupponenda erit subsistens.

Natura diuina titulo radicis personalitatum supponenda est absolute subsistens.

SECTIO VI.

Obiectionum Solutio.

47 Obiicies Primo in sexta synodo actione 11. Sophronius Patriarrcha constantinopolitanus epist. profes. Fidei col. 3. (quæ recipitur ab eadem synodo actione 13.) ait. *Neque secundum quod Trinitas vnus Deus agnoscitur, & subsistentia tres, & tres Personæ, Pater, Filius, & Spiritus Sanct. dicitur contractus, vel compositus, vel confusus, & in vnam se colligens subsistentiam, in vnumque coercens non numerabilem Personam. Sabellianorum ista & prauitas, in vnam subsistentiam tres confundere subsistentias, & in vnam Personam easdem tres conspergens Personas.* In quibus sophronius, approbante concilio, respuit subsistentiam vnicam, eadem censura, qua damnat vnicam Personam. Vnde post pauca subiungit. *Vtrumque est impium tam singularitas circa subsistentiam, quam ternalitas in natura*: ergo in Deo non datur vna subsistentia singularis omnibus Personis communis. *Respondeo*, sermonem ibi non esse de subsistentia absoluta,

Sophronius Patriarcha, aliique Patres expositi.

absoluta, sed de relatiuis, quas asserere vnicam tantùm esse subsistentiam, eadem censura damnatur, ac asserere, omnes personalitates vnicam tantum esse Personam, & Personas diuinas solis nominibus distingui, quæ erat Sabellianorum prauitas. Similiter expendendi sunt Patres vnicam subsistentiam communem refutantes.

Non datur vna persona absoluta: ergo neque subsistentia.

48 Obiicies secundo, suppositum, hypostasis, Persona & subsistens pro eodem vsurpantur à Patribus: sed non datur vnum suppositum, nec vna hypostasis, aut Persona absoluta, & aliæ relatiuæ: ergo neque vna subsistentia absoluta, & aliæ relatiuæ.

Responsio Caietani semipersonã absolutam admittentis.

49. Respondet primò Caietanus 3. par. quæst. 2. art. 2. concedens semisuppositum, aut semipersonam absolutam, hoc est imperfectam rationem suppositi, aut Personæ, eo quod illi inconmunicabilitas deficiat. Hæc tamen doctrina communiter reprehenditur à Doctoribus. Hoc mihi certum, consonam non esse S. Thomæ sect. superiori hoc distinguenti inter subsistentiam, & Personam aut hypostasim quod ista dicat inconmunicabilitatem non vero subsistentia atque adeo vnde admittit subsistentiam absolutam, inde manifestissime reiicit hypostasim, aut Personam absolutam, & consequenter semipersonam.

Communis responsio doctorum.

50 Respondent alij secundo, subsistentiam simpliciter, qua ratione vsurpatur à Patribus, supponere pro complemento incommunicabili, quo pacto idem valet subsistens, ac suppositũ, hypostasis, & Persona. Hoc tamen non prohibet subsistentiam absolutam, quæ tantum est subsistentia cum addito. Hæc tamen responsio non videtur omnino plena. Nam si non obstante communi Patrum locutione, subsistentia cum addito, scilicet absoluta, admitti potest: ergo etiam hypostasis, & Persona cum addito, scilicet absoluta, admitti poterit, & sicut de ratione subsistentæ cum addito non est, esse incommunicabile, neque erit de ratione hypostasis, & Personalitatis cum addito, scilicet absolutæ.

Plenior argumenti solutio.

51 Respondeo ergo negans maiorem; subsistentia enim ex S. Thoma supra adducto latius patet quam hypostasis, & Persona, eo quod illa de omnibus Personis prædicari potest singulariter

gulariter, non minus quam essentia, non vero hypostasis, nec Persona, inde licet concedatur subsistentia absoluta, admittenda non est hypostasis, nec Persona absoluta, vt dicemus disp.sequenti sect.6.

52. Obiicies tertia subsistentia est vltimus terminus: ergo interminabilis vlterius: nihil autem absolutum est in Deo vlterius interminabile, cum omne absolutum per subsistentias relatiuas terminetur: ergo nihil absolutum poterit esse formaliter subsistentia. *Respondeo* negans antecedens de omni subsistentia, vt ostendimus sect. 1. De ratione enim subsistentiæ tantum est, complere naturam, constituendo cum illa concretum substantiuum, vt ibidem statuimus. Cum autem Deus sit concretum substantiuum commune omnibus Personis, vt constat ex sect. præcedenti, & vlterius per subsistentias relatiuas terminabile, inde subsistentia absoluta, & vlterius terminabilis admittenda in Deo est, vt omnes sint vnus idemque Deus iuxta ibidem tradita.

Vltimus terminus non est de ratione omnis subsistentiæ.

53. Obiicies quartò, si Deitas subsisteret per subsistentiam absolutam, esset per illam substantia completa: ergo non posset cum subsistentiis relatiuis constituere vnum per se, sed per accidens, quod dici non potest, *Respondeo* concesso antecedenti, negans consequentiam. Nam Deitas licet sit completa per subsistentiam absolutam, non tamen est vltimo completa, atque adeo potest per subsistentias relatiuas vlterius compleri, & cum illis vnum per se constituere. Sicut materia licet compleatur per formam potest vlterius compleri per subsistentiam, quia per formam non est vltimo completa.* *Quod si instens*, fieri inde, subsistentiam absolutam compleri, & subsistere per relatiuam, atque adeo dari subsistentiam subsistentiæ, & in infinitum abeundum. *Respondeo*, subsistentiam absolutam compleri quidem, & subsistere per relatiuas, non tamen in eodem genere, scilicet absoluto, qua relatione subsistentia absoluta complet essentiam: sed in diuerso, scilicet relatiuo. Vnde nullus est processus infinitus. Quod si iterum instes, non dari actionem actionis, neque vnionem vnionis: ergo neque subsistentiam subsistentiæ. *Respondeo*, possibilem esse actionem actionis, & de facto dari vnionem

Ex subsistentia absoluta, & relatiuis nihil impedit resultare vnum per se.

vnionis, nam eductio vnionis humanæ est vnio ipsius vnionis: ergo his potius probaretur possibilis, & existens subsistentia absoluta, quam impossibilis.

Obiectio, si daretur subsistentia absoluta, relatiua esset superflua.

55. Obiicies quintò, si daretur subsistentia absoluta, relatiua esset superflua; ergo non datur. Antecedens probatur, nam subsistentia relatiua necessaria tantum est, vt Persona diuina sit subsistens, & incommunicabilis alteri: id haberet, etiam si relatio non esset subsistentia: ergo subsistentia relatiua superflua est. Minor probatur, nam per subsistentiam absolutam esset quælibet Persona subsistens, & per propriam relationem, etiam si subsistentia non esset, incommunicabilis esset alteri: ergo esset subsistens, incommunicabilis alteri. Confirmatur, quælibet subsistentia relatiua reddit naturam perfecte subsistentem, & completam: ergo superflua erit alia subsistentia absoluta, qua iterum compleatur, & subsistat.

Munus, & necessitas vtriusque subsistentiæ absolutæ, & relatiuæ.

56. *Resp.* negans antecedens, subsistentia enim relatiua necessaria est ad vltimo constituendum concretum Personæ, quod nec præstare potest subsistentia absoluta nec præstaret relatio, si subsistentia non esset. Ad confirmationem concesso antecedenti, neganda est consequentia. Quia licet Paternitas reddat naturam diuinam perfecte subsistentem, non inde fit superfluam esse Filiationem eadem perfectione naturam diuinam complentem; quia necessaria est ad aliud concretum substantiuum personale constituendum. Subsistentia autem absoluta necessaria est ad concretum substantiuum *Deus* commune omnibus Personis constituendum, quod nulla relatio præstare potest, atque adeo superflua non erit, etiam si subsistentia relatiua naturam diuinam reddat perfectissime subsistentem.

Obiectio contra potissimum nostræ sententiæ fundamentum, & eius solutio.

57. Obiicies sextò, si daretur subsistentia absoluta, maxime, vt omnes Personæ essent vnus, idemque Deus: ad id subsistentia absoluta necessaria non est: ergo reiicienda. Maior est vnicũ fundamentum à nobis sect. præcedenti stabilitum. Minor probatur. Nam vt omnes Personæ sint vnus, & idem Deus, satis est, vnam, & eandem Deitatem esse in omnibus, quamuis non sit vna, & eadem subsistentia, sed diuersa: ergo. Antecedens probatur. Nam concretum *Deus* principalius

importat

importat Deitatem, quam subsistentiam, sicut concretum Personæ principalius importat Personalitatem, quam naturam: ergo sicut homo, & Deus, quantumuis naturis distinctis constitui, sunt in Christo vna, eademque, Persona, ab vnica Personalitate Verbi, quam concretum *Persona* principalius importat, ita omnes Diuinæ Personæ, quantumuis distinctis subsistentiis constitutæ, erunt vnus, idemque Deus, ab vnica, eademque Deitate, quam concretum *Deus* principalius importat: ergo ad id subsistētia absoluta superflua erit.

58. *Respondeo* ex dictis sect. procedenti, subsistentiam absolutam necessariam non esse, vt omnes Personæ sint vnus, & idem Deus ab vnica Deitate absoluta, sed vt tales sint ab vnica Deitate concreta, siue à concreto, *Deus*, secundum totam suam latitudinem omnibus Personis communi. Nam omnes; ita esse vnum, eumdemque Deum stabilitum est ex S. Thoma.

59. Obiicit vltimo quidam Recentior, & fidenter satis. Nam si daretur subsistentia absoluta, procedendum esset in infinitas subsistentias absolutas virtualiter distinctas, quarum vna esset alterius subsistentia, & altera istius, &c. id sine dubio absurdum est: ergo non datur. Ad sequelæ probationem ponit, subsistentiam, quæ in eius sententia est vltimus terminus præsupponens naturam, esse reflexiuam in naturam seu attingere illam, non vtcumque, sed vt præsuppositam ad subsistentiam. Quo posito, ita probat sequelam subsistentia absoluta reddit realiter formaliter naturam subsistentem: ergo natura sumpta realiter formaliter redditur subsistens per subsistentiam absolutam. Patet consequentia, nam si ob aliquam rationem natura eo modo sumpta non redderetur subsistens per subsistentiam absolutam, maxime, quia alicui, quod est realiter formaliter natura, non conueniret reddi subsistens per subsistentiam absolutam: id autem dici non potest: ergo. Minorem probat, quia omne prædicatum absolutum, quod conuenit naturæ, ea ratione, qua ipsi conuenit, conuenit etiam realiter formaliter cuilibet prædicato, tam absoluto, quam relatiuo, sic quia natura diuina est intelligens, Paternitas realiter formaliter est intelligens: ergo quia virtualitatem

Recens obiectio processum infinitum subsistentiarum intendens.

naturæ reddi subsistentem per subsistentiam absolutam totum est quid absolutum, debet realiter, formaliter conuenire cuilibet prædicato Dei; ergo natura diuina sumpta realiter formaliter redditur subsistens per subsistentiam absolutam. Atqui non potest subsistentia absoluta ita reddere naturam subsistentem quin aliquo modo, saltem virtualiter, tanquam vltimus terminus reflectat, seu attingat naturam sumptam realiter formaliter: ergo cum ex parte naturæ sic sumptæ detur subsistentia absoluta, debet subsistentia attingens naturam sumptam realiter, attingere etiam subsistentiam absolutam: ergo in subsistentia absoluta debet dari aliquod prædicatum, quod per modum vnius virtualitatis reflectat supra subsistentiam absolutam: ergo cum ista reflexio sit per modum vltimi termini. subsistentia erit; ergo concedenda esset vna virtualitas, quæ esset subsistentia alterius subsistentiæ, & sic in infinitum, cum de qualibet idem procedat argumentum.

Basis & fundamentum obiectionis directum.

60. Hæc est obiectio, sui authoris verbis proposita, ne quid roboris illi alienus calamus detrahat. In primis basis illius, & fundamentum, scilicet, subsistentiam esse vltimum terminum naturam præsupponens, negatur à nobis, quo totam argementi machinam corruere, quis ambiget? Tota enim substantiarum distinctio in ea præsuppositione rei supsistentis à subsistentia nitebatur. In nostra autem sententia, subsistentia absoluta non aliter reflectit, seu attingit naturam, quam in sententia obiicientis intellectio necessaria attingit, & reflectit in se ipsam. Sicut ergo ex reflexione intellectionis in se ipsam non sequitur processus inenitus intellectionum in tua sententia, ita neque subsistentiarum in nostra ex reflexione subsistentiæ in naturam.

Ea basi, & fundamento donatis, assumptum nō probatur.

61. Deinde, ea basi, & fundamento relatiuè donatis, assumptum sequelæ non probari videtur clarum. Nam vel subsistentia reddit realiter formaliter naturam diuinam subsistentem, vel non? si non ita reddit, cur subsistentia absoluta ita denominare debet. Si reddit realiter formaliter naturam

naturam diuinam ſubſiſtentem, Rogo, an ex hoc ſuo antecedenti bona ſit hæc conſequentia : ergo natura ſumpta realiter formaliter redditur ſubſiſtens per ſubſiſtentiam relatiuam. Si dicas bonam non eſſe, vnde hæc eadem conſequentia tua in ſubſiſtentia abſoluta ex eo antecedenti bona probabitur. Si dicas, quod neceſſe eſt, bonam eſſe ſtat tuum argumentum contra te in ſubſiſtentia relatiua. Nam ideo abſoluta reflectere debet in ſe ipſam, quia per modum vltimi termini reddit ſubſiſtentem naturam diuinam realiter formaliter ſumptam, qua ratione eſt ipſa ſubſiſtentia abſoluta : ſed natura diuina realiter formaliter ſumpta eſt ipſa ſubſiſtentia relatiua : ergo cum iſta denominat ſubſiſtentem naturam diuinam realiter formaliter ſumptam, reflectere debet in ſe ipſam per modum vltimi termini, non minus quam abſoluta : ergo in vtraque, vel in nulla, dari debet ſubſiſtentia in infinitum.

62. Confirmo, nam ſuppoſito arguentis fundamento, quod ſcilicet ſubſiſtentia debeat præſupponere naturam, ſubſiſtentia abſoluta, ſi daretur, eſſet virtualitas à natura diſtincta, non minus quam relatiua : ergo non ſequeretur proceſſus infinitus, atque adeo ex hoc inconuenienti non bene probatur impoſſibilis ſubſiſtentia abſoluta. Conſequentia probatur, ideo in ſubſiſtentia relatiua non ſequitur per te proceſſus infinitus, quia licet denominet naturam ſubſiſtentem, non tamen denominat illam realiter formaliter ſumptam, ſed ſolam denominat ſubſiſtentem virtualitatem naturæ, idem autem præſtaret ſubſiſtentia abſoluta, ſi eſſet; cum non minus eſſet virtualitas à natura diuina diſtincta, quam relatiua : ergo non ſequeretur proceſſus infinitus; atque adeo ex hoc inconuenienti ſequendo, non probatur impoſſibilis ſubſiſtentia abſoluta; cum tale inconueniens non ſequatur in mea ſententia, negante, ſubſiſtentiam debere præſupponere naturam, nec in tua id affirmante: ergo in nulla.

63. Ad argumentum Reſpondeo, ſubſiſtentiam abſolutam denominare virtualitatem naturæ realiter formaliter ſubſi-

ſtentem, id eſt vere, & formaliter ſubſiſtentem, & non per æquiualentiam tantum; quod ſi ſubſiſtentia abſoluta indiſtincta virtualiter ſit à natura diuina, cenſeo etiam denominare ſe ipſam realiter formaliter ſubſiſtentem, non minus quam naturam, quidquid ſit noſtro modo concipiendi. Quia ſubſiſtentia intrinſece, & ex parte obiecti eſt ipſa natura, & natura ipſa ſubſiſtentia. Non ſecus, nec aliter ac in communi ſententia in ſola actuali intellectione naturam diuinam conſtituente, intellectio actualis naturam, & ſe ipſam denominat realiter formaliter intelligentem, eo quod ipſa intellectio eſt natura, & ipſa natura eſt intellectio. Nec ex eo quod ſubſiſtentia abſoluta in ſe ipſam reflectat, inferri poteſt inter ſubſiſtentiam, & ſe ipſam diſtinctio vlla virtualis; quia ea reflexio non maiorem deſiderat diſtinctionem, quam reflexio diuinæ ſcientiæ neceſſariæ in ſe ipſam, quæ ſtat abſque vlla diſtinctione virtuali. Idemque eſt de reflexione amoris neceſſaria, vt oſtendi tract. de Voluntate Dei diſp. 3. ſect. 1. Nam vt conſtat ex dictis ſectione præcedenti de ratione ſubſiſtentiæ non eſt ſupponere naturam, ſed cum illa concretum ſubſiſtantiuum conſtituere.

Fit ſatis præcedenti fundamento.

DISPVT.



DISPVTATIO XIV.

De diuinis Perſonis in communi.

1. CVM diuinæ Perſonæ, earumve Perſonalitates, variis nominibus vſurpentur à Patribus; ſcilicet hypoſtaſis, ſuppoſiti, & Perſonæ; cumque non omnes huiuſmodi voces eandem omnibus temporibus ſignificationem habuerit, vt conſtabit ex dicendis, opere pretium erit, earum ſignificationes, tum antiquas, tum recentes exponere, vt conſtet qua ratione in Myſterio Trinitatis vſurpandæ ſint, ne aliquis earum ignarus indigne de Trinitate loquatur; tum etiam ne diſſimilibus temporum viciſſitudine Patrum teſtimoniis, aut mens perturbetur, aut eos exiſtimet ſiniſtre de Trinitate ſenſiſſe. Quæ omnia tum eruditioni noſtræ: tum eorum venerandæ authoritati conuenientiſſima ſunt.

SECTIO I.

Quid ſignificent hypoſtaſis, ſuppoſitum, Perſona, & prima ſubſtantia.

2. PVlſis Arrianis antiquioribus, & modernis, qui nomen hypoſtaſis, tanquam nouum, prophanum, & improprium deridebant, quos noſter Ruiz ſolita eruditione confutat diſp. 31. ſect. 1. & 2. Nomen hypoſtaſis apud antiquos Patres pro Nomen hypoſtaſis vſurpatum Pro eſſentia.

pro

Athanasius Epiphanius Marius Concilium Sardicense Tiberius Papa.

pro essentia vsurpari solitum est, vnde docebant vnam tantum esse hypostasim in Deo. Ita S. Athanasius orat. 5. contra Arrianos, & epist. ad Episcopos africanos. Epiphanius hæresi 69. fol. penult. Marius victorinus afer lib. de Homousio recipiendo (tomo 4. Bibliot.) Concilium Sardicense, qua parte catholicum, & approbatum est, epist. Synodali 3. Tiberius Papa in fragmento Epistolæ ad Athanasium, quæ in recentioribus Conciliorum editionibus est epist. 10. & inter opera Athanasij ponitur post expositionem Fidei Athanasij.

Hieronym. Augustinus Rusticus Fulgentius.

3. Ex latinis Patribus hypostasim pro essentia vsurparunt Hieronimus epist. 57. ad Damasum his verbis. *Tota sæcularium litterarum schola, nihil aliud hypostasim, nisi vsiam nouit,* vnde post pauca infert. *Quisquis tria esse, hoc est, tres esse hypostases, id est, vsias dicit; sub nomine pietatis tres naturas conatur asserere,* & paulo inferius. *Taceantur tres hypostases, si placet, & vna teneatur.* Augustinus lib. 5. de Trinitate cap. 8. *Essentiam dico, quæ vsia græce dicitur, quam vsitatius subsistentiam vocamus. Dicunt quidem, & illi hypostasim, sed nescio quid volunt interesse inter vsiam, & hypostasim.* Rusticus in disputatione contra Acephalos. Fulgentius lib. de Incarnatione, & gratia cap. 3. Plures denique Philosophi, vt scribunt Nicephorus lib. 10. historiæ cap 5. & Socrates lib. 3. cap. 5. in Tripartita lib. 6. cap. 21.

Nunc hypostasis idem valet ac suppositum, & persona.

4. Quamuis autem antiquioribus illis temporibus nomen hypostasis pro essentia, seu natura inualuisset, vnde vna tantum hypostasis asserebatur in Deo. Nunc tamen idem significare quod suppositum, siue persona, atque adeo in Deo tres esse hypostases, adeo certum est, vt oppositum absque erroris nota doceri non possit. Ita Concilium Nicænum apud Cyrillum nomen hypostasim frequenter vsurpans in plurali: *Trinitatis hypostases non esse disjunctas,* & iterum *vna est diuinitas vtriusque Personæ iuxta hypostasum considerationem.* Ephesinum primum anathematismo 2. definit. *Verbum carni secundum hypostasim vnitum.* Vnde hypostasis sumitur pro subsistentia, seu personalitate Verbi. Denique Nicænum secundum, quod est Concilium generale septimum actione 3. in confessione Fidei Tharasij frequenter dicit *tres subsisten-*

Concilium Nicænum Ephesinum Nicænum secundum.

tias,

tias. Et longe inferius in exemplari litterarum Theodori Patriarchæ Ieroſolimitani ſub initium, *Tres hypoſtaſes prædicantur.* Et damnat Sabellianos, quia Deum contrahebant in vnam hypoſtaſim.

5. Eandem vſurpationem hypoſtaſis Patres diſertiſſime tradunt. Gregorius Nycenus lib. de Trinitate ad Euſtachium aiens. *Tres hypoſtaſes, ſiue Perſonas confiteamur.* Idem inculcat orat. cateche. cap. 1. & lib. de differentia vſiæ, & hypoſtaſis indifferenter tanquam ſynonymis vtitur nominibus, hypoſtaſis ſubſiſtentiæ, & Perſonæ. Baſilius epiſtol. 43. ad Gregorium Nycenum in cuius initio, *hypoſtaſim, ſubſiſtentiam, & Perſonam*, tanquam ſynonyma vſurpat. Chriſoſtomus Homil. 5. de incomprehenſibili Dei natura ait. *Perſonam, ſiue hypoſtaſim aliam eſſe Filij, quam Patris.* Cyrillus Alexandrinus lib. 1. Theſauri cap. 3. loquens de diſtinctione Perſonarum inquit: *Differentiam ſecundum relationem eſſe, per quam vtrinſque Perſona in propria hypoſtaſi conſtituitur.* & poſt pauca, *Vt hypoſtaſim, quæ generat, & quæ generatur, diuina ſcriptura notionibus diſtingueret, Patris, & Filij nominibus vſa eſt.* Theodoretus dialogo 1. *Hypoſtaſim Perſonam, & proprietatem idem ſignificare dicimus, ea, quæ à Sanctis Patribus ſunt definita, ſequentes* Damaſcenus lib. de decretis primæ inſtitutionis cap. 1. 4. & 6. docet eſſe *tres hypoſtaſes*, Patrem, Filium, & Spiritum S. notans idem eſſe hypoſtaſim, & Perſonam.

Gregorius Nycenus. Baſilius. Chriſoſt. Cyrillus Alex. Theodoret. Damaſcenus

6. Circa latitudinem vero ſignificationis huius nominis *hypoſtaſis*, notandum eſt cum P. Ruiz vocabulum hoc ex prima nominis impoſitione, atque ethymologia ſubſiſtendi, fuiſſe latum, & indifferens, vt acciperetur pro quocumque ſuppoſito, ſiue indiuiduo ſubſtantiæ, quantumcumque irrationali, vel inſenſibili. Communis tamen vſus Græcorum, latinorumque Patrum reſtrinxit vocabulum, vt ſolum modo ſuppoſita ſubſtantiarum intelligentium appellantur hypoſtaſes. Ita S. Thomas quæſt. 29. art. 2. ad primum, ita habens. *Hypoſtaſis apud Græcos ex propria ſignificatione nominis habet, quod ſignificat quodcumque indiuiduum ſubſtantiæ. Sed ex vſu loquendi habet, quod ſumatur pro indiuiduo rationalis naturæ, ratione ſuæ excellentiæ.* Idem tenet Boetius libro de duabus

Latitudo, & reſtrictio nominis hypoſtaſis.

naturis. Quare nunc idem valet hypostasis, ac Persona, & econtra.

Quid sit Persona. Boëtius.

7. Persona autem ex Boëtio citato est. *Rationalis naturæ indiuidua substantia.* Dicitur *Rationalis*, vnde irrationabilia, & insensibilia à ratione Personæ pœnitus excluduntur. Dicitur *naturæ*, non partialis, & incompletæ, sed totalis, & completa; vnde iure optimo ab omnibus Theologis reiiciuntur Hugo victorinus, & Magister, docentes, ille lib. 2. de Sacramentis part. 2. cap. 11. iste lib. 3. dist. 5. animam separatam esse Personam. Dicitur *indiuidua substantia.* Non quia natura non possit esse alteri communis, sed quia complexum ex natura, & subsistentia constituente Personam non debet esse commune alteri. Vnde subsistentia absoluta, nec personalitas est, nec Personam constituit, idemque est de relatione spiratoris si subsistentia sit, cum Patri Filioque sit communis.

Quid suppositum, & prima substantia.

8. Suppositum latius patet, quam hypostasis, & Persona, dicitur enim de substantiis, non solum rationalibus, sed etiam inanimatis; omnis enim substantia indiuidua completa suppositum est. Conuenit autem cum hypostasi, & Persona, eo quod cum natura constituat substantiam indiuiduam; id est alteri minime communem. Vnde in Deo tria tantum supposita dabuntur, scilicet Patris, Filij, & Spiritus sancti. Deinde prima substantia est, substantia singularis completa quo nihil, difert à supposito: nisi nomine primæ substantiæ intelligatur diuina, sicut nomine primientis, & primæ causæ, intelligitur Deus.

SECTIO II.

Sit-ne in Deo vera ratio suppositi hypostasis, & Persona.

In Deo est vera ratio Personæ.

9. Assero primò, in Deo esse verissimam rationem Personæ. Conclusio est Catholica passim in Conciliis stabilita, dum tres in Deo Personæ contra hæreticos definiuntur

untur. Id quod in symbolo semel, & iterum expressum est. *Alia est enim Persona Patris, alia Filij, alia Spiritus Sancti. Tota tres Personæ coæternæ sibi sunt, & coæquales.* Ratione probatur conclusio primò. Quia Deus est rationalis substantia, vt contra posita accidenti: non vniuersalis, sicut dici solet animal respectu hominis, & Leonis: ergo indiuidua: hoc est autem esse Personam, vt constat ex eius definitione: ergo. *Confirmatur*, nam vniuersalia non existunt nisi in singularibus, & ratione illorum, vnde licet quis erraret existimans Deum esse naturam vniuersalem, sicut animal adhuc compelleretur concedere singulare indiuiduum vnum, aut multa, in quibus talis esset natura: ergo concedenda esset natura diuina indiuidua, & consequenter Persona diuina. Multiplex ratio conuincens Deum esse personam.

10. Secundò. Naturæ rationali debitum est complementum personale: essentia autem diuina est natura rationalis: ergo debitum illi est complementum personale. Maiorem qui negauerit contra se aget. Minor autem euidentissima est, quia natura rationalis est omnium perfectissima, atque adeo concedenda Deo, quo nihil melius esse potest. Confirmatur *Primò*, quia licet substantia rationalis possit sine complemeto personali diuinitus existere, connaturaliter tamen sine illo existere impossibile est: ergo cum Deus sit substantia rationalis connaturaliter existens, concedendum est illi complementum personale. *Secundò*, quia vt ait S. Thomas hic art. 3. *Persona significat id, quod in natura intellectuali perfectissimum est*: ergo Deo concedenda. *Tertiò*, quia Deus probatur intelligens, eo quod sit causa nostræ intellectionis, iuxta illud Prophetæ Psalm. 93. *Qui plantauit aurem non audiet; aut qui finxit occulum non considerat?* ergo cum Deus sit causa nostræ personalitatis Persona erit. *Quartò*, quia substantia rationalis sine complemento personali imperfecta est, & incompleta: ergo substantia diuina, vt pote summe perfecta, completa erit.

11. Obiicies, nomen *Personæ* numquam in sacris litteris tribuitur Deo: ergo tribuendum illi non est. *Respondeo*, concesso antecedenti, negans consequentiam. Quia licet in sacris litteris nomen Personæ duo non tribuatur, tribuitur tamen Hæreticorũ obiectio, in sacris litteris non tribui Deo nomen personæ.

eius significatum, dum Deus dicitur Pater, Filius, & Spiritus. Quod si de rebus diuinis non esset agendum, nisi per eas tantum voces, quas in Sacris Litteris reperimus, fieret, vt ait S. Thomas hic art. 3. ad primum de rebus diuinis loquendum non esse, aut scribendum, nisi ea tantum lingua, & characteribus, quibus primo ab Spiritu sancto dictata fuere. Vnde reiiciendi sunt hæretici docentes, nouitatem esse profanam, nomen Personæ tribuero Deo. Non enim profanum est, sed pium, atque laudabile, tribuere Deo nomen, cuius significatum in sacris litteris continetur, maxime interposita Conciliorum, & Patrum authoritate.

In Deo est vera ratio hypostasis.

12. Assero secundò, in Deo esse verissimam rationem hypostasis. Hæc conclusio infertur ex præcedenti. Nam hypostasis idem est, quod Persona, vt statutum est sect. 1. in Deo autem est verissima ratio Personæ: ergo & hypostasis. Idem dicendum est de supposito; nam licet non omne suppositum sit Persona, vt dictum est sect. 1. omnis tamen Persona suppositum est. Idemque de prima substantia sentiendum, cum nihil differat à supposito.

SECTIO III.

An ratio formalis vltimo constitutiua Personæ diuinæ sit quid positiuum tantum, vel etiam negatiuum.

Ad constitutionem Personæ diuinæ necessariam esse proprietaté realem, & positiuam certum est.

13. Certum est apud omnes ad rationem Personæ diuinæ necessariam esse propietatem realem, & positiuam distinguentem vnam Personam ab alia, & non sufficere naturam diuinam, licet singularis, & indiuidua sit. Nam Pater, Filius, & Spiritus sanctus sunt tres Personæ positiuæ, & realiter inter se distinctæ; atque adeo propietatibus positiuis constitutæ. Difficultas ergo est, An vltra huiusmodi propietates ad constitutiuum formale Personæ pertineat aliqua negatio, non quæ Personam vltimo constitutam subsequetur, sed

quæ

quæ vltimo, & formaliter Perſonam conſtituat in eſſe Perſonæ.

14. Et quidem diuinas Perſonas non conſtitui aliquo prædicato rationis, ſeu ficto, exploratum mihi eſt. Tum quia exiſtunt à parte rei tres diuinæ Perſonalitates conſtituentes Perſonas. Tum etiam quia diſtinctio Perſonarum eſt realis adæquate. Tum præterea, quia relationes conſtituentes Perſonas, eaſque diſtinguentes reales ſunt. Tum denique quia Perſonalitas creata eſt realis: ergo & diuina, vt pote infinite perfectior.

15. Prior igitur ſententia affirmat negationem communicabilitatis eſſe rationem formalem vltimo conſtitutiuam Perſonæ, in eſſe Perſonæ. Ita Scotus 1. diſt. 23. quæſt. vnica §. *ad quæſtionem*. & diſt. 25. quæſt. vnica. & 3. ſent. diſt. 1. quæſt. 1. art. 3. Baſolis 3. diſt. 1. quæſt. 1. art. 1. Ocham. 3. diſt. 1. art. 3. col. 2. Canarienſis hic quæſt. 29. art. 4. ad 3. Henricus quodlib. 5. quæſt. 8. Noſter Molina quæſt. 29. art. 1. diſp. 3. & art. 2. diſp. 3. Prior ſententia. Scotus. Baſolis. Ocham. Canarienſis Henricus. P. Molina.

16. Poſterior ſententia negat pertinere ad conſtitutiuum formale Perſonæ diuinæ negationem vllam, quamuis ad perſonam integre, & formaliter conſtitutam ſubſequatur. Ita S. Thomas hic quæſt. 29. art. 1. ad 3. & art. 2. corpore & 4. Inſuper magiſque ex profeſſo quæſt. 30. art. 4. & communiter expoſitores ibi. Alexander 1. parte quæſt. 56. memb. 4. artic. 1. & 2. Albertus 1. part. quæſt. 44. memb. 1. 2. & 3. S. Bonauentura 1. diſt. 25. artic. 1. quæſt. 1. & 2. & artic. 2 quæſt. 1. Richardus ibidem art. 2. quæſt. 2. Capreolus diſt. 25. quæſt. 1. artic. 1. Deza ibidem. Marſilius 1. diſt. 18. artic. 2. Argentinas 1. diſt. 23. quæſt. vnica art. 1. Ex noſtris P. Soarius lib. 1. de Trinitate cap. 3. & tom. 2. Metaph. diſp. 34. ſect. 2. P. Vaſquez 1. part. diſp. 130. P. Ruiz diſp. 32. ſect. 5. num. 13. P. Zuñiga quæſt. 30. diſp. 5. dub. 4. & communiter omnes noſtri Doctores. Poſterior ſententia. S. Thomas Alexander Albertus. Bonauent. Ricardus. Capreolus. Deza. Marſilius. Argentinas P. Soarius P. Vaſquz P. Ruiz. P. Zuñiga.

17. Aſſerendum eſt Perſonas diuinas nulla ratione conſtitui in eſſe perſonæ adhuc inadæquate per negationem vllam, ſed per propietatem realem poſitiuam. Probatur primò, quia negatio communicabilitatis ſupponit in qualibet perſona propriam perſonalitatem poſitiuam, ex qua ipſa reſulrat; in Patre ſcilicet Paternitatem, in Filio Filiationem, & in Spiritu ſancto Perſonæ diuinæ ſolis conſtituuntur proprietatibus poſitiuis.

Tt 3 ſpiratio

spirationem passiuam: ergo antecedenter ad negationem communicabilitatis intelligitur quælibet diuina persona constituta in esse personæ. Antecedens probatur, nam illa negatio non resultat ex sola, est præcisa positione essentiæ, aliter cum sola essentia constitueret personam ergo supponit aliquid positiuum vltra essentiam: non absolutum: ergo relatiuum: ergo supponit Paternitatem in Patre, Filiationem in Filio, & spirationem passiuam in Spiritu sancto: omnes autem huiusmodi relationes sunt subsistentiæ personales: ergo personalitates: ergo negatio communicabilitatis supponit in qualibet persona propiam personalitatem positiuam; ex qua ipsa resultat, & potiori iure in radicem illam, quam in negationem, ratio personalitatis referenda videtur.

Paternitas non constituitur negatione, ergo neque personalitas.

18. Confirmatur. Nam Pater in esse Patris non minus est incommunicabilis Filio quam in esse personæ; tamen in esse Patris non constituitur negatione, sed Paternitate positiua, ex qua negatio resultat: ergo etiam in esse Personæ. Minor probatur, quia Pater, in esse Patris, est principium generatiuum, quod in solo positiuo consistere necesse est. Sicut Filius, in esse Filij, eo quod sit genitus, & productus, in solo positiuo consistere potest; negationes enim nec physice producere, nec produci possunt. Declaratur amplius, nam sicut Persona Patris est incommunicabilis Filio, ita natura, seu essentia Patris est commmunicabilis ipsi: natura autem Patris non constituitur in esse communicabilis per carentiam incommunicabilitatis: sed per solam radicem positiuam illius: ergo neque Persona Patris constituetur adhuc inadæquate, in esse incommunicabilis per negationem communicabilitatis, sed per solam radicem illius positiuam.

Communicabilitas essentiæ non constituitur negatione, ergo neque incommunicabilitas Personæ.

19. Probatur secundò. Si Persona diuina constitueretur ex proprietate positiua, & negatione communicabilitatis, Pater in esse Personæ (idemque est de Filio, & Spiritu sancto) esset complexum ex positiuo, & negatiuo: atque adeo constitueretur extremis simpliciter inter se distinctis, & realiter identificari penitus repugnantibus, quæ omnia absurdissima sunt, maximè cum radix huiusmodi negationes per se ipsam sit positiue

tiue repugnans, vt communicetur alteri: ergo erit poſitiua in communicabilitas. Ad quid ergo negatiua ad conſtitutionem Perſonæ diuinæ deſiderabilis erit.

20, Confirmo, nam integra Perſonalitas Verbi terminat phyſice humanitatem Chriſti: non autem terminat negatio: ergo hæc non eſt de conſtitutiuo Perſonalitatis Verbi. Minor eſt certa, quia ſicut carentiæ non poſſunt phyſice produci, ita neque poſſunt vniri. Maior probatur, quia ſi integra Perſonalitas Verbi non terminaret humanitatem, neque cum illa conſtitueret Perſonam integram, & perfecte talem: non enim eſt Perſona integra, & perfecta vbi aliquid de formali conſtitutiuo Perſonalitatis deeſt, vel non terminat naturam. Idem vrgetur ex Perſonalitate Verbi terminante humanitatẽ.

21. Probatur tertiò, auulſo oppoſitæ ſententiæ fundamento, quod duplex eſſe videtur. Primum ſumptum ex Philoſophia conſtituente ſubſiſtentiam creatam in ſola negatione: & hoc in diuinis non ſubſiſtit, nam ſi in creatis daretur modus, aut entitas poſitiua, à natura diſtincta, & quæ radix eſſet illius negationis, ſubſiſtentia creata integrè poſitiua eſſet: ergo cum id reperiatur in diuinis, nullo fundamento donatur negationi locus. Secundum fundamentum, quia incommunicabilitas eſt prædicatum negatiuum, idemque valens ac non communicabilitas, ſiue negatio communicabilitatis: id autem falſum eſt: ergo. Minor probatur. Quia plura ſunt prædicata Dei, quæ licet per negationem à nobis explicentur, reuera tamen in ſe poſitiua ſunt, videlicet independentia, indefectibilitas, incomprehenſibilitas, immenſitas, infinitas: ergo eiuſdem erit generis incommunicabilitas. Fundamentũ aduerſariorũ directum.

22. Probatur quartò, quia diuinæ Perſonæ vltimò, & formaliter conſtituuntur relationibus; Pater Paternitate, Filius Filiatione, & Spiritus ſanctus ſpiratione paſſiua: relationes autem ſunt adæquate quid reale poſitiuum: ergo & Perſonæ. *Confir.* Non perſonalitates diuinæ ſecundum ſe totas identificantur realiter eſſentiæ: nulla autẽ negatio realiter idẽtificatur eſſentiæ: ergo neque conſtituit Perſonã. Quod ſi dixeris negationem cõmunicabilitatis diſtinctam realiter non eſſe ab ipſa proprietate relatiua, atque adeò vna cum illa identificari realiter Diuinæ relationes nõ conſtituuntur negatione, ergo neque perſonalitates.

eſſentiæ

essentiæ. Si inquam hoc dicas das nobis intentum, nam negatio identificata enti positiuo, ens positiuum est,& non pura negatio, de qua loquimur. Nec ea negatio distingui potest virtualiter à Paternitate, aliter in ista darentur conceptus relatiui virtualiter distincti, atque adeo realiter, & virtualiter quid positiuum erit.

SECTIO IV.

An diuinæ Personæ constituantur propietatibus absolutis, vel relatiuis, & sub qua ratione.

23. CONstat ex dictis sect. præcedenti, diuinas Personas constitui propietatibus realibus, & positiuis. Quærimus nunc, an huiusmodi propietates sint absolutæ, vel relatiuæ, & sub quo conceptu diuinas personas constituat. In primis autem certò suppono contra Propositum relatum à S. Thoma quæst. 40. artic. 4. & Gregorium, in diuinis vltra essentiam, seu naturam dari etiam propietates. Statuit lataranense cap. *Firmiter* his verbis. ***Hæc sancta Trinitas secundum communem essentiam indiuidua, & secundum propietates Personales discreta.*** Idem canit præfatio Missæ in festo Trinitatis. ***In essentia vnitas, & in Personis propietas.*** Idemque Patribus frequentissimum, est familiarissimum est: ergo vltra essentiam Personis omnibus communem, propietates Personales admittendæ sunt & ratio est, quia cum Personæ diuinæ sint realiter inter se distinctæ, vltra naturam omnibus communem, aliquid vniuscuiusque propium, quod propietatem vocamus, concedendum est.

Concilium lateranense statuens in Trinitate proprietates

24. Scotus ergo in 1. dist. 26. quæst. 1. & Ioannes de Ripa, affirmant Personas diuinas constitui, & distingui propietatibus, non relatiuis, sed absolutis. Quorum vnicum fundamentum est, quia videlicet relatio inter extrema distincta, non facit, sed supponit distinctionem extremorum, & consequenter constitutionem eorum supponit. Communis tamen fere

Scotus, & Ripa constituentes Personas proprietatibus absolutis.

fere omnium Theologorum ſententia oppoſitum conſtantiſſime tuetur, videlicet, Perſonas diuinas conſtitui, & diſtingui, non propietatibus abſolutis, ſed relatiuis.

25. Aſſero primo, Perſonas diuinas conſtitui propietatibus relatiuis, non abſolutis. Probatur, quia nomina omnia, quibus ſcriptura, Concilia, & Patres Perſonas diuinas explicant, relatiua ſunt, videlicet Pater, Filius, & Spiritus ſanctus. Sic Ioannes Theologus in Concilio Florentino ſeſſ. 18. air. *Sola relatio apud Græcos, & Latinos Doctores diuina proceſſione multiplicat Perſonas*: ergo ſolæ relationes illas conſtituunt. Nam vel illud abſolutum eſſet commune vel proprium, & ſingulare vniuſcuiuſque Perſonæ? ſi primum: ergo vnica tantum erit Perſona tribus relationibus communis. Si ſecundũ: ergo daretur diſtinctio realis inter aliquod relatiuum, & abſolutum, nam abſolutum propium Patris non eſſet in Filio: ergo diſtingueretur realiter à relatione Filij, imo & ab abſoluto propio ipſius Filij, quæ tanquam abſurdiſſima audienda non ſunt. Diuinæ Perſonæ non conſtituuntur proprietatibus abſolutis, ſed relatiuis.

26. Confirmatur, Poteſt relatio tranſcendentalis conſtituere relatum: ergo nullum eſt fundamentum ad conſtituendas Perſonas propietatibus abſolutis conſequentia bona eſt ex aduerſariorum doctrina. Antecedens probatur, nam relatio, qua cognitio fertur in parietem conſtituit illam, & relatio, qua vnio fertur ad extrema illam conſtituit, idemque eſt de relatione, qua omnipotentia fertur in creaturas, & qua homo fertur in creaturas, & qua homo fertur in ſuas operationes: ergo ſimiliter relationes, quibus diuinæ Perſonæ mutuo ſe reſpiciunt, poterunt illas conſtituere, maximè cum tranſcendentales ſint. Relatio tráſcendentalis conſtituit relatum.

27. Obiicies *Primo*, illud Prouerbiorum 30. *Quod nomen eius. & quod nomen Filij eius ſi noſti*: ergo præter nomen Patris, & Filij, aliud latet nobis occultum, & propietatem indicans abſolutam. *Secundo* Prius concipitur Pater generare, quam ad Filium referri: ergo prius intelligitur Perſona generans conſtituta, quam relata. *Tertio*, quia relatio non conſtituit extrema, ſed ſupponit conſtituta: ergo neque relatio diuina conſtituet Perſonas, ſed ſupponit conſtitutas.

28. Reſpondeo, teſtimonium illud prouerbiorum ſolum

contendere, tantam esse diuinarum Personarum dignitatem, tantamque ingenij nostri pusillitatem, vt ne nomen quidem earum plene explicare possimus & quamuis aliud nomen diuinarum Personarum lateret, vnde probabitur, significari illo propietatem absolutam, potius quam relatiuam, cum latente nomine, simul etiam lateat significatio. Ad *Secundum*, negamus antecedens; idem enim omnino est, Patrem generare, seu esse principium generatiuum, & ad Filium refferri. Ad *Tertium*, negandum est similiter ancecedens de relatione transcendentali, quales sunt diuinæ, hanc enim constituere relatum constat instantiis à nobis obiectis. Et quamuis relatio Spiratotis prædicamentalis sit, Patris, & Filij ad Spiritum sanctum, vnde nullam personam formaliter constituit, tamen nulla est Persona, quæ propia relatione transcendentali non constituatur, videlicet, Pater ad Filium, Filius ad Patrem, & Spiritus sanctus ad Spiratorem.

Corollarium ex dictis

29 Ex dictis collige, diuinas Persona constitui relationibus, Patrem relatione Paternitatis, Filium relatione Filiationis, & Spiritum sanctum relatione Spirationis passiuæ. An autem Pater, & Filius propiis relationibus Paternitatis, & Filiationis, quibus constituuntur, simul etiam ab Spititu sancto realiter distinguantur, vel sola relatione Spiratoris, constabit suo loco in controuersia illa satis trita An si Spiritus sanctus non procederet à Filio, distingueretur ab illo

Triplex cōceptus di-stinctus, & duplex sensus controuersiæ.

30 Circa secundam sectionis partem, sub qua ratione propietates relatiuæ constituant Personas. Triplex conceptus in diuinis relationibus distingui solet. *Primus* est conceptus personalitatis, quatenus vna cum natura constituit Personam. *Secundus* est conceptus originis, quatenus dicit rationem principij, aut termini. *Tertius* est conceptus relationis, qua vna Persona ad alteram refertur. De his omnibus conceptibus in duplici sensu potest agitari controuersia. *Primus* An, & sub quo illorum conceptuū propietates realitiuæ constituant personas virtualiter, & obiectiue *Secundus*, An, & qua ratione constituant in conceptu explicito, seu nostro modo concipiendi. Et quidem nullam Personam diuinam constitui virtualiter Spiratione actiua; & consequenter nec formaliter nostro modo concipiendi, mihi certum est, cum Spiratio,

actiua à Perſona Spiritus ſancti ſit realiter diſtincta,& virtualiter à Perſona Patris,& Filij.In conceptu ergo originis tantum comprehenditur virtus generatiua in Patre,& proceſſio paſſiua in Filio, & Spiritu Sancto.

31 Aſſero ſecundo, propietates perſonales ſub omnibus illis cōceptibus virtualiter,& obiectiue conſtituere Perſonas,videlicet, Patrē conſtitui conceptu perſonalitatis,conceptu virtutis generatiuæ, conceptu relationis, & etiam ſubſiſtentiæ ſimiliter Filium conſtitui conceptu perſonalitatis, conceptu termini geniti, conceptu relationis, & ſubſiſtentiæ.Pariter etiam Spiritum ſanctum conſtitui conceptu perſonalitatis, conceptu termini Spirati, conceptu relationis, & ſubſiſtentiæ. Ratio eſt quia illi conceptus in nulla Perſona ſunt virtualiter, aut obiectiuè diſtincti: ergo cum aliquis virtualiter, & obiectiue conſtituat, omnes etiam virtualiter, & obiectiue conſtituent. Antecedens mihi certum eſt; quia illi conceptus nulla componunt prædicata contradictoria, ex quo capite diſtinctio virtualis in diuinis haurienda eſt. Et quamuis illi conceptus virtualiter inter ſe diſtinguerentur, cum tamen vnaquæque Perſona ſuos omnes illos conceptus vurtualiter includat,illis omnibus virtualiter conſtituenda eſt, ſicut conſtituitur perſonalitate, & natura quamuis inter ſe virtualiter diſtinguantur.

Proprietates perſonales ſub triplici illo cōceptu perſonas virtualiter conſtituunt

32 Aſſero tertio Propietates perſonales ſub eiſdem omnibus conceptibus conſtituere formaliter noſtro modo concipiendi Perſonas.Ratio eſt quia licet illi conceptus eſſent inter ſe noſtro modo concipiendi diſtincti, vnaquæque tamen Perſona ſuos omnes illos conceptus adæquate conſiderata formaliter imbibit, non minus, quam includat homo rationes entis, ſubſtātiæ,viuentis,&c.ergo ſicut homo his omnibus formaliter cōſtituitur quantumuis inter ſe formaliter diſtinctis; ita Perſona diuina illis omnibus formaliter conſtituetur. Diuerſimodè tamen, nam Perſona diuina conſtituitur conceptu relationis, & ſubſiſtentiæ tanquam ratione communi,etiam non Perſonis, ſicut homo conſtituitur ratione animalis; conceptu vero Perſonalitatis,tanquā vltimo determinatiuo ad rationē Perſonæ; conceptu virtutis generatiuæ infinitæ,tanquā vltimo determinatiuo ad rationem Patris. Idemque reſpectu Filij,& Spiritus ſancti de ratione termini geniti, & Spirati.

Similiter etiam conſtituunt noſtro modo concipiendi modo tamē diſſimili.

Exemplis res vberius declarata.

33. Confirmo, nam ratio substantiæ diuersimode constituit Deum, ac ratio intelligentis infinite: non ex alio capite, nisi quia ratio substantiæ formaliter vt præcise talis communis est etiam creaturis; ratio vero intelligentis infinite propia Dei, idemque est de ratione generica, & differentiali cuiuslibet speciei, aut indiuidui constitutiuo: ergo cum conceptus relationis, & subsistentiæ formaliter, vt præcise talis, sint communes, etiam non Personis, diuersimode constituent, ac conceptus personalitatis: virtutis infinitæ generatiuæ, termini infinite geniti, & spirati. Dixi infinite, quia præcisa ratio termini geniti propia nón est Filij diuini, sed communes etiam creato.

34. Dices, de ratione Personæ non esse quemlibet conceptum relationis, & subsistentiæ, sed propium propietatis personalis; qui non Personis nulla ratione communis est. Fateor id verum esse de conceptu relationis, & subsistentiæ considerata iam in Persona diuina, velut se habet intrinsece, & ex parte obiecti in illa. Id tamen non obstat, quominus conceptus relationis, & subsistentiæ, formaliter vt præcise talis, dicatur communis non personis, tum quia est ratio conueniendi cum illis, tum etiam quia non valet consequentia, est relatio, aut subsistentia: ergo persona, tum denique, quia conceptus substantiæ absolutè dicitur communis, etiam si, quæ propia Dei est, non sit creaturæ communis; ergo idem dicendum est de conceptu præciso relationis, & subsistentiæ.

35. Dices iterum, datur personalitas, quæ non includit formaliter relationem ad aliam personalitatem, aut relationem, quæ sit illius principium, aut terminus, imo & Persona, vt patet in creatis: ergo Personalitas diuina non includit formaliter, vt præcise personalitas est, relationem ad aliam personalitatem, aut relationem, quæ sit illius principium aut terminus productus. *Respondeo* me non dicere præcisum conceptum personalitatis, aut personæ dicere eam relationem, sed Personam diuinam sub vtroque conceptu, & Personæ, & diuinæ.

SECTIO

SECTIO V.

Quid significet nomen Persona, & cur in Trinitate sint tres Personæ, & vnus tantum Deus.

36. HÆc controuersia grauis est, ab illa enim pendet reddenda ratio Mysterij Trinitatis, in tribus Personis, & vno solo Deo consistentis.. *Prima* sententia docet, Personam significare primario substantiam, & secundario relationem, siue propietatem personalem, videtur autem substantiæ nomine essentiam intelligere. Ita Marsilius 1. quæst.28. art.2. & 3. *Secunda*, & communis sententia tenet, Personam de formali, & in recto, solam dicere personalitatem, naturam autem in obliquo, siue de materiali. Ita sentire videtur P. Vasquez disp. 127. cap. 2. aiens Personam dicere directe relationem, essentiam vero consequenter. Clarius eam tenet sententiam P. Ruiz. disp.32. sect. 9. quem ex nostris sequuntur plurimi etiam ex recentioribus. *Tertia.* sententia asserit; Personam formaliter & in recto nec dicere naturam, nec relationem, sed quid abstractum ab vtraque, videlicet distinctum subsistens in natura. Ita sentire videtur Capreolus dist.27. quæst. vnica art.1. conclus. 3. Deza. dist. 29. art.1. & 3. præsertim notabili 1. & 2. Canariensis 1. part. quæst. 29. art.4. sua conclus.2. Scotus dist.25. quæst. vnica §. *Si autem teneatur.* Aureolus 1. dist. 25. art.3. propos. 3. *Quarta* sententia tuetur, Personam vtramque dicere formaliter, & in recto. Ita sentire videtur Magister 1. dist 25. cap. *Sciendum*, & cap. *Deinde* admittens significationem Personæ, non solum pro hypostasi, seu personalitate; sed etiam pro essentia, seu natura S. Bonauentura 1. dist.25. art. 1. quæ. 1. & alij.

Dissimiles sententiæ circa significationem nominis Persona. Marsilius. P. Vasquez & P. Ruiz. Capreolus. Deza. Canariensis. Scotus. Magister Bonauent.

37. Assero primò, Personam formaliter, & in recto non dicere solam personalitatem, nec solam naturam, sed vtramque simul. Probatur primo, quia sola personalitas in recto, vel sola natura, non est formaliter, & in recto Persona, sed pars,

Persona dicit in recto naturam simul, & subsistentiam.

vel quasi pars illius; sicut sola materia in recto. vel sola forma non est formaliter, & in recto compositum, aut humanitas, sed pars illius: ergo Persona formaliter, & in recto, non est sola personalitas, nec sola natura, sed vtraque simul. Patet consequentia, quia Persona illud dicit formaliter in recto, quod formaliter in recto est ipsa Persona: sola autem personalitas, vel sola natura formaliter, & in recto non est Persona, sicut sola materia non est homo: ergo personalitas formaliter, & in recto non est sola personalitas, nec sola natura, sed vtraque simul, sicut humanitas est anima simul, & materia. *Confirm.* quod est de formali constitutiuo rei, importatur in recto à tali re: sed tam personalitas, quam natura sunt de formali constitutiuo Personæ, non minus quam anima, & corpus sunt de constitutiuo humanitatis: ergo importantur in recto.

Natura simul, & personalitas prædicantur in recto de Persona.

38. Probatur secundò. Illud dicitur in recto ab aliquo, quod in recto potest de illo prædicari: de Persona autem possunt in recto personalitas simul, & natura prædicari: ergo vtramque Persona dicit in recto. Minor probatur. Nam personalitas simul, & natura ex vno capite, & Persona ex alio, conuertuntur ad inuicem; non minus quam homo, & animal rationale, ita vt non minus veræ sint prædicationes istæ, *Natura simul, & personalitas est Persona. Persona est natura simul, & personalitas*, quam istæ aliæ, *homo est animal rationale, & animal rationale est homo*: ergo de Persona, natura simul, & personalitas possunt in recto prædicari, non minus quam animal, & rationale prædicantur de homine. Id quod in Concilio Florentino sess. 19. fine expressit Marcus aiens. *Personam ex diuina substantia, propietateque constare, ita vt Persona nihil aliud, nisi substantia, & propieta. sit.* Vbi vtrumque de Persona prædicatur in recto, scilicet substantia, seu natura, & propietas, siue personalitas.

S. Thomas obiectus & expositus.

39. Obiicies, in difinitione Personæ scilicet, *Rationalis natura indiuidua substantia*, natura ponitur in obliquo, personalitas vero in recto: ergo Persona dicit personalitatem in recto, & naturam in obliquo. Confirmatur. Nam S. Thomas quæst. 34. art. 3. ad primum ait, *Quod in nomine Persona includitur, etiam natura oblique. Nam Persona est, Rationalis natura indiuidua substantia*: ergo Persona non dicit naturam in recto.

Respon

Respondeo, concesso antecedente, negans consequentiam, quia in explicatione rerum aliquando ponuntur in casu oblique, quæ importantur in recto, maxime quando obliquus casus æquiualet recto, vt contingit in præsenti, vbi rationalis naturæ indiuidua substantia, idem valet, ac rationalis natura, & indiuidua substantia, nam vtraque simul, natura scilicet, & personalitas, sunt persona. Ac si quis diceret, compositum est materia, vna cum forma. Vbi casus obliquus in quo ponitur forma, æquiualet recto, nam æquè bene diceretur, compositum est materia, simul & forma. S. vero Thomas non contendit, Personam secundum se dicere naturam in obliquo. sed tantum in definitione Boetij, quam refert.

40. Circa sectionis secundam partem, supponendum est de Fide, in Trinitate tres esse Personas, & omnes vnicum esse Deum. Ex illo Ioan 1. *Tres sunt qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres vnum sunt.* In qua veritate stabilienda fœlicissimas nauarunt operas Pontifices, & Concilia. Nicænum 1. lib. 2. de actis ante decretorum constitutionem col. 8. §. *Sancta & magna.* Nicœnum 2. quod est generale septimum act. 3. Calcedonense, quod est generale 4. actione 16. in professione Fidei. Damasus Papa in professione Fidei. Et Agato Papa in Sexta Synodo generali actione 4. epist. 2. Lateranense cap. *Firmiter* & cap *Damnamus*. Leo Magnus epist. 93. alias 91. ad Turibium cap. 1. Gregorius Papa in registro lib 1. epist. 41. Florentinum sess. 18. & 19. Toletanum 6. & 11. in professione Fidei, & alia.

Pontifices. & Concilia pro vnitate Dei, & Trinitate Personarum. Nicænum 1. & 2. Calcedonense. Damasus Papa Agatho Papa Leo Magnus Gregorius. Florentinũ. Toletanum. Lateranense

41. Difficultas ergo est, Vnde in Deo sint tres personæ, & vnus tantum Deus. Communis sententia docet concretũ substantiuum multiplicari ad multiplicationem illius, quod dicit in recto, cumque Persona dicat in recto personalitatem, & hæc sit triplex in Deo, inde in eo sunt tres personæ cum vero concretum Deus dicat in recto solam Deitatem, & hæc sit vnica inde vnus tantum est Deus. Cæterum doctrina hæc recti, & obliqui in concretis substantiuis falsam esse constat iam ex hactenus dictis; quare, in hac difficultate vincenda, noua semita ineunda est.

Cur in Deo tres tantum sint Personæ & Deus vnicus.

42. Assero secundo, ideo esse tres personas, & vnum tantum Deum, quia concretum substantiuum multiplicatur ad mul-

tiplicationem illius, quod se habet inter formæ tribuentis denominationem; cumque Personalitas se habeat instar formæ tribuentis denominationem Personæ, & illa sit triplex in Deo, inde sunt tres personæ. Cum vero Deitas se habeat instar formæ denominantis Deum, & hæc sit vnica, inde vnus est tantum Deus. Nec ab hac nostra sententia alieni sunt Recentiores docentes, concretum substantiuum multiplicari ad multiplicationem principalioris significati, etiam si minus principale dicatur etiam in recto. Quia nomine principalioris significati, intelligere non possunt, quod in se nobilius est, cum in persona nobilior sit natura, quam personalitas; atque adeo intelligi debet, quod se habet instar formæ tribuentis denominationem, iuxta superius dicta.

SECTIO VI.

An detur vna Persona absoluta tribus communis.

43. Difficultas est, An detur vna Persona absoluta, & singularis Patri, Filio, & Spiritui S. communis, sicut datur vna essentia singularis illis omnibus communis, sicut insuper à nobis admissa est disp. præcedenti vna subsistentia absoluta, & singularis, personis omnibus communis. Affirmat Cajetanus 3. par. quæst. 2. art. 2. Nam admissa nobiscum subsistentia absoluta, existimat, eam esse personalitatem absolutam, & cum natura personam absolutam constituere; quam tamen personam non vult esse plenam, & perfectam, sed semipersonam tantum, & incompletam.

Non datur in Deo vna Persona absoluta tribus communis.

44. Assero, concedendam nullatenus esse vnam personam absolutam tribus communem. Hæc est communis fere omnium Theologorum sententia contra Cajetanum. Probatur primo ex S. Thoma dist. 26. quæst. 1. art. 1. ita scribente: *Ad quartum dicendum est, quod persona, vt dictum est, non distinguitur in diuinis ex parte naturæ, vel ex parte ipsius esse, sed solum*

ſolum ex parte proprietatum vnde illa nomina quæ dicuntur ſecundum reſpectum ad proprietatem pluraliter prædicantur, ſicut hypoſtaſis. & perſona. Ergo ex parte naturæ, ſeu eſſentiæ diuinæ non correſpondet perſona abſoluta. Nam ibi diſtinguit S. Doctor inter Perſonam, hypoſtaſim, & eſſentiam ſeu naturam, & dum concedit naturam eſſe communem, idemque præſtat de ſubſiſtentia abſoluta, vt vidimus diſp. 13. ſect. 2 expreſſe negat perſonam, & hypoſtaſim eſſe communem, aut ſingulariter prædicari ſicut eſſentia, & ſubſiſtentia abſoluta ſingulariter prædicantur: ergo ex mente S. Thomæ nulla ſtat perſona abſoluta.

45. Probatur ſecundo. Nam perſona abſoluta eſſet in Deo omnino otioſa & forte principiis fidei pernitioſa: ergo reiicienda eſt, & extirpanda. Antecedens probatur, quia perſona illa vnica abſoluta ad nullum alium effectum inſeruire poſſet, niſi vt Pater, Filius, & Spiritus ſanctus eſſent vna perſona: id autem omnino otioſum eſt imo fidei principiis repugnans, docentibus non vnicam eſſe perſonam, ſed tres; & aliam eſſe perſonam Patris, aliam Filij & aliam Spiritus ſancti: ſubſiſtentia autem abſoluta neceſſaria eſt vt omnes tres perſonæ ſint vnus, idemque Deus concrete: ergo etiam admiſſa ſubſiſtentia abſoluta nullum eſt, vel leue fundamentum, ad perſonam abſolutam admittendam. Perſona abſoluta eſſet in Deo omnino otioſa

46. Tertio, de ratione perſonalitatis eſt, eſſe ſubſiſtentiam indiuiduam, id eſt, eſſe ſubſiſtentiam incommunicabilem pluribus, ſiue diſtinctis: ergo implicat in terminis perſonalitas abſoluta. Patet conſequentia nam perſonalitas abſoluta, hoc ipſo eſſet, & non eſſet communicabilis; eſſet quidem, quia omne abſolutum communicabile eſt omnibus perſonis, Non eſſet, quia incommunicabilitas eſt de ratione perſonalitatis: ergo. *Confirmatur*, nam perſonalitas abſoluta conſtitueret perſonam virtualiter diſtinctam à Patre, Filio, & Spiritu ſancto: ergo conſtitueret quartam perſonam, ſicut relatio Spiratoris conſtituit quartam relationem, etiamſi à Paternitate, & Filiatione virtualiter tantum diſtinguatur Implicat terminos perſonalitas abſoluta

47. Dices incommunicabilitatem non eſſe de ratione Per-

 ſonalitatis

ſonalitatis vt ſic, ſed de ratione tantum perſonalitatis relatiuæ; ſicut non eſt de ratione ſubſiſtentiæ vt ſic, ſed de ratione tantum ſubſiſtentiæ relatiuæ. Sicut ergo vltra ſubſiſtentias relatiuas admittitur à nobis abſoluta, cur etiam vltra perſonalitates relatiuas admittenda non erit abſoluta.

Incommunicabilitas eſt de ratione Perſonalitatis.

48. Contra primò, quia de ratione perſonalitatis eſt, eſſe ſubſtantiam indiuiduam, id eſt, ſubſiſtentiam incommunicabilem, vt loquuntur omnes Patres, à quibus in intelligentia nominum ſpectantium ad fidei myſteria recedere non licet. De ratione autem ſubſiſtentiæ id non eſſe, non noſtra fulcimur authoritate, ſed grauium Theologorum conſenſu, & expreſſiſſima S. Thomæ doctrina: non ergo idem ferendum eſt iudicium de ſubſiſtentia abſoluta, & perſonalitate, maxime cum vtriuſque non ſit eadem neceſſitas, vt vidimus. *Secundo*, quia ſi de ratione perſonalitatis non eſſet incommunicabilitas, relatio ſpiratoris cum ſubſiſtentia relatiua ſit, & Patri, Filioque communis, perſonalitas eſſet etiam relatiua, vtrique communis, vnde non ſolum daretur perſona abſoluta omnibus communis, ſed etiam relatiua Patri, Filioque communis, quod nec Cajetanus admittet, nec vllus alius.

49. Obiicies, Deitas, vt eſt vna entitas abſoluta, eſt ſubſtantia completa; aliunde eſt incommunicabilis cuiuis alieno ſuppoſito: ergo eſt perſona abſoluta. Patet conſequentia, quia ad perſonam aliud non exigitur, quam ſubſtantia completa incommunicabilis alteri. *Reſpondeo*, Deitatem, quatenus eſt vna entitas abſoluta, & à relationibus diſtincta, eſſe ſubſiſtentiam completam ſubſiſtentia abſoluta; & pluribus communi, non vero ſubſiſtentia incommunicabili pluribus, ſiue diſtinctis. Ad rationem autem perſonalitatis non ſat eſt incommunicabilitas alieno ſuppoſito, quam ex ſuis prædicatis habet natura, ſed vlterius opus eſt incommunicabilitas pluribus ſuppoſitis diſtinctis, etiam ſi propia ſint, ſubſiſtentia autem abſoluta pluribus diſtinctis incommunicabilis non eſt, & conſequenter nec perſonalitas.

50. Inſtabis in creatis, quælibet ſubſiſtentia naturæ rationalis eſt perſonalitas: ergo etiam in Deo: ergo ſubſiſtentia abſoluta perſonalitas erit abſoluta. *Reſpondeo* conceſſo antecedente,

dente, negans vtramque conſequentiam diſparitas eſt, quia in creatis nulla eſt ſubſiſtentia naturæ rationalis, quæ ſit communicabilis pluribus ſuppoſitis diſtinctis, inde quælibet perſonalitas eſt. In Deo autem ſubſiſtentia abſoluta eſt communicabilis pluribus ſuppoſitis diſtinctis, ideoque perſonalitas eſſe non poteſt.

SECTIO VII.

Dubia aliquot circa diuinas perſonas reſoluuntur.

Cur in Trinitate plures debeant eſſe Perſonæ.

51. DVbium primum. Cur in Trinitate plures ſint perſonæ? Et quidem plures eſſe, Fide Sanctum eſt, vt conſtat ex dictis, & contra Sabellianos, Trinitarios, aliosque ſequaces hæreticos negantes Trinitatem, & pluritatem perſonarum, ſæpius definitum. Reſpondeo igitur, ideo plures eſſe perſonas in Deo, quia pleniſſima, & perfectiſſima beatitudo, qualis eſt diuina, exigit conſortium plurium perſonarum in eodem bono æqualiter gaudentium. Tum etiam quia communicabilitas eſt de ratione bonitatis, cumque bonitas diuina ſit infinita, debet eſſe infinite communicabilis: non ad extra, vbi omnis communicatio finita eſt: ergo ad intra diſtinctæ perſonæ. Tum denique quia perfecta charitas, & amicitia, eſt vnius ad alterum: ergo cum in Deo ſit perfecta charitas & amicitia, debet eſſe vnius perſonæ ad alteram.

Cur Perſonæ diuinæ ſint tres tantum.

52 Dubium ſecundum. Cur perſonæ diuinæ ſint tres tantum? Reſpondent aliqui, ideo eſſe tres perſonas quia eſt duplex tantum proceſſio, atque adeo duplex perſona procedens, quæ ſupponere debent aliam improductam, cum procedentes ſe adinuicem producere non poſſint. Hæc tamen omnia licet reipſa certiſſima ex fide ſint, aſſumpti tamen rationem, quam inquirimus, reddere non videntur. Nam huiuſmodi Recentiores duplicem tantum proceſſionem ex triplici tantum perſona colligebant, vt vidimus, diſp. 4. ſect. 2.: ergo colligere nunc triplicem tantum perſonam ex duplici tantum proceſſione,

 circulus

circulus est. *Respondeo* igitur, in Deo tres tantum esse personas certo nobis ex sola fide constare, vt in simili dixi de duplici processione disp. 4. sect. 2. videas ibi dicta.

Quomodo in Deo concedendæ sint plures substantiæ.

53 Dubium tertium. An in Deo concedendæ sint plures substantiæ? Ratio dubitandi est, quia relationes, vt distinctæ ab essentia, sunt substantia, maxime mea opinione explicante substantiam: Ens de constitutiuo suppositi, quales sunt omnes relationes: ergo cum relationes sint plures; plures quoque substantiæ concedendæ in Deo erunt. Respondeo tamen cum communi sententia, simpliciter, & absolute concedendas non esse in Deo plures substantias, propter æquiuocationem nominis substantia cum essentia, sed cum addito tantum scilicet relatiuas.

Diuinæ Personæ conueniunt in ratione communi.

54. Dubium quartum: An omnes diuinæ personæ conueniant in aliqua ratione communi, seu per nostros conceptus præcisa. Duplex præcisio contingere posset circa diuinas personas, aut personalitates, siue relationes. Prima ex parte objecti cum distinctione virtuali rationis præcisæ à differentiis. Secunda ex parte actus nullum exigens distinctionem intrinsecam in objectis, qua ratione communiter præscinditur ens à differentiis. *Respondeo* ergo, diuinas personas conuenire in aliqua ratione communi, præcisa non ex parte objecti, quia nulla est necessitas distinctionis virtualis illius à differentiis, sed tantum ex parte actus, quia omnes cognosci possunt secundum rationem personæ in qua conueniunt.

Ratio Personæ est vniuoca.

55. Dubium quintum. An ratio personæ sit vnica in ordine ad tres personas? In primis æquiuocam non esse certum est cum diuinæ personæ non conueniant in solo nomine. Deinde analogam non esse mihi certum est. Quia sola transcendentia non sufficit analogiæ, sed metaphora necessaria est, ex traditis in metaph. ratio autem personæ non metaphorice, sed propriissime conuenit Patri, Filio, & Spiritui sancto: ergo analoga non est. *Respondeo* ergo vnicam esse quia propie, & sine vlla metaphora singulis conuenit personis.

An sit genus vel species.

56 Dubium sextum, An ratio vniuoca personæ, aut personalitatis, aut relationis &c. sit genus, vel species; Hic posset esse

quæstio

quæstio de voce. Quare *Respondeo* cum distinctione si enim ad rationem generis desiderantur species multiplicabiles in pluribus indiuiduis, ratio personalitatis ad Patrem, Filium, & Spiritum sanctum genus non erit, cum omnes diuinæ relationes, & personalitates singulares sint. Si vero ad rationem generis necessariæ non sint differentiæ specificæ multiplicabiles in pluribus indiuiduis, sed sufficiant singulares, ratio personalitatis poterit dici genus in ordine ad personalitates diuinas, vt pote specie distinctas inter se, cum vna sit Paternitas, altera Filiatio, & Spiratio passiua altera.

57. Dubium septimum, An tres personalitates sint tres vnitates, & veritates transcendentales relatiuæ? *Respondeo* affirmatiue, Tum quia sunt tres perfectiones, vt vidimus disp. 12. sect. 7. de ratione autem cuiuslibet perfectionis est vnitas, & veritas transcendentalis: ergo. Tum etiam, quia vnitas transcendentalis est, indiuisio in se & diuisio à quolibet alio; veritas autem est conformitas prædicatorum: quælibet autem personalitas, vt distincta ab essentia, est indiuisa in se, & diuisa, siue distincta à qualibet alia, habet insuper conformitatem in suis prædicatis: ergo vnitatem, & veritatem transcendentalem. Tum denique quia Paternitas per se ipsam, & vt distincta ab essentia, est vna, & vera paternitas; idemque est de Filiatione, & Spiratione passiua: ergo quælibet propriam habet vnitatem, & veritatem transcendentalem relatiuam; atque adeo cum sint tres personalitates, tres quoque vnitates, & veritates erunt. Tres personalitates sunt tres vnitates, & veritates transcendentales.

58. Dubium octauum, An personalitates habeant proprias existentias? *Respondeo* affirmatiue. Nam vt dictum est disp. 12. sect. 5. relationes diuinæ habent proprias existentias. Personalitates habent proprias existentias.

59. Dubium nonum, An sicut Deus dicitur trinus; ita possit dici triplex. *Respondeo* negatiue, quia triplex Deus significat tres esse Deos; trinus vero non ita sed trinitatem personarum, sic ex cōmuni illius vocis vsurpatione dicitur Deus trinus, & vnus. Inde licet Trinitas de Deo dicatur, non tamen triplicitas ob eamdē rationē. Cum addito tamen significante propietates Deus dicitur Trinus, triplex vero dici non potest.

 personarum

personarum dici poterit triplex persona; sicut S. Thomas quæst. 10. de potentia dicit duplicem processionem.

Filius dicitur alius à Patre, non vero aliud.

60. Dubium decimum, An sicut Filius absolute, & sine addito dicitur alius à Patre, ita dici posset aliud ab illo. *Respondeo* negatiue cum S.Thoma quæst. 31. art. 2. Nam aliud in genere neutro denotat essentiam diuersam: alius vero solam personalitatem. Cum addito tamen vna persona dici poterit aliud ab altera, scilicet relatiuum, similiter personæ sine addito dicuntur plures masculinè, non vero plura neutraliter ob eandem rationem.

Quomodo Personæ diuinæ dici possint differentes & diuersæ.

61. Dubiũ vndecimũ: An sicut personæ diuinæ, absolute & sine addito dicuntur distinctæ, ita etiam dici possent differentes, & diuersæ? *Respondeo* negatiue cum sancto Thoma citato, quia significant differentiam, & diuersitatem in essentia. Cum addito tamen dici poterunt differentes; & diuersæ, videlicet quoad relationes. Quamuis in voce differentia, nullum esse periculum docent P. Soarius 1. part. tract. 3. lib. 3. cap. 13. quia Patres, quos citat vtuntur illa. Similiter dici non possunt diuisæ, nec separatæ, quia id denotat carentiam vnitatis. Possunt tamen dici discretæ iuxta vsum Ecclesiæ, & Conciliorum.

Qua ratione nomen *solus* vsurpandum in Deo.

62. Dubium vltimum: qua ratione nomen *solus* vsurpandum sit in Deo? *Respondeo* primo, nomen solus addi posse termino essentiali dicendo, *solus Deus est omnipotens æternus*, &c. non vero dicendo, *Deus est solus*, quia denotat Deum esse solitarium, & absque Personarum consortio. *Respondeo* secundo, posse etiam addi termino personali, quando de illo aliquid propium illius prædicatur, dicendo verbi gratia, solus Pater gignit, solus Filius generatur. Dici etiam potest, Patrem esse solum verum Deum, ita vt particula solum sit nomen, & non se teneat ex parte subiecti, sed ex parte prædicati, nam sensus est, Patrem esse verum Deum, vltra quem non sit alius Deus. Sic Christus Ioan. 7. ait ad Patrem, *Vt cognoscat se solum verum Deum.*

DISPVT.



DISPVTATIO XV.

De prima Trinitatis Persona scilicet Patre.

1. STatutis relationibus, & Personis in communi, ad eas in particulari descendimus, singulas Personas singulis disputationibus expensuri, & quod propium vniuscuiusque est declaraturi; vnde facilius ad notiones diuinarum Personarum dignoscendas progrediemur. Prima ergo Trinitatis Persona dicitur Pater, Principium Filij, totius Diuinitatis fons, increatus, ingenitus, & improductus, verusque Deus, fatentibus etiam hæreticis, qui negabant Filium eiusdem esse substantiæ, naturæ, & essentiæ cum Patre; atque adeo Deum non esse. Quæ omnia hac disputatione librabuntur. Adsint nobis vtinam Deus Pater, Deus Filius, & Deus Spiritus Sanctus, dum hac, & sequentibus disputationibus res omnium suscipitur agenda.

SECTIO I.

An, & quomodo prima Trinitatis Persona sit Pater, & principium Filij.

Triplex nominis Patris vsurpatio, & quænam sit præsentis instituti.

2. NOmen Patris in diuinis tripliciter sumi potest *Primo*, strictè, & propie pro principio Filium sibi in natura simi

similem generante. *Secundò* minus stricte pro attributo omnibus Personis communi respectu creaturarum rationalium, quas Deus per sanctificantem gratiam adoptat in Filios; qua ratione in oratione Dominica Deum vocamus Patrem. *Tertiò* latissime pro causa cuiuscumque creaturæ etiam insensibilis, quo pacto apud Iob dicitur Deus, Pater pluuiæ, & de hac duplici vsurpatione nominis Patris, non procedit quæstio præsens, sed de prima tantum.

Prima Trinitatis Persona stricte, & proprie Pater est.

3. Assero primò, Primam Trinitatis Personam esse proprijssimè Patrem. Conclusio est de fide, ex innumeris Scripturæ testimoniis, in quibus prima Trinitatis persona rigorose, & absque vlla impropietate, aut metaphora dicitur Pater, & ita perpetuo accipiuntur à Patribus, & Conciliis. Tum etiam ex aliis, in quibus Filius dicitur genitus à Patre. Quale est illud Psal. 2. in Persona Verbi, *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te*, & illud Psal. 109. *Ex vtero ante Luciferum genui te* Matth. 17. *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Ioan. 1. *Vnigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit*, Et aliis innumeris in quibus Filius primam Trinitatis personam vocat *Pater meus*. Denique in Symbolo. *Alia est enim persona Patris, alia Filij, alia Spiritus sancti.* Et iterum. *Filius à Patre solo est, non factus, nec creatus, sed genitus.*

Duplex principij dissimillima vsurpatio.

4. Circa secundam sectionis partem, an scilicet Pater sit principium Filij, & similiter Spiritus sancti. Diligenter animaduertendum est, hoc nomen *principium* duo inter se distinctissima significare. *Primò* significat initium, seu inceptionem existentiæ in aliquo tempore. Sic Genes. 1. dicitur. *In principio creauit Deus cælum, & terram.* Et ad Hæbreos 1. *Et tu in principio Domine terram fundasti.* In quibus omnibus principium idem valet ac initium, seu incœptio durationis. *Secundò* significat principium, virtutem productiuam alterius procedentis ab ipsa, Et in rationalibus denotat Personam productiuam alterius, & originem istius ab illa.

Pater est principium Filij, & etiã Spiritus sancti.

5. Assero secundò cum omnibus Catholicis Patrem esse principium Filij, & etiam Spiritus sancti, quatenus principium denotat Personam productiuam alterius procedentis ab illa. Probatur primo ex Concilio Lugdunensi relato cap. 1. de sum-

ma Trinitate: & Florentino sess. vltima in litteris vnionis, statuentibus, Spiritum sanctum procedere à Patre, & Filio tanquam ab vno principio. Vnde manifeste sequitur, Filium à Patre tanquam à principio procedere, nulla enim scintillare valet discriminis ratio, propter quam Filius non procedat à Patre tanquam à principio; cum spiritus ita procedens ab vtroque omnem imperfectionis formidinem depellat.

Concilium Lugdunense, & Florentinum.

6. Probatur secundò ex Sacris litteris Psalm. 109. *Tecum principium in die virtutis tuæ in splendoribus sanctorum, ex vtero ante luciferum genui te.* Vbi nomine principij Patrem intelligunt Nazianzenus, Cyrillus, Augustinus, Prosper, & Rupertus citati à P. Ruiz disp. 48. sect. 1. Insuper Ioannis 1. *In principio erat Verbum.* Hoc est in Patre, vt interpretantur Athanasius, Cyrillus, Alexandrinus, Gregorius Nicenus, Nazianzenus, Augustinus, Prosper, Beda, Clemens Alexandrinus, Origenes, Rupertus, & Thomas, allegati ab eodem Ruiz.

Augustinus. Basilius. Athanasius. Cyrill. Alex. Sophronius.

7. Probatur tertiò ex Patribus. Augustinus 5. de Trinitate cap. 14. *si gignens, ad id, quod gignitur principium est.* & in fine cap. *Pater, & Filius relatiue ad Spiritum sanctum vnum principium.* Basilius homil. 28. de Spiritu sancto contra Sabellianos. *Ex principio Patris Filium subsistentem.* Athanasius orat. 2. contra Arrianos. *Pater principium Filij, & genitor est.* Cyrillus Alexandrinus lib. 2. thesauri cap. 1. *Alius est Pater, alius Filius, & alius est principium, alius ex principio.* Sophonias Patriarch. Constantinopol. in epist. profess. fidei. Sexta Synodo actio 11. col. 2. de Filio scribit, *Non aliud principium, quam Patrem cognoscentem.* Et ratio est, quia illud à quo aliquid procedit est principium illius: à Patre autem procedit Filius, & etiam Spiritus sanctus: ergo Pater est principium Filij, & etiam Spiritus sancti.

Pater non est principiũ Filij. sumpto principio pro initio durationis.

8. Assero tertio, Patrem non esse principium Filij quatenus hoc dicit initium, siue inceptionem durationis. Conclusio est etiam Catholica. Nam omnes tres Personæ coæternæ sibi sunt, & coæquales; atque adeo nulla habet principium durationis suæ.

9. Obiicies illud Ecclesiast. 24. vbi sapientiam suam æternam

generationem ita commendat. *Ab initio, & ante sæcula creata sum*. 4. Quod imitantur Concilium Toletanum vndecimum, & Vormaciense, cum fidem ita profitentur: *Filium de substantia Patris ab initio ante sæcula natum*: ergo Pater est initium Filij. Idemque erit de Patre, & Filio respectu Spiritus sancti. *Respondeo*, initium ibi sumi pro principio productiuo, exclusa æquiuocatione temporalis durationis per illa verba *ante sæcula*, id est ab æterno. Nec aliter toleranda est acceptio nominis *initij* in Trinitate. Imo nobis, qui authoritatem scripturæ non habemus, tutius, & præferendum Concilium est, ab ea voce abstinere, & obseruat Magister 1. disp. 29. cap. *Deinde*, & S. Thomas ibidem. Vel dicito initium ibi idem significare, quod ab æterno. Sicut Micheæ 5. de æterna Messiæ generatione dicitur. *Egressus eius ab initio à diebus æternitatis.*

Duo ex dictis colliguntur obseruatione digna.

10. Ex dictis colligo, nulla nota, siue reprehensione dignum esse, siue qui diceret, Filium non habere principium; siue qui diceret habere. Nam vtraque propositio, iuxta diuersam nominis significationem sensum habet Catholicis auribus verum. Vna enim donotat Filium habere genitorem, alia vero non habere initium durationis. Tutius tamen erit, ad æquiuocationem audientis vitandum, dicere, Filium habere principium originis, non vero durationis. Colligo iterum Filium absolute dicendum non esse principatum. Nam licet apud aliquos Patres idem valeat, ac habens principium, qua ratione apud sane intelligentes concedi posset, frequenti tamen vsurpatione, non id denotat, sed initium durationis. Ita S. Thomas opus. 1. contra errores Græcorum cap. 1. Et quæst. 33. art. 1. ad 2. & quæst. 10. de potentia art. 1. ad 9.

SECTIO

SECTIO II.

An prima Trinitatis Persona sit principium, & fons totius diuinitatis Author, & causa Filij.

11. CIrca primam partem, negat Canariensis huic quæst. 33. art. 1. Patrem absolute loquendo esse principium. aut fontem totius diuinitatis. Tum quia Deitas non procedit à Patre, vt definitum est in lateranensi cap. *Damnamus* de summa Trinitate: ergo cum Pater non sit principium Deitatis, neque est totius diuinitatis. Tum etiam quia Pater idem realiter est cum Deitate, atque adeo si esset principium Deitatis, esset principium sui ipsius. Tum denique quia si Pater ideo esset principium totius diuinitatis, quia totam diuinitatem communicat Filio, talis etiam esset Filius, qui totam diuinitatem communicat Spiritui sancto. Eidem sententiæ fauere videtur P. Vasquez disput. 139. cap. 3 Affirmat communis sententia cum Magistro 1. distinc. 29. cap. 1. & S. Thoma quæst. 33. art. 4. Sententia negans Patrem esse principium & fontem totius diuinitatis.

12. Assero primò, Patrem absque vllo scrupulo, & impropietate, absolute dici posse, principium, & fontem totius diuinitatis. Probatur. Nam Concilium Vormaciense in profes. fidei de Patre ait: *Fons, & origo est totius Trinitatis.* Eumdéque *fontem totius Deitatis*, appellat Toletanum 6. & vndecimum in profes. fidei. Insuper Florentinum sess. 23. refert, & approbat Athanasij Verba aientis de Patre *solus fons Deitatis.* & Eugenius quartus in litteris vnionis dicit. *Pater fons, & principium Deitatis.* Et Nicænum lib. 2. ait. *Patrem esse fontem vitæ*, ex illo Psalm. 35. *Apud te est fons vitæ.* Eandem locutionem tenent communiter Patres. Dionisius cap. 2. de diuinis nominibus scribit, *solum Patrem esse fontem cælestis diuinitatis*, & inferius vocat illum, *Fontanam diuinitatis.* & cap. 1. de cælesti hierar. *Munere Patris, qui est diuinitatis fons, & principium.* Augusti- Sententia affirmans Concilium Vormaciēse. Toletanum Florentinum Nicænum. Dionysius. Augustinus. Ambrosius.

 nus

nus tom. de Trinitate cap. 20. ad illud Ioan. 15. *Quem ego mittam vobis à Patre*, ita scribit *videlicet ostendens quod totius diuinitatis, vel si melius dicitur, Deitatis principium Pater est* Ambrosius in symbol. Apost. Cap. 2. *Pater origo est Deitatis, & bonitatis*, & plures alij.

Explicatio asserti ad mentem S. Thomæ.

13. Locutio ergo adeo frequens, & familiaris Patribus, timenda non est & multo minus repudianda maxime cum eius significatio sincara sit, & nullius erroris æquiuocationi subiecta. Nam sensus est: Patrem esse fontem, & principium communicans totam diuinitatem omnibus Personis, easque producens. Nec ad veritatem huius asserti opus est, produci diuinitatem, vt est certum. Nec Patrem sibi illam communicare, aut se ipsum producere. Nam vt ait S. Thomas quæst. 39. art. 5. ad vlt. vt aliquis de populo, aut communitate dicatur rector, aut superior totius populi, aut communitatis, non opus est, quod sit rector aut superior sui ipsius, sed satis est, quod sit rector, aut superior cæterorum omnium in eo populo, aut communitate commorantium: ergo vt Pater dicatur principium totius Trinitatis aut diuinitatis, necesse non erit, quod sit principium sui ipsius, sed talis erit, esse principium cæterarum omnium Personarum, quæ sunt in Trinitate.

Pater est Author Filij, & Filius Spiritus sancti.

14. Circa secundam sectionis partem. Assero secundo Patrem esse authorem Filij. Ita communiter Theologi cum Magistro 1. dist. 6. cap. *di imus*, & sequenti, & S. Thoma quæst. 33. art. 1. ad 2. & de potentia quæst. 10. art. 1. & 1. sent. referens Bonauenturam. Ratio est, quia author supra principium, vel solum addit, non produci ab alio, vnde infert Cajetanus hic quæst. 33. art. 1. cum S. Thoma, Filium non esse authorem Spiritus sancti vel nihil reipsa addit, vt sentiunt Canarienses, P. Molina hic disp. 1. P. Vasquez disp. 139. cap. 6. P. Ruiz disp. 49. sect. 1. num. 8. cum ab Athanasio, & Hilario ab ipso adductis, non minus asseratur Filius author Spiritus S. quam Pater Filij.

15. Circa tertium, An Pater sit causa Filij maior est difficultas. Nam eam locutionem nec Patres Græci, nec aliqui latini recusant, imo idem quod de authore, dicendum innuunt de causa, dum has duas voces coniungunt, & quoties Patrem authorem

authorem Filij appelant, vocant etiam causam, & sepissime relicto nomine Authoris, causæ vocem vsurpant, vt videre licet apud Patres quos magno numero refert P. Ruiz disp.49. sect. 1. & 2. ergo sicut Pater absolute dici potest author Filij, ita dici poterit causa ipsius. Ita sentit Aureolus 1. dist. 29. art. 20.

16. Assero tamen tertio cum communi sententia, vitandum esse in diuinis nomē causa. Probatur primo, ex concilio Florentino sess. 26. vbi quamuis latini Patres quamdiu cum Grecis disputabant, more eorum loquerentur dicentes causam, lite tamen, de processione Spiritus sancti à Filio, composita, Eugenius quartus in litteris vnionis, quibus omnes Patres concilij subscribunt, dece rnit: *Filium quoque esse secundum Græcos causam, secundum vero Latinos principium subsistentiæ Spiritus sancti, sicut & Patrem.* Quibus manifeste nomen causæ vsurpatum à Græcis assumendum à Latinis recusat, propter latentem sub eo imperfectionem apud latinos vt notauit Besarion Patriarcha Constantinopol. in oratione pro vnione (quæ habetur in concilio Florentino fine) cap. vlt. his verbis: *Notandum quod Sancti Doctores orientales etiam in diuinis vtuntur nomine causæ, & causati largo modo. Non quidem vt limitationem, & dependentiā importat productionem, & emanationem à principio eius quod est à principio significat.* Pater dicendus non est causa Filij.

17. Ex ratio est, quia Pater non potest esse causa materialis, nec formalis Filij, cum vtraque causalitas imperfectionibus potentialitatis, & compositionis scaturiat. Nec potest esse causa finalis, nam hæc intendit finem mediorum electione comparandum; alioqui vero causa finalis pro obiecto, seu motiuo sumpta communis est omnibus Personis. Nec potest esse causa efficiens, cum hæc importet limitationem, causalitatem, dependentiam, & naturæ productionem, quæ omnia Deo penitus repugnare, ostensum à nobis est disp.4. sect. 5. Idcierco Cyrillus Alexandrinus in dialogis de Trinitate inter Hermiam, & Cyrillum in diuinis: ait: *Causam & causatum neque nominare fas est.* Et in Symbolo prohibemus dicere, Filium factum à Patre.

SECTIO III.

An prima Trinitatis Persona ingenita sit, seu improducta.

Duplex nominis Ingeniti acceptio

18. INgenitus dupliciter summi potest *Primo* pro non genito, seu per veram generationem non producto, & hoc pacto ingenitum esse, non est proprium solius Patris, cum Spiritus sanctus non sit genitus, nec eius processio generatio. *Secundo* Ingenitus idem valet, ac improductus, seu à nomine procedens, aut nullum habens principium, a quo realiter procedat: non enim de principio virtuali instruitur disputatio. In hoc secundo sensu inquiritur. An prima Trinitatis Persona, nempe Pater, ingenita sit, seu improducta.

Pater ingenitus est seu improductus.

19. Assereudum est primo, Patrem ingenitum esse, seu improductum. Conclusio est adeo certa, vt oppositum iure optimo censeatur erroneum, & iuxta aliquos contra Fidem. Probatur *Primo* ex omnibus. Nicænum 26. *saepenumero* statuit. *Vnus ingenitus Deus, & Pater, vnus ex eo genitus, vnigenitus Filius, Deus verbum.* Toletanum sextum cap. 1. vocat Patrem *ingenitum.* & Toletanum vndecimum in profes. fidei subinit. Ita profitetur Patrem *ingenitum*, vt colum. 2. doceat, *Spiritus sanctus, nec ingenitus, nec genitus creditur ne aut si ingenitum dixerimus, duos Patres dicamus.* Vbi Spiritus sanctus dicitur futurus Pater si ingenitus: si autem genitus non idem valeret ac improductus, sed idem quod non genitus, non fieret Spiritum futurum patrem, cum de facto nec genitus sit, nec Pater: ergo esse ingenitum, siue improductum proprium est Patris. Similiter loquuntur omnes fere Patres, Duo pro cunctis sufficiant, Augustinus lib. 15 de Trinit. cap. 26. aiens: *Pater solus non est ab alio, ideo solus appellatus ingenitus*, & Nazianzenus orat. 29. dogmate, & const. Episcop. *Principium nescit Pater, nec enim aliunde, nec a seipso originem habet.* Id est nec ab alio, nec à se ipso producitur.

Concilium Nicænum Toletanum

Augustinus Nazianzenus

Difficultas

20. Difficultas tamen est in assignanda Theologica ratione, conueniente Patrem ingenitum esse, sui improductum, & à nemine procedere, Probari solet assertio. Nam si Pater productus esset; vel produceretur realiter à Deitate, & hoc non, cum Deitas realiter non sit à Paternitate,& realis distinctio inter producens, & productum necessaria sit, ne idem sit principium sui ipsius. Vel produceretur ab alia Persona à tribus distincta,& neque hoc,quia daretur quarta Persona cõtra Fidem. vel produceretur à Filio aut Spiritu sancto, & hoc etiam implicat,nam si Pater produceret Filium & producentur ab ipso, daretur in diuinis mutua productio,idemque esset,si Pater produceret Spiritum sanctum, & produceretur ab ipso: mutua autem productio impossibilis est, nam idem respectu eiusdem esset prius, & posterius in eodem genere causæ, quod implicat: ergo. Communis ratio vnde Pater ingenitus sit seu improductus

21. Hæc tamen ratio visa est aliquibus insufficiens, eo quod mutua prioritas, & posterioritas in eodem genere causæ, seu quod idem est, mutua duarum productio, non demonstraretur magis repugnans, quam mutua causalitas in diuerso genere causæ. Nam mutua causalitas in eodem genere ideo repugnat, quia idem esset prius, & posterius respectu eiusdem. Idem contingeret in mutua causalitate in diuerso genere causæ, nec tamen repugnat: ergo neque in eodem genere repugnabit Quod si tota implicantia mutuæ causalitatis consisteret in prioritate, & posterioritate respectu eiusdem in eodem genere, eam non sequi, probatur ita. Nam prioritas causæ respectu effectus stat in eo quod causa producat effectum,& non producatur ab illo, posterioritas insuper effectus respectu causæ in eo, quod effectus producatur a causa, & eam non producat: ergo si causa, & effectus mutuo se producerent, nulla staret in ipso prioritas,& posterioritas in eodem genere causæ sed simultas.

22 Confirmatur. Nam inter diuinas personas nulla est possibilis prioritas temporis, cum omnes sint coæternæ; neque prioritas naturæ cum vna non possit existere sine altera: ergo possibilis tantum est prioritas realis a quo, siue originis,& similis posterioritas. Prioritas autem originis à quo stat in eo,

quod

quod vna Persona producat alteram, quin viciſſim producatur ab illa similiter posterioritas originis stat in eo, quod vna Persona producatur ab altera, quin iſta producat illam: ergo ſi mutuo ſe producerent, neutra eſſet prior, neque poſterior altera: ergo mutua prioritas, & poſterioritas non probat impoſſibilem, inter diuinas Perſonas, mutuam productionem.

Communis ratio firma, & efficax declaratur.

23. His tamen non obſtantibus, exiſtimo rationem illam quoad ſubſtantiam efficaciter intentum euincere, ſuppoſitis Fidei principiis, quod tres tantum ſint Perſonæ diuinæ, & quod ex illis, Filius, & Spiritus Sanctus à Patre procedant. Nam connaturaliter mutua duorum, aut trium ad inuicem productio impoſſibilis eſt, vndequaque hoc contingat, non minus quam idem producere ſe ipſum; quod principium nullus hactenus Theologorum, aut Philoſophorum vocauit in dubium, quod autem illius probatio ſit difficilis, non minuit eius veritatem, nam prima principia, ſi negarentur, difficillimam haberent probationem, & non ſemel quod verum eſt, difficilius probatur à nobis. Ratio autem illius principij eſt, quia naturaliter prius eſt rem eſſe, quàm operari, vnde quælibet operatio naturaliter præſupponere debent exiſtens ſuum principium: exiſtentia autem alicuius principij connaturaliter procedere non poteſt à præſupponente illam, quotidiana id experientia demonſtrante: ergo cum Filius, & Spiritus ſanctus neceſſario connaturaliſſime procedant à Patre, neceſſario ſupponere debent exiſtentem Patrem: ergo hic ab illis procedere non poteſt.

24. Dixi *connaturaliter*, vt præſcinderem ab ea Philoſophica quæſtione, An idem ſe ipſum, & duo ſe mutuo poſſint diuinitus producere. Nam licet in creatis pars affirmatiua teneatur, eo quod de ratione creaturæ non ſit, produci modo ſibi connaturaliter debito. In diuinis autem de ratione perſonæ procedentis eſt, vt producatur modo ſibi connaturaliſſime debito; cumque iſte præſupponat neceſſario principium exiſtens, inde perſona producens à producta procedere non poteſt, quia principium non poteſt niſi connaturaliſſime producere, & terminus non poteſt niſi connaturaliſſime produci: connaturalis autem productio præſupponere debet principium

pium exiſtens: ergo & omnis diuina proceſſio præſupponere debet patrem exiſtentem, & conſequenter minime valentem à perſona ab illo procedente produci.

25. Aſſerendum eſt ſecundo, ſolum Patrem in Trinitate perſonarum ingenitum eſſe, ſeu improductum concluſio eſt de fide quatenus aſſerens, Filium, & Spiritum ſanctum à Patre procedere, ex ſcripturæ, & Conciliorum teſtimoniis firmantibus vtriuſque perſonæ proceſſionem à Patre. Ratio eſt quia non eſt diſtinctio Perſonarum in Deo, niſi ratione oppoſitionis relatiuæ producentis, & producti, ex illo principio fidei ſaltem proximo, videlicet: *In diuinis omnia ſunt vnum, vbi non obuiat oppoſitio relatiua*: Perſonæ autem improductæ non eſſent oppoſitæ, cum neutra eſſet ab alia: ergo neque eſſent diſtinctæ, atque adeo neque plures. *Confirmatur.* Nam ſi in Deo darentur duo ingenita, ſeu improducta, diſtingui non poſſent ſecundum relationes, vt conſtat ex dictis: ergo diſtinguenda forent ſecundum eſſentias diuinas vt infert optime S. Thomas quæſt. 33 art. 4 ad 4, id autem implicat: ergo. **ſolus Pater ingenitus eſt, ſeu improductus.**

26. Obiicies primo Spiritus ſanctus diſtingueretur à Filio, etiamſi non procederet ab illo: ergo etiam ſi darentur duæ perſonæ ingenitæ, quarum neutra procederet ab alia, eſſent inter ſe diſtinctæ: ergo non ideo implicant, quia non diſtinguerentur. *Confirmatur* nam in creatis plures effectus eiuſdem cauſæ diſtinguntur realiter inter ſe, etiam ſi vnus ab altero non procedat: ergo etiam in diuinis duæ perſonæ ingenitæ diſtingui poſſent inter ſe, etiam ſi vna ab altera non procederet.

27. Reſpondeo negans antecedens. Ad confirmationem conceſſo antecedēte neganda eſt conſequentia Quia ſi à creatis ad diuina valeret inſtantia, probaretur diſtinctio realis naturarum, & intellectionis à volitione, ſicut datur in creatis. Ratio diſcriminis eſt, quia in diuinis ratione diſtinctionis virtualis omnia ſunt vnum, niſi vbi obuiat oppoſitio relatiua producentis, & producti. In creatis autem cum ea diſtinctio non detur, vt pote componens prædicata realiter contradictoria, inde abſque relatione producentis, & producti, contingere poteſt diſtinctio realis, ſola compoſitione prædicatorum con- **Vnde implicent in diuinis duo ingenita ſeu improducta.**

 tradictoriorum

traditoriorum, quorum capax non est entitas finita & limitata, ratione suæ limitationis.

Qua ratio ne Spiritus sanctus est ingenitus

28. Obiicies secundo Spiritus sanctus est ingenitus: ergo in diuinis dantur duo ingenita. Antecedens probatur, quia Spiritus sanctus non est genitus, cum non sit Filius, vnde dicitur in symbolo, *Non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens*: ergo est ingenitus, sicut Pater est improductus, eo quod à nullo producatur. *Respondeo*, Spiritum sanctum esse ingenitum quatenus idem est, ac non genitus, non vero quatenus idem est, ac non productus.

SECTIO IV.

Quo constituatur Pater in ratione principii proximè generatiui

Quid sit principium proxime generatiuũ.

29. CVm munus sit Patris, Filium sibi æqualem, eiusdemque naturæ, & substantiæ generare Quærimus, quo constituatur Pater in ratione principii proxime generatiui. Principium proximum generatiuum dicitur illud, in quo nullum desideratur requisitum ad generandum Filium necessarium. Difficultas ergo est; quo constituatur hiusmodi principium. An sola Paternitate, & essentia. An etiam aliis prædicatis, aut perfectionibus absolutis Patri cum Filio communibus, qualia sunt omnia attributa absoluta, videlicet, omnipotentia, volitio, intellectio. In qua controuersia, vt clarius procedamus, & certa deuidantur à dubiis

Principium proxime generatiuũ non constituitur Filiatione.

30. Certum mihi est primo, Principium proxime generatiuum in actu primo non constitui Filiatione, etiam si ad illam tamquam ad terminum productum terminetur. Ratio est. Quia terminus productus est actus secundus principij proxime productiui, ad quod tantum pertinent, virtus productiua, & requisita ad producendum, non vero ipsa productio. Vt patet in omnibus causis creatis; ignis enim in ratione principij proxime caloris productiui, non constituitur ipso calore

producendo

producendo sed innata & intrinseca virtute propria,& applicatione ipsius ad passum. Idemque est de causa materiali in actu primo proximo ad recipiendam formam præcincta, quæ non constituitur forma recipienda, sed virtute propria,& dispositionibus.

31. Certum mihi est secundo, Principium proxime generatiuum claudere virtutem productiuam Filij, quæ consistit in sola Paternitate, vt statutum est disputatione. 6 sectione. 1. etenim absque virtute productiua Filij, non datur principium generatiuum: sicut absque virtute productiua caloris non datur principium calefactiuum: ergo principium proxime generatiuum dicit virtutem productiuam Filij, est consequenter dicit Paternitatem tanquam virtutem productiuam, siue principium quo. Imo, qui virtutem productiuam in absoluto constituunt, nobis in hac parte aduersari minime possunt; quippe libenter admittentes principium proxime generatiuum dicere Paternitatem tamquam conditionem virtutis productiuæ, & tamquam partem intrinsece constituentem principium quod generatiuum.

Principium proxime generatiuum claudit virtutem productiuam Filij.

32. Certum mihi est tertio principium generatiuum claudere naturam, siue essentiam diuinam, tamquam principium communicatiuum, iuxta dicta disp. 7. sect. 3 concl. 4. Ratio est, quia principium proxime generatiuum, & dicit virtutem productiuam,& communicatiuam respectu Filij: vna enim sine altera incompleta est: nam processio diuina productione & cómunicatione comp'etur:ergo principiũ generatiuum proximum, siue vltimo completum preter virtutem productiuam, nempe Paternitatem, dicet etiam virtutem communicatiuam, nempe essentiam, siue naturam diuinam.

Claudit etiã naturam, seu essentiam diuinã

33. Difficultas ergo est. 1. An principium proxime generatiuum includat etiam communicationem, quam disp. 7. sect. 2. diximus esse solam intellectionem respectu Filij. Ratio dubitandi esse potest. Quia excomunicatio, neque est constitutiua virtutis productiuæ,cum hæc in solo relatiuo consistat; neque virtutis communicatiuæ, cum ista sola sit essentia constituta à nobis in intellectu diuino,ergo neque erit constitutiua

principij proxime generatiui consistentis in virtute productiua, & communicatiua, maxime cum communicatio videatur actus secundus principij communicatiui, sicut productio est actus secundus principij productiui: sicut ergo productio constitutiua non est in nostra sententia virtutis productiuæ, ita neque communicatio constitutiua erit virtutis communicatiuæ.

Claudit etiã intellectionem tamquam communicationem respectu Filij

34. Assero tamen. 1. communicationem respectu Filij, scilicet intellectionem esse de constitutiuo principij proximè generatiui. Ratio est, quia communicatio in Diuinis se habet instar applicationis virtutis productiuæ, qua in actu. 1. vltimo, & proxime completur: ergo sicut applicatio in creatis, quantumuis distincta à virtute productiua est de constitutiuo principij proxime productiui, ita communicatio in diuinis quantumuis à virtute productiua, & communicatiua distincta, erit de constitutiuo principij proxime generatiui. Confirmatur, Pater quousque intelligatur cum intellectione non intelligitur cum omnibus requisitis ad generandum Filium, cum illum non possit nisi per intellectionem generare: ergo intellectio erit vnum ex requisitis complentibus actum primum, siue principium proxime generatiuum.

35. Secunda difficultas est. An principium proxime generatiuum includat preter intellectionem cætera omnia attributa absoluta, scilicet omnipotentiam volitionem, immensitatem: De volitione specialis est difficultas, nam posterior est intellectione: ergo cum Filius procedat à Patre per intellectionem, volitio intellectione posterior non poterit præsuponi in Patre ad generationem Filij: ergo neque constituere principium proxime generatiuum Filij, quod Filium præcedere debet origine.

Principium proxime generatiuum dicit omnia attributa absoluta.

36. Assero tamen 2. Principium proxime generatiuum dicere volitionem, & omnia attributa absoluta. Ratio est, quia principium proxime generatiuum tale esse non potest, quin intelligatur habens omnia, quæ generatione donare debet Filio: at Pater generatione donat Filio volitionem, & omnia attributa absoluta: ergo vt intelligatur principium proxime generatiuum Filij debet intelligi vna cum volitione, & omnibus attributis

attributis absolutis. Maior videtur certa, nemo enim dat, aut concipitur donare quod in se non habet, aut concipitur non habere. Min. probatur ex concilio Florentino in definitione Fidei post medium ita statuente. *Quoniam omnia, quæ Patris sunt, Pater ipse unigenito Filio suo gignendo dedit præter esse Patrem*: Quid autem sibi vult gignendo dare, nisi ex vi generationis donare: ergo Pater, dempta Paternitate, generatione donat Filio amorem, & omnia attributa absoluta vtrique communia.

37. Hinc emergit. 3. difficultas, qua videlicet ratione principium proxime generatiuum dicat ea omnia? non enim potest ea dicere vt virtutem productiuam, neque vt virtutem communicatiuam, neque vt communicationem, cum sola intellectio talis sit respectu Filij, qua ergo ratione dicet volitionem, & attributa absoluta? *Respondeo*, dicere ea omnia, tamquam terminos intellectione communicandos. Dixi terminos, seu tamquam terminos, quia licet principium generatiuum ea omnia exigat ad generandum Filium, illis tamen formaliter non constituitur in esse principij, sed sola natura diuina, & intellectione; Qua autem ratione ad integritatem principij generatiui pertineant dixi satis disputatione 9. sectione. 1.

Dicuntur ea attributa, vt termini per intellectionem communicandi.

38. Obiicies primo communicatio est actus secundus, vel quasi actus secundus virtutis communicatiuæ: ergo non potest constituere principium generatiuum, etiam in esse proximi, & completi consequentia probatur, quia actus secundus nulla ratione constituit actum primum, etiam in esse proximi; & completi; id enim sola præstant requisita ab actu secundo distincta, & ad illum necessaria, communicatio autem est actus secundus virtutis communicatiuæ: ergo non potest constituere principium generatiuum, etiam in esse proximi,

Obiectio. Communicatio est actus secundus quem includere non potest actus primus

39. *Respondeo* concesso Antecedente, negans consequentiam. Ad probationem distinguo Maiorem; actus secundus non potest constituere actum primum illius cuius est actus secundus, concedo: alterius, nego & similiter distinguo Minorem: communicatio est actus secundus virtutis communicatiuæ, concedo; vnde illam non constituit, sed supponit est

actus secundus virtutis productiuæ, nego. Et nego consequentiam, quia communicatio non est actus secundus principij proxime generatiui, huius enim actus secundus est Filius, vnde communicatio poterit principium proximè generatiuum constituere. Nec mirum est actum secundum virtutis communicatiuæ constituere vna cum illa actum primum respectu Filij, cum respectu istius sit applicatio virtutis productiuæ. Etenim si ignis haberet virtutem se applicandi ligno, applicatio esset actus secundus virtutis applicatiuæ, & vna cum illa constitueret actum primum respectu ignis in ligno producendi.

Alia obiectio si intellectio se haberet instar applicationis noc possei constituere Filium.

40. Obiicies 2. si intellectio diuina se haberet instar applicationis virtutis productiuæ, non posset constituere Filium: ergo non ita se habet, vnde nec constituet principium proxime generatiuum. Sequela probatur, quia applicatio virtutis productiuæ non costituit terminum productum, sic applicatio ignis ad lignum non constituit ignem in ligno productum: ergo si intellectio esset applicatio virtutis generatiuæ, non posset terminum genitum constituere. *Respondeo* negans sequelam. Ad probationem distinguo Antecedens pura appliratio virtutis productiuæ non constituit terminum productum, concedo: applicatio, quæ simul sit vnio, vel quasi vnio inter partes, vel quasi partes termini producti, nego: vnde falsa est consequentia, quia intellectio ita est applicatio virtutis generatiuæ, vt simul sit vnio, & communicatio, siue coniunctio naturæ diuinæ cum Filiatione: sicut ergo vnio est de constitutiuo totius ex partibus, & ipsa resultantibus, ita intellectio est de constitutiuo Filij resultantis ex natura diuina, & Filiatione intellectione coniunctis.

41. Obiicies. 3. contra tertium assertum. Amor est posterior Filio: ergo supponit illius generationem: ergo principium generatiuum dicere non potest amorem, etiam vt purum terminum; quidquid enim dicit principium generatiuum præcedere debet terminum genitum. Antecedens probatur, nam Filius constituitur natura diuina, intellectione, & Filiatione, quæ omnia generis intellectiui sunt, amor autem est generis volitiui: genus antem volitiuum posterius est genere

nere intellectiuo: ergo etiam Filio, qui generis intellectiui est.

42. Respondeo negans Antecedens de amore in Patre in illo enim præcedit Filium cum ea omnia Pater generatione communicare debeat Filio. Ad probationem concessa Maiori, distinguo Minorem, genus volitiuum est posterius genere intellectiuo essentiali & absoluto, concedo, notionali nego. Quia cum istud producatur à Patre adiuncta communicatione omnium, quæ Patri cum Filio sunt communia, inde amor Patri cum Filio communis procedere debet in Patre productionem Filij vt illi à Patre communicetur, etiam si relatio Filij generis intellectiui sit. Alia, quæ hic obiici possunt soluta etiam à nobis sunt in superioribus maxime disp. 10. sect. 4. in fine.

Amor in Patre præcedit generationem Filij.



DISPVTATIO XVI.

De secunda Trinitatis Persona nempe Filio.

1. SECVNDA Trinitatis Persona dicitur Filius, Verbum, Imago, & sapientia Patris, verus Deus de Deo vero, eiusdemque substantiæ, naturæ, & essentiæ cum Patre; atque adeo consubstantialis, & æqualis illi. Insuper cum Filius procedat per intellectionem à Patre, vt dictum est disp. 7. & 10. art. 8. præsentis instituti erit expendere, per quam intellectionem procedat. An videlicet per solam cognitionem essentiæ; an etiam attributorum, & relationum; vel etiam creaturarum possibilium, & impossibilium; aut etiam per cognitionem liberam futurorum, & existentium. Quæ omnia singillatim integra hæc & sequens disputatio declarabunt.

SECTIO I.

An secunda Trinitatis Persona sit proprie Filius, verusque Deus æqualis Patri.

Secunda Trinitatis Persona vere, & proprie Filius est.

2. ASserendum est primo, secundam Trinitatis Personam esse vere, & proprie Filium, eiusdemque processionem esse veram & propriam generationem. Conclusio est de fide. Psalm. 2. *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Quod testimonium Paulus, ad firmandam Christi diuinitatem,

tem, sic ponderat ad Hæbreos. 1. *Cui enim Angelorum dixit Deus, Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Psalm. 109. *Ex vtero ante luciferum genui te.* Isaiæ 53. *Generationem eius quis enarrabit?* Matth. 16. *Tu es Christus Filius Dei viui.* Lucæ 1. *Filius Altissimi vocabitur.* Ioan. 1. *Vnigenitus qui est in sinu Patris.* Et cap. 3. *Filium suum vnigenitum daret.* Et iterum *In nomine vnigeniti Filij Dei.* 1. Ioan. 4. *Filium suum Vnigenitum misit Deus.* & cap. 5. *Vt simus in vero Filio eius.* Quæ omnia, & alia innumera scripturæ testimonia, apertissime conuincunt, secundam Trinitatis Personam esse vere, & proprie Filium eiusque processionem à Patre veram, & propriam generationem Conciliis, & Patribus vno ore, vnoque Spiritu hanc veritatem contestantibus.

3. Confirmatur primo, Nam si secunda Trinitatis Persona non esset vere, & proprie Filius, neque prima esset vere, & proprie Pater; cum Pater & Filius correlata sint: ergo cum prima sit proprie Pater, vt vidimus disp. præcedenti, secunda erit proprie Filius. Confirmatur secundo, nam Christus Dominus accusatus fuit, quod se prædicaret Filium Dei Ioan. 19. *Nos legem habemus, & secundum legem debet mori, quia Filium Dei se fecit.* Non autem fuit accusatus, quia fecisset se Filium Dei adoptiuum; nec quia fecisset se modo aliquo improprio Filium, vt patet dum interroganti sacerdoti Marci. 14. *Tu es Christus Dei benedicti? Iesus dixit: Ego sum*: ergo accusatus est, quia faciebat se Filium Dei naturalem, vera, & propria generatione procedentem à Patre: ergo cum Christus Dominus affirmet, *Ego sum*; naturalis vera generatione procedens, tenendus est Filius.

4. Circa secundam sectionis partem, vix numerari possunt hæreticorum errores negantium Filij diuinitatem, æqualitatemque cum Patre. Potissima huius hydræ venenata capita fuerunt. Arriani docentes Verbum minoris esse dignitatis, inferiorisque naturæ cum Patre, huiusque libera voluntate factum, & consequenter non Deum, sed creaturam esse. Insuper Manichæus, & Apollinaris, qui verbo tenus fatebantur, Filium eiusdem esse substantiæ cum Patre, re ipso tamen minorem asserebant. Præterea Donatiani & Donaitstæ

Hæreticorũ errores circa diuinitatem Filij.

AAa referente

referente Augustino lib. de hæresibus, hæresi 69. Denique illi omnes, qui Christum Dominum, non Deum, sed purum hominem esse putabant, cuiusmodi fuerunt Ebionitæ, Cerinthus, Carpocrates, Theodoretus Berillus, Marcellus, Photinus. Nestorius, Georgius dauid, Seruetus, Caluinus, & Alij.

Diuinitas Filij scriptu- ris, & Conciliis stabilita.

5. Asserendum est secundo, secundam Trinitatis personam, nempe Filium, esse verum Deum. Conclusio est de fide. Ioan, 10. *Ego & Pater vnum sumus* & 1. Ioan. 5. *Tres sunt qui testimonium dant in cælo Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres vnum sunt.* Non autem sunt vnum in relationibus: ergo in essentia, seu natura diuina; atque adeo vnus idemque Deus. Insuper Ioan. 14. *Creditis in Deum, & in me credite.* Ac si diceret Christus si creditis in Deum in me credite, quia Deus, in quem vos creditis, ego sum. Ioan. 20. *Dominus meus, & Deus meus.* Vbi Thomas alioqui incredulus Christum Dominum, ac Deum confitetur. Idem clarissime intonat Ioannes cap. 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Eandemque veritatem ex circuminsessióne diuinarum personarum, iuxta illud Ioan. 14 *Ego in Patre, & Pater in me est*, & 17 *sicut tu Pater in me, & ego in te*, colligunt Concilium Nicænum lib. 2. §. *illud*, & innumeri Patres. 1. Ioan. 5. *vt simus in vero Filio eius, hic est verus Deus.*

Concilium Nicænum Leo Magnus Athanasius Hilarius Ambrosius Thomas.

6. Confirmatur ex Apostolo Roman. 9. *Ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula*: Vnde Filij diuinitatem colligunt Prima synodus Antiochena in professione fidei missa ad Paulum Antiochenum. Concilium Nicænum lib. 2. § *quo modo.* Et omnes Patres. Insuper ad Philip. 2. *Quid cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo.* Vbi forma Dei idem est ac diuinitas contestantibus Patribus. Augustinus lib. 1. de Trinit. cap. 7. & 11. Leo Magnus serm. 3. de Natiuitate Domini cap. 2. Athanasius dialogo 1. de Trinit. Hilarius lib. 12 de Trinit. col. 3. Ambrosius lib. 2. de fide cap. 4. col. 2. S. Thomas Philip. 2. sectione 2. & innumeri alij, ex eo Pauli testimonio Filij diuinitatem colligentes.

7. Et ratio est *prima*, quia Filius proprie talis, veraque generatione

ratione procedens à Patre, debet accipere aliquid proprium Patris, & procedere in similitudinem naturæ Filius autem accipere non potest à Patre Paternitatem; ergo accipit diuinitatem qua verus est Deus. Insuper, non potest procedere in similitudinem naturæ, nisi habeat eandem cum Patre naturam: ergo debet esse verus deus non minus quam Pater.

Prima ratio pro diuinitate Filij sumpta ex processione.

8. Secunda, quia solius Dei proprium est authoritate propria miracula patrare iuxta illud Psam. 17. (Qui facit mirabilia solus.) Psam. 75. (faciens mirabilia tu es Deus solus.) Et Psalm. 135. (Quia facit mirabilia magna solus.) Videlicet authoritate propria Christum autem id præstitisse, certum est, Tum quia nomine & authoriate propria dominabatur creaturis. Marci 9. (Surde & mute Spiritus, ego præcipio tibi: exi ab eo) Lucæ 4. (Imperauit febri, & dimit siillam.) Matth. 8. (Imperauit ventis, & facta est tranquillitas magna.) Tum etiam quia concessit aliis potestatem miracula patrandi. Math. 10. & Lucæ 10. (Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes & super omnem virtutem inimici.) Tum præterea, quia eius nomine Apostoli miracula faciebant Lucæ 10. (domine etiam dæmonia subiiciuntur nobis in nomine tuo. Actorum 3. (In nomine Iesu Christi Nazareni surge & ambula.) Tum denique, quia propria authoritate Christus instituit nouæ legis sacramenta.

Secunda ratio sumpta ex authoritate propria patrandi miracula.

9. Tertia, quia intima cordium penetratio, futurorumque prædictio, non ab alio participata, sed à se ipso habita, & non indignes alterius reuelantis testimonio, argumentum est diuinitatis. Hieremiæ. 17. (Prauum est cor hominis, & inscrutabile, quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans corda, & probans renes.) 3. Regum 8. (Tu solus nosti omnia corda Filiorum hominum) Isaiæ 41. (Annunciate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus quia dicitis vos.) Hæc autem Christo Domino conuenire testatur ipse Apoc. 2. (Ego sum scrutans corda & probans renes.) Et Ioan. 2. (eo quod ipsa nosset omnes, & quia ei opus non erat, vt quis testimoniũ perhiberet de homine; ipse enim sciebat, quid esset in homine.) Quod nullus Prophetarũ de te dicere poterat, imo nulla pura creatura quantũuis sanctissima, vtpote indigens testimonio alterius reuelantis secreta cordium, & futura prædicentis.

Tertia sumpta ex penetratione cordium, & prædictione futurorum.

Quarta sumpta à creatione orbis, eiusdemque conseruatione.

10. *Quarta*, Nam creatio orbis, eiusdemque conseruatio, diuinitatis etiam argumentum est. Isaiæ 44. *Ego sum Dominus extendens cælos solus, stabiliens terram, & nullus mecum.* Iob. 9. *Qui extendit cælos solus.* Hæc autem Filio conuenire certum est. Ioan. 1. *Omnia per ipsum facta sunt & sine ipso factum est nihil.* Iterum, *Mundus per ipsum factus est.* & cap. 5. *Quæcumque Pater facit, & Filius similiter facit.* Ad Colos. 1. *Omnia per ipsum creata sunt.* Ad Hebræos 1. *Tu Domine initio terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cæli.* 1. Corinth. 8. *Vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia.* Confirmatur, nam de Persona Verbi dictum est Psalm. 32. *Verbo Domini cæli firmati sunt.* Et Prouerb. 8. *Quando æthera firmabat sursum*, &c. *cum eo eram cuncta componens.* Et Ecclesiastici 24. *Ego feci in cælis, vt oriretur lumen indeficiens.* Ergo creatio orbis non minus est Filij, quam Patris, & consequenter iste non minus Deus, quam ille.

Filius est Deus æqualis Patri.

11. Asserendum est tertio, Filium esse Deum æqualem Patri. Conclusio est etiam de fide contra Arrianos aliosque hæreticos superius recensitos. Tum ex Symbolo. *Totæ tres Personæ coæternæ sibi sunt: & coæquales.* Et iterum de Christo. *Æqualis Patri secundum diuinitatem, minor Patre secundum humanitatem.* Apostolus ad Philip. 2. *Qui cum in forma Dei esset non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo.* Vbi *forma Dei*, idem est ac diuinitas, seu essentia diuina. Ita omnes Patres cum Athanasio dialogo 1. de Sancta Trinit. contra Anomæum. Et disputatione contra Arrium habita in Concilio Nicæno. Et orat. 2. contra Arrianos. Et alibi frequenter. Si ergo Christus eandem diuinitatem habet cum Patre, consequens est æqualem esse illi. Insuper si rapina non est æqualitas cum Patre: ergo propria est Filij, & non aliena, qualis ad rapinam necessaria erat.

Cyrillus. Augustinus. Basilius.

12. Confirmatur. Nam Ioan 5. Iudæi quærebant interficere Christum, *Quia non solum soluebat sabbatum, sed etiam Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo.* Vbi Ioannes obseruat, non falsam existimationem Iudæorum, sed veram intelligentiam verborum Christi, quam etiam inimici eius perceperunt, scientes, Filium Dei naturalem non posse non esse

esse Patri æqualem. Quocirca prædictis Verbis Euangelista simul refert; Christum Dominum virtualiter saltem, & implicite dixisse suam æqualitatem, & Iudæos intellexisse, non tamen credidisse. Ita sentiunt eius loci expositores Cyrillus, Augustinus, Basilius, Ambrosius, Hilarius, Athanasius, & alij. Insuper, æqualitatem Filij cum Patre tradiderunt expresse Clemens Romanus epist. 1. ad Iacobum fratrem Domini col. 10. Marcellus Papa epist. 1. ad Salomonem. Gaius Papa epist. vnica col. 3. Damasus in professione Fidei ad Paulinum Tesal. Patres Niceni lib. 2. Concilij Nicæni §. *ne quæras*. Et innumeri Patres, quos videas apud eruditissimum Ruiz. disp. 44. sect. 7.

Ambrosius Hilarius. Athanasius. Clem. Rom. Marcellus Papa. Gaius. Damasus. Nicæni Patres,

13. Ratio vt *Prima*, quia cum vnus tantum sit Deus, Filius hoc ipso non potest esse Deus minor Patre, aliter duo essent Dij, vnus altero maior: ergo erit Deus æqualis Patri. *Secunda*, quia in eo, in quo Pater, & Filius sunt vnum, & idem, nulla potest esse inæqualitas: Pater autem, & Filius sunt vnus idemque Deus; eademque diuinitas; ergo Filius non potest esse inæqualis Patri. *Tertia*, Nam in creatis inæqualitas Filiorum prouenit ex defectu principij generatiui; vel ex defectu rei corruptibilis quæ per incrementum debet successiue perfici. Hæc autem omnia manifestissime pugnant in diuinis: ergo & inæqualitas Filij cum Patre. Vnde celebre est illud Basilij lib. 4. contra Eunomium paulo post initium. *Si genitus minor est eo, qui genuit, non est culpa geniti, sed genitoris imbecillitas.* Atque adeo inæqualitas Filij contumelia potius, & opprobrium esset Patris, quam gloria.

Multiplex ratio pro æqualitate Patris, & Filij.

SECTIO II.

An secunda Trinitatis Persona est vere, & proprie Verbum.

14. NEgarunt, Valentinus referente Irenæo lib. 1. c. 1. Paulus Lamosatensis, Marcellus, & Photinus referente Epiphanio hæresi 71. & 73. Porphyrius Gentilis referente

Hæretici negantes Filium esse vere, & proprie Verbum

Theophylacto in Ioan.cap.1.ad illud.*Hoc erat In principio apud Deum.* Arriani referente Athanasio, orat. 5. contra Arrianos. Leuissima hæreticorum fundamenta, eorumque contra diuini Verbi veritatem delirantia somnia videas, vt rideas, apud Ruiz disp.55.sect.2. Parum, aut nihil ab his distat Origenes tomo, seu lib.1.commentariorum ad Euangelium Ioannis docens, Christum Dominum non proprie, sed metaphoricæ dici logon, seu Verbum. sicut appellatur lux, leo, agnus, lapis, &c.

Filius vt vere & proprie Verbū, testaute Ioanne.

15 Asserendum est, secundam Trinitatis Personam, nempe Filium, absque vlla improprietate, aut metaphora, vere & proprie esse Verbum. Hanc conclusionem existimat P. Ruiz disp.55.sect 4.ita esse cum fide Catholica coniunctam, vt error sit, metaphoram, aut improprietatem in Verbo concedere. Probatur primo ex Ioan.1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Vbi cum potissima cura Ioannis, euangelium exordientis esset, manifestare secundam Trinitatis Personam, eiusque diuinitatem; alienum à ratione prorsus foret, nomē improprium, vel metaphoricum assumere ad manifestandam Personam, quam potissimum prædicare volebat; maxime cum nomen Verbi toties, tantaque constantia à Ioanne inculcatum sit, nec aliud assumptum quo innueret metaphoram, & rem nomine proprio declararet. Ad rem est illud Cyrilli lib.1. thesauri cap. 1. *Frustra miramur Euangelistā & qu si magnum quid proprium tonasset, tonitrui Filium appellamus, nisi Verbum quasi proprium, mirabile, & inauditum pronunciasset.*

Cyrillus rem expli-cans.

16. Probatur secundo ex 1. Ioan.5. *Tres sunt qui testimonium dant in cælo, Pater: Verbum, & Spiritus Sanctus.* Vbi non poneretur Verbum inter Patrem & Spiritum sanctum, nisi tanta proprietate foret Verbum quanta Pater est Pater, & quanta Spiritus S. est Spiritus S. Maxime cum ea dictione Tres significetur Personarum numerus, & distinctiō, vnde opportunum erat singulis personis tribuere proprium nomen, quo vicissim distinguntur inter se. Confirmatur, nam omnia, quæ in eo testimonio continentur propriissima sunt, & quæ subsequentur scilicet, Hi tres vnum sunt: ergo nullum stat fundamentum ad impingendam metaphoram, & improprietatem soli Verbo.

17. Probatur

17. Probatur tertio ex Patribus Clemens Romanus epist. 1. ad Iacobum Fratrem Domini. (Patris vere Filius est Verbum.) Vbi aduerbium vere nam solum ad Filium, sed etiam ad Verbum referri debet. Athanasius orat. 2. contra Arrianos, (Verbum verum & vnicum Dei.) Anselmus in monal. cap. 45. (Liquet Filium esse verum Verbum) Cyrillus lib. 7. thesauri c. 1. (Vt hoc nomen, quasi proprium Filij elegisse videatur, (In principio inquit: erat Verbum, & Verbum erat apud Deum,) &c. Vides quomodo ipsum esse Filij secundum naturam hoc nomen significat. Denique Augustinus lib. 15. de Ciuitate c. 11. (Verbum quod foris sonat, signum est Verbi, quod intus latet, cui magis Verbi competit nomen. Nam illud, quod præfertur carnis ore, vox Verbi est) vbi sanctus Doctor clarissime docet, verbum mentis proprius & verius Verbum esse, quam verbum oris; atque adeò verbum eo proprius tale esse, quo perfectius intus ex mente procedit: verbum autem diuinum perfectissime intus, seu ad intra, ex mente procedit: ergo perfectissime, & propriissime verbum erit.

Patres idem firmantes. Clemens, Athanasius, Anselmus, Cyrillus, Augustinus.

18. Ratio est prima. Nam quidditas verbi est, quod sit terminus intelligendo productus, seu per intellectionem sibi reali identitate immediate coniunctam procedens: Filius autem verissime & propriissime est terminus intelligendo productus, seu per intellectionem sibi reali identitate immediate ioniunctam procedens: ergo erit verissime, & propriissime verbum. Secunda, quia si Filius metaphorice tantùm esset verbum, non esset proprie verbum; atque adeo absolute negare posset, esse verbum. Tertia, quia nihil prohibet, locutiones sacras, Filium toties appellantes verbum, vsurpari stricte & proprie: ergo ita vsurpandæ sunt, ex regula Augustini, scripturas sacras in rigoroso, & proprio verborum sensu accipiendas esse, quandiu ita possint vsurpari.

Filium esse vere & proprie Verbū ratione stabilitur.

19. Sed difficultas est prima, an solus Filius sit verbum. Ratio dubitandi est eadem illa, quam proposuimus disp. 10. pro generatione Filij potius quam Spiritus. *Respondeo* ergo ex ibi dictis sect. 8. solam secundam Trinitatis Personam esse Verbum, sicut sola illa Filius est. Quia eadem est vtriusque

Solus Filius est Verbum & cur.

ratio

ſtatio ibi à nobis ex profeſſo tradita, videlicet, quia ſolus Filius procedit per intellectionem tanquam rationem formalem communicandi, eique reali identitate immediate coniungitur, inquo non minus ſtat ratio Verbi diuini, quam Filij; atque adeo ſicut ſola ſecunda Trinitatis Perſona Filius eſt, ſola etiam illa Verbum erit.

Filius proprie dicitur ſermo Dei

20. Secunda difficultas, An ſicut Filius proprie dicitur Verbum Dei, ita etiam appellari poſſit ſermo Dei? Reſpondeo affirmatiue. Nam nomen *logos*, quod græce ponitur ab Euangeliſta vtrumque proprie ſignificat & Verbum, & ſermonem ſic Hebræorum 4. *viuus eſt ſermo dei & efficax*, græce dicitur *logos*, quod Ioan. 1. vertitur *Verbum*. Et de Verbo diuino eum locum Pauli principalius intelligendum, cenſent Concilium Nicænum lib. 2. §. *cum ſit copioſa*. Athanaſius oratione 5. contra Arrianos, Cyrillus lib. 2. in Ioan. cap. 17. Theodoretus, & Oecumenius Hebræorum 4. Ambroſius lib 4. de fide vel Gratianum cap. 3. Cyprianus lib. 2. contra Iudæos. cap. 3. & 5. Auguſtinus tract. 108. in Ioan. Lyra & Cajetanus Hebræor. 4. ſimiliter interpretantur Patres illud ſapient. 8. *Omnipotens ſermo tuus exiſtens de cælo à regalibus ſedibus venit*. Et illud Ioan. 17. *ſermo tuus veritas eſt*. Et ſæpius pro verbo legunt aliqui *ſermonem*. ſic Tertullianus Pſal. 44 *Eructauit cor meum ſermonem bonum*. Quod idem legit Cyprianus lib. 2. contra Iudæos cap. 3. & cap. 6. legit. *In principio erat ſermo, & ſermo erat* &c. Iſaiæ 10. dicto cap. 3. legit *ſermonem abreuiatum faciet Dominus ſuper terram*. Et Pſal. 32, *ſermone domini cæli firmati ſunt*.

An Verbum Dei ſit prolatiuum, enunciatiuum, pronunciatiuum, aut probola

21. Tertia difficultas, An Verbum Dei ſit prolatiuum, enunciatiuum, pronunciatiuum, aut probola, ſeu prolatio? Reſpondeo negatiue contra Valentinum, Paulum Lomoſatenſem, Marcellum, Photinum aliosque hæreticos ſupra affirmantes. Ita Concilium Nicænum lib. 1. in reſponſione quæ incipit, *Cum ſit copioſa*. Et innumeri patres. Ratio eſt quia ea omnia nomina ſignificant Verbum vocale, ſiue ſonum vocis corporeum, & ſenſibilem, quale non eſt diuinum: ſed potius ſubſtantiale, ſubſiſtens, viuens, & Æternum. Idcirco, quandiu voces illæ non explicentur iuxta catholicam veritatem nunquam vſurpandæ, ſunt nec abſolute, & ſine addito, propter latens ſub illis hæreticorum venenum, pronunciandæ.

SECTIO

SECTIO III.

An ratio Verbi sit essentialis, seu absoluta vel potius personalis seu notionalis

22. PRior sententia est Durandi 1. dist.7.quæst.2.num.18. & dist. 27. quæst. 3. num. 6. & 10. existimantis, verbum diuinum proprie sumptum, esse prædicatum essentiale, & tribus omnibus Personis commune, appropriatione tamen trahi ad personale, vt sapientia. Vnde colligit Personale Filij non esse proprie Verbum, sed appropriatione; similiterque personale Spiritus sancti esse amorem. Durando consentiunt aliqui Recentiores apud P. Ruiz disp. 57. sect. 1. docentes Verbum diuinum nihil esse distinctum re, aut ratione à Deitate. Hanc sententiam erroris damnat P. Soarius lib.9. de Trinitate. cap. 1. num. 7. & cap. 2. num. 6. P. Torres. quæst. 27. art. 1. disp. 6. quæst. 3. P. Molina quæst. 34. art. 1. P. Ruiz disp. 57. sect. 4. num 5. existimans non excessiue Carthusianum appellantem ea quæ scripsit Durandus, *Inepta, friuola, & clarissime reprobata à scripturis, & dictis sanctorum.* Prior sententia docens rationem Verbi esse quid absolutum & commune.

23. Posterior sententia asserit, Verbum à scripturis, & Patribus personaliter, seu notionaliter accipi, & hoc modo accipiendum à Theologis, & de eo loquendum. Addit tamen attenta virtute vocabuli, posse Verbum accipi essentialiter. Ita Sanctus Thomas 1. dist. 27. quæst. 2. art. 2. corpore. Et de veritate quæst. 4. art. 2. corpore. Sequuntur Capreolus dist. 27. quæst. 2. art. 1. conclus. 4. Ferrariensis 4. contra gentes cap. 13. P. Valentia in controuersiis lib. 1 de Trinit. cap. 3. P. Ruiz disp. 57. sect. 2. vbi ait Verbum nō essentialiter sed notionaliter accipiendum, sect. tamen 4. ait, aliquomodo Verbum posse sumi essentialiter: pro imperio immanente in Deo, qui est actus intellectionis diuinæ, præsupponens liberam volitionē aliquid faciendi, & applicans omnipotentiam, & immediate exequens. Posterior asserens esse quid notionale. S. Thomas Capreolus Ferrariensis P. Valentia, P. Ruiz.

Censura prioris sententiæ.

24. Assero primo. Verbum esse aliquid absolutum, seu commune, ratione cuius omnes personæ sint proprie Verbum; sicut ratione intellectionis communis omnes sunt proprie intelligentis, & ratione Deitatis sunt Deus, esse erroneum, & temerarium. Ratio, est quia verbum in scripturis & Patribus perpetuo denotat aliquid proprium Filij, Ioan. 1. *Verbum caro factum est, & habitabit in nobis*, quæ propria sunt Filij, & nulli alteri personæ communia, sola enim persona Filij caro facta est, & habitauit in nobis incarnata. Insuper, *Vidimus gloriam eius, gloriamque quasi vnigeniti à Patre.* Vnigenitus autem Patris solus est Filius. Præterea, *In propria venit, & sui eum non receperunt*; sed crucifigentes in ligno suspenderunt, quæ solius Filij incarnati propria sunt. Similiter expendenda sunt, quæ habentur 1. Ioan. 1. *Quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectauerunt de Verbo vitæ.* Et cap. 5. *Tres sunt qui testimonium dant in cælo Pater, Verbum, & Spiritus sanctus.* Vbi Verbum assumitur tamquam proprium Filij.

25. Et ratio est, quia cum à scripturis, & Patribus solus Filius constanter appelletur verbum, & nunquam Pater, aut Spiritus sanctus hoc nomine donentur; signum est euidentissimum, quidditatem verbi non esse ita communem, vt omnes personæ æque sint, & proprie verbum: ergo Verbum non potest esse quid ita commune, vt omnes Personæ eadem proprietate dici possint Verbum.

Quid si diceret aliquis Verbum esse intellectionem respectiue tantũ ad Filium.

26. Sed quid, si diceret aliquis, verbum esse intellectionem absolutam, non quidem respectiuè ad Patrem, & ad Spiritum sanctum, sed respectiue tantum ad Filium; vnde solus iste verbum esset. Sicut in communi grauium Theologorum sententia, licet principium quo proxime generatiuum sit quid absolutum; quia tamen illud absolutum non est principium quo generatiuum respectiue ad Filium, nec ad Spiritum sanctum, cum neuter genitores se possit, sed respectiue tantum ad Patrem; inde solus Pater dicitur generans, & genitor, seu principium generatiuum, & talis non est, nec dici potest Filius, nec Spiritus sanctus. Insuper, quia

quia natura diuina est fœcunda ad spirandum respectiue ad Patrem & Filium & non ad Spiritum sanctum; Pater & Filius sunt vnus Spirator, quin talis sit, aut dico possit Spiritus sanctu. Denique in nostra sententia, quia intellectio absoluta est communicatio respectu Filij, & non Spiritus sanctis, solus Filius dicitur procedens per intellectionem non vero Spiritus sanctus. Idemque est in communi sententia de termino formali communicationis, qui respectu Filij sola est intelllectio absoluta: ergo si eadem intellectio absoluta esset Verbum respectiue tantum ad Filium non vero ad Patrem, nec ad Spiritum sanctum, solus Filius esset Verbum.

27. Assero secundo, neque hac ratione Verbum esse aliquid absolutum tantum & essentiale, sed relatiuum simul, & notionale; ita vt secunda Persona eo pacto sit Filius, quo Verbum, & eo Verbum, quo Filius, vt loquitur Augustinus. Ratio est, quia scripturarum, & Patrum testimoniis supra, Verbum assumitur pro Filio, pro eoque substituitur: ergo sicut Filius non est solum absolutum, sed illud vna cum relatiuo, & notionali, ita & Verbum: ergo sicut sola intellectio absoluta, quantumuis respectiue ad Filium, non est formaliter Filius, ita neque respectiue ad Verbum erit formaliter Verbum; cum Verbum sit quid intelligendo productum, non minus quam Filius, & nihil absolutum possit esse productum. Neque eo pacto Verbum est quid absolutum & essentiale

28. Obiicit primo Durandus. Verbum in quocunque intellectu, siue creato, siue increato, est actus intelligendi: actus autem intelligendi est essentialis, & communis omnibus personis: ergo & Verbum. Confirmatur, verbo constituitur formaliter intelligens Persona, quo loquitur: Pater autem, & Spiritus sanctus sunt essentialiter, & formaliter intelligentes: ergo includentes Verbum, quo formaliter constituantur intelligentes, *Respondeo*, negans maiorem. Verbum enim in diuinis non est formaliter intellectio, sed terminus intelligendo productus, non enim exigitur ad intelligendum, sed potius ex fœcunditate intelligendi procedit. Fundamẽtis Durandi sit satis

Ad confirmationem, neganda est maior. Nam persona, quæ loquitur non constituitur intelligens formaliter per Verbum, imo præsupponitur intelligens ad verbum.

29. Obiicit secundo, cuiuslibet intellectionis perfectæ terminus est Verbum: intellectio autem essentialis Dei vt infinite perfecta: ergo terminus illius debet esse Verbum. Confirmatur, omnis Persona intelligens intelligendo concipit Verbum: sed Spiritus sanctus est persona intelligens: ergo concipit Verbum. *Respondeo*, intellectionem realem diuinam hebere terminum Verbum non tamen Verbum essentiale, & commune, sed notionale, & personale. Ad confirmationem, distinguenda est maior: omnis Persona intelligens concipit Verbum, si non supponat illud iam conceptum, concedo: si supponat, ergo. Et concessa minori neganda est consequentia. Quia Spiritus sanctus, quantumuis intelligens supponit iam verbum conceptum à Patre.

Si Deus foret vna persona solitaria Verbum non esset.

30. Obiicies tertiò. Etiam si Deus foret vna Persona solitaria, Verbum haberet; non realiter productum, sed realiter identificatum essentiæ suæ, alioqui nec intelligeret, nec loqueretur, nec imperaret: ergo ratio verbi continetur in solo, & præscisо conceptu essentiæ diuinæ, sine personali subsistentia producta, & distincta. Confirmatur, Actus notionalis non reflectit supra personam producentem, nec transit ad creaturas; Pater enim generando. Filium non generat seipsum, nec creaturas: Pater autem dicit & loquitur se ipsum, & creaturas: ergo actus loquendi seu dicendi, in quo stat verbum notionalis non est. *Respondeo*, negans maiorem. Deus enim, si esset persona solitaria, verbum non haberet, sicut nec Filium, sed intelligeret sine verbo. Ad confirmationem, dicimus verbum non reflectere supra Personam producentem producendo illam, bona vero manifestando illam: sicut locutio, qua Petrus de se ipso loquitur, reflectit in Petrum, non producendo Petrum, sed manifestando illum. Idemque est de cognitione, qua quis se ipsum cognoscit.

31. Obiicies quartò. Pater loquitur ad Filium, Psalmo 2. Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, &c. ergo Filius non est verbum. Probatur consequentia, quia verbum debet esse mediũ

inter

inter loquentem, & Persona cui loquitur. *Respondeo* concesso antecedenti, negans consequentiam. Cuius probatio vera tantum est in creatis, vbi verbum est qualitas, non vero in diuinis vbi substantia est.

32. Obiicies quinto plures patres, quorum alij, est Athanasius? & Irenæus essentiam diuinam appellant Verbum. Alij vt Ambrosius lib. vnico de Filij diuinitate cap. 5. cum appellat *Verbum de Verbo*, atque adeo supponit Patrem esse Verbum. Alij vt Basilius lib. 5. contra Eunomium cap. 11. Spiritum sanctum appellat Verbum, aiens *Dei quidem Verbum Filius est, Filij autem Verbum Spiritus.* Denique Dionysius de diuinis nominibus cap. 1, inter plurima nomina essentialia, vt vitam sapientiam, & mentem, enumerat Verbum: ergo ratio Verbi propria non est solius Filij. *Respondeo*, eos Patres vsurpasse Verbum late, & improprie, pro intellectione absoluta, à qua cum essentia, & omnes personæ dicantur intelligentes, inde late dicentur concipientes Verbum. **Explicantur Patres Ambrosius Basilius Dionysius.**

33. Obiicies vltimo, Eadem vt ratio de Verbo comparatione Filij, ac de amore comparatione Spiritus sancti: Amor autem accipitur non modo personaliter, sed etiam essentialiter absque vlla improprietate: ergo & Verbum. Patet consequentia, quia non minus Spiritus sanctus est terminus amando productus, quam Filius intelligendo: ergo non minus Verbum quam amor essentialiter vsurpari poterit. *Respondeo*, negans maiorem. Nam vox *Amor* limitata non est ad significandum terminum amando productum, imo attenta significatione nominis magis inclinat ad significandam volitionem, seu amorē absolutum. Idcirco promiscue sumitur à Scripturis, Conciliis Patribus, & Theologis pro amore essentiali, & notionali. Vox autem *Verbi* limitata est ad significandum terminum intelligendo productum cum nunquam in scripturis alteri, quam Filio tribuatur, vt constat ex dictis. **Dissimilis ratio inter amorem, & Verbum.**

SECTIO.

SECTIO IV.

Quid sit dicere, Vbi de locutione diuinarum Personarum.

Prima sententia Durandi.

34. PRima sententia est Durandi 1. dist. 17. quæst. 2. num. 29. docentis, dicere aliud non esse, quam habere notitiam essentialem, quam solam apud illum esse Verbum, constat sect. præcedenti. Quod si admittat, Filium & Spiritum sanctum dicere, & loqui, non minus proprie, quam Patrem; & Patrem speciali aliquo modo non dicere, aut loqui, sed communi omnibus. Eodem modo carpitur ab omnibus Theologis, quo supra circa Verbum essentiale tantum, & commune.

Secunda sententia P. Vasquez.

35. *Secunda* sententia ait. Diuinum dicere seu loqui, diuinamque dictionem seu locutionem esse omnino idem cum persona Verbi, scilicet Filio; atque adeo productionem Verbi dictionem non esse, nec locutionem, sed productionem locutionis, & dictionis, Ita P. Vasquez 1. part. disp. 141. cap. 4. à num. 22.

Tertia, & communis sententia.

S. Thomas. Magister. Alexander. Albertus. Bonauent. Henricus. Scotus. Richardus Gabriel, Carthusian. Aureolus. Ferrariensis. Caietanus. P. Soarius.

36. *Tertia*, & communis sententia tenet, dicere seu loqui proprie & rigorose, esse producere Verbum, atque adeo proprium esse solius Patris. Minus vero proprie idem esse, ac cognoscere obiectum, vel signo aliquo externo illud manifestare, & hac ratione quid commune esse omnibus Personis. Ita S. Thomas hic quæst. 34. artic. 1. ad 3. Magister 1. distinct. 39. cap. 1. Alexander. 1. part. quæst. 42. membr. 2. & quæstion. 62. membr. 3. Albertus 1. part. quæst. 30. membr. 2. & quæst. 35. membr. 3. artic. 3. & 4. S. Bonauentura 1. dist. 27. part. 2. artic. 1. quæst. 1. Henricus in summa artic. 40. quæst. 7. Scotus 1. distinc. 32. §. *ad quæstionem* versic. *ad propositum*. Richardus 1. dist. 27. artic. 2. quæst. 2. ad tertium argumentum Gabriel ibidem. quæst. 3. artic. 2. notab. 2. Carthusianus dist. 32. quæst. 2. Aureolus 1. dist. 27. artic. 3. dub. 3. Ferrariensis 4. contra gentes cap. 13. Caietanus cum suis ad quæst. 34. artic. 1. & ad quæst. 27. artic.

artic. 1. Eandem sententiam tenent doctores nostri cum P.Suario lib. 1. de Trinit. cap. 6. & lib. 9. caput 3. numer. 7. P. Molina quæst. 27. artic. 1. disput. 7. fine, & disput. 8. membr. 2. P. Torres ibidem, disp. 6. quæst. 3. P. Fonseca 7. Metaphis. cap. 8. quæst. 3. P. Ruiz disp. 60. sect. 1. & sequentibus, & plures alij cum ipsis. P. Molina P. Torres. P. Fonseca. P. Ruiz.

37. Assero primò, dicere, seu loqui ad extra, reuelando, vel præcipiendo aliquid creaturis, esse commune omnibus personis. Probatur. Nam in Genesi millies repetitur, *dixit Dominus*, ad Adam; ad Cain, ad Noë, ad Aabraham; & in cæteris libris ad Moisen aliosque Prophetas. Quæ dictio, seu locutio Dei, cum fiat signo aliquo creato, necesse est, vt sit communis omnibus personis, tale signum per omnipotentiam producentibus; quod commune est omnibus effectibus creatis: ergo locutio Dei ad extra communis est omnibus personis. Loqui seu dicere ad extra est commune omnibus personis.

38. Assero secundò, diuinum dicere, seu loqui ad intra, proprie, & stricte sumptum, idem esse, ac producere Verbum; atque adeo proprium esse, & notionale solius Patris. Probatur primo ex Patribus. Athanasius agit. de decretis Nicænæ Synodi. *Si concesserint, Deum non nisi semel Verbum proferre, fieri non potest, quin agnoscant, eum ita loquentem Verbi sui Patrem esse.* Vbi idem est, proferre Verbum, & loqui, & vtrumque adscribitur soli Patri. Gregorius lib. 23. moral. cap. 11. *Loqui Dei, est Verbum genuisse.* Et lib. 32. c. 6. de Filio ait. *Ipse vox, quia eum Pater gignendo, dixit: Filius meus es tu, ego hodie genui se.* Anselmus in Menelog, cap. 32. de Patre ait. *Quis neget, summam sapientiam, cum se dicendo intelligat, gignere consubstantialem sibi similitudinem suam, id est Verbum suum?* Denique Richardus victorinus lib 6. de Trinit. cap. 12, *Interna locutio agitur authore solo Patre. Nam solus Pater dicit.* Athanasius Gregorius. Anselmus. Richardus.

39. Probatur secundò ratione, quia loqui, seu dicere, est proferre Verbum, internum si locutio sit interna, & externum si externa, solus autem Pater profert, seu producit Verbum ad intra: ergo solus ille stricte, & proprie loquitur ad intra. Confirmatur. Nam apud authores sacros & profanos,

loqui & verba facere, seu producere, sunt idem: ergo loqui in diuinis erit producere Verbum diuinum: solus autem Pater producit illud: ergo solus loquitur. Confirmatur secundo, Quia si solummodo intelligere, & in se habere Verbum, esset dicere proprie sumptum; Spiritus sanctus proprie diceret ad intra, non minus quam Pater; cum Verbum non minus sit in Spiritu sancto, quam in Patre, & vterque sit æqualiter intelligens: id autem falsum est: ergo

Diuina dictio est productio Verbi.

40. Assero tertio, diuinam dictionem, seu locutionem stricte, & propriè sumptam, idem esse, ac productionem Verbi. Probatur, Nam dictio, & locutio, est actio, seu quasi actio loquentis; sicut calefactio calefacientis: ergo sicut dicere, & loqui est producere Verbum, ita dictio: & locutio, erit productio Verbi. Cum autem productio tam actiua, quam passiua Verbi: sit idem realiter, & formaliter cum Verbo vt dictum est disp. 5. vbi ostendimus processionem actiuam, & passiuam esse idem inter se, & cum termino producto. Consequens est, dictionem, seu locutionem esse idem cum Verbo, & distingui realiter à Patre; istumque loqui per verbum à se productum.

Pater productione Verbi loquitur Filio. Augustinus. Cyrillus.

41. Quod sit inquiras. Cui loquatur Pater productione Verbi? Respondeo primo, loqui cum Filio. Iuxta illud Psalm. 2. *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Et illud Ioannis 12. *sicut dixit mihi Pater sic loquor.* Vbi Augustinus tract. 54. *Non accipiamus dixit mihi quasi Pater Verba locutus sit vnico Verbo, aut egeat Dei verbis Dei Verbum. dixit ergo Pater Filio, sicut dedit vitam Filio.* Et post pauca. dixit veritas, quia genuit veritatem. Firmat Cyrillus lib. 7. thesauri cap. 3. *Loquitur Pater ineffabiliter ad Filium. Habet enim Filius naturaliter perfectam Paternæ voluntatis cognitionem, Nec Verbum expectat, cum ipse est Verbum Dei.* Nec obstat Richardus victorinus lib. 6. de Trinit. cap. 12. aiens. *solus Pater dicit, Solus Spiritus S. audit*, quasi Pater soli Spiritui sancto loquatur. Tantum enim contendit, Spiritum sanctum solum audire, quin dicat, nec locutio sit. Filius autem audit, cum tamen sit locutio Patris.

Loquitur etiam Pater Spiritui sancto.

42. Respondeo secundo, Patrem loqui cum Spiritu sancto productione Verbi. Iuxta illud Ioan. 16. *Cum autem venerit ille Spiritus*

Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem, non enim loquetur à semetipso, sed quæcumque audiet loquetur. Ratio est, quia productio Verbi dirigitur ad Spiritum Sanctum, cuius Pater & Filius sunt vnum principium, cum eo autem quis loquitur, ad quem Verba eius diriguntur: ergo cum productio Verbi dirigatur ad Spiritum sanctum, ea Pater cum Spiritu sancto loquetur. Quod si inquiras, quid cum Filio, & Spiritu sancto loquatur Pater productione Verbi? Respondeo, loqui ea omnia ex quorum scientia procedit Verbum, quia ea omnia manifestantur ab isto. Quæ autem hæc sint constabit infra, dum ex qua scientia Verbum procedat disputabitur.

Loquitur etiam Pater ad se ipsum.

43. Respondeo tertiò, Patrem loqui ad ad se ipsum productione Verbi. Ita S. Augustinus lib. 15. de Trinit. cap. 21. aiens. *Omnia quæ substantialiter hebet* (scilicet Pater) *in coæterno sibi Verbo suo dixit quodammodo.* Et ratio est, quia Pater productione Verbi manifestat, non solum Filio, & Spiritui sancto, sed etiam sibi omnia illa, ex quorum scientia Verbum procedit, cum omnia illa à Patre cognoscantur in Verbo: ergo Pater productione Verbi ea omnia loquitur ad se ipsum, nam ea omnia sicut vnica cognitione cognoscuntur, ita vnico Verbo declarantur, & dicuntur à Patre. Hactenus de locutione propriè sumpta dicente productionem Verbi.

Minus strictè tota Trinitas loquitur ad intra.

44. Assero tertio, sumpta locutione minus strictè, Totam Trinitatem loqui ad intra, ita est quælibet Persona ad alias dicens, & ad se ipsam loquatur. Id colligunt aliqui Patres ex Genes. 1, *Faciamus &c.* Vbi Cyrillus Alexandrinus lib. 1. contra Iulianum de Moyse ait *ipsum dixit sanctam Trinitatem sibi ipsi locutam: Faciamus hominem.* Ratio est quia dicere, seu loqui ad intra minus strictè, aliud non est, quam habere scientiam verbo terminatam, per quam quælibet Persona, se, & alias cognoscat: Quælibet autem persona diuina habet scientiam verbo terminatam, per quam, se, & alias personas cognoscit: ergo quælibet persona diuina sibi, & aliis loquitur ad intra. Tenet expresse Anselmus in Monolog. cap. 60. quæstionem ita proponens. *Dubium esse non debet, quia Pater, & Filius, & eorũ Spiritus, vnusquisque se ipsũ, & alios ambos dicit, sicut se, &*

 alios

alios intelligit. Quod si ita est, quomodo non sunt in summa essentia, tot verba, quot sunt dicentes, & quot sunt qui dicuntur? Et respondet. *Vna sapientia est, qua in illis dicit, & vna substantia qua dicitur, consequitur, non ibi esse plura verba sed vnum. Licet igitur vnusquisque seipsum, & omnes inuicem se dicant, impossibile est, in summa essentia esse Verbum aliud, prater illud, de quo iam constat, quod sic nascitur ex eo, cuius est Verbum, vt etiam vera eius dici possit imago.*

Quid sit hæc locutio minus stricta.

45. Assero quarto, locutionem hanc minus strictam consistere in scientia absoluta dicente in obliquo relationem verbi. Prima pars probatur ex dictis, quia huiusmodi locutio est communis toti Trinitati: ergo debet esse aliquid absolutum: nihil autem aptius est ad manifestandum obiectum quam scientia diuina; imo id proprium est scientiæ: ergo scientia absoluta erit locutio minus stricta. Secunda pars ostenditur, quia locutio stricta est conceptio & productio verbi; ergo minus stricta debet saltem esse connotatio Verbi manentis in loquente qua ratione Verbum per circuminsessionem existit in Patre, & in Spiritu sancto.

An tres personæ dici possint tres dicentes, aut loquentes.

46. Sed quæres, An tres personæ sint tres dicentes, vel vnus dicens. Ratio dubitandi est, quia est vnica omnium dictio, seu locutio, videlicet scientia absoluta: ergo sicut tres personæ non sunt tres Dei, nec tres omnipotentes, sed vnus Deus, & vnus omnipotens, quia vna est omnium Deitas, & vna omnipotentia; ita neque erunt tres dicentes, aut tres loquentes, cum vna sit omnium dictio, & locutio. P. Ruiz disp. 60 sect. 6. num. 9. ait, Tres personas posse dici tres dicentes, aut loquentes adiectiue, cum sint tres habentes locutionem seu dictionem, non vero posse dici substantiue tres loquentes, eo quod vnica est omniũ locutio. An autem hæc doctrina cohæreat cum altera eiusdem authoris disp. 53. de voluntate Dei. sect. 5. numero 1. negante tres personas esse tres amicos, quia vnicus est omnium amor amicitiæ, sicut dici non possunt tres Dei, tu videas.

Tres diuinæ Personæ sũt tres dicẽtes.

47. Non vero, disp. 4. de voluntate Dei, sect. 4. diximus, tres personas esse tres amicos, quantumuis vna sit omnium amicitia, quia amicus adiectiue sumendus est propter distinctio-

nem

nem personarum quam exigit, nam amicus alterius debet esse amicus, non sui. Et quamuis, quælibet diuina persona loquatur sibi, in quo locutio ab amicitia discrepat, non tamen potest loqui sibi, quin eadem locutione loquatur etiam aliis, ex quo capite non minorem distinctionem personarum exigit loquens, aut dicens, quam amicus. Vnde sicut tres personæ sunt tres amici pariter etiam erunt tres dicentes. Similis autem necessitas sumendi Deum adiectiue non apparet, cum Deus non exigat alium Deum, vt Deus sit, sicut loquens exigit alterum ad quem loquatur.

48. Obiicies primo contra primam assertionem in qua diximus, dicere idem esse, ac producere Verbum. Nam si id verum esset, fieret, nos dicere Verbum repræsentatiuum equi, quando tale Verbum mente producimus: id falsum est: ergo. Minor probatur, nam interroganti, Quid dixisti mente tua? Nemo respondebit, se dixisse Verbum equi, sed ipsum equum: ergo nostra mente non dicimus Verbum quod producimus, sed Verbo dicimus obiectum repræsentatum per illud

Obiectio, nos dicere verbũ equi, quando producimus illud.

49. *Respondeo*, concessa maiori, negans minorem, cuius probatio efficax non est. Nam interroganti, quid dixisti mente tua? ideo nemo respondet, se dixisse Verbum equi, quia interrogatio non est de verbo, sed de obiecto per illud manifestato; quod si mens interrogantis erit de eo omni quod vere dicitur, optime responderetur, dixi Verbũ equi, vel dixi equum, quia id sufficienter exprimit Verbum ipsius equi. Et quamuis in creatis plena non esset responsio illa, eo quod verbum nostrum, cum personale non sit, nec capax videatur, vt dicens cum eo colloquatur, & verbum suum dicat illi. In diuinis tamen Verbum est Persona distincta à dicente, atque adeo ista potest colloqui cum illa, & dicere illi Verbum suum.

50. Obiicies secundo aliquos Patres asserentes cum Anselmo supra, dicere esse quid absolutum, & non relatiuum: ergo dicere non est producere Verbum. *Respondeo* eos Patres locutos de dictione minus stricta, quam non negamus esse quid absolutum, vt constat ex dictis assertione 4.

Explicantur Patres docentes, dicere esse quid absolutum.

SECTIO V.

Qua ratione Verbum sit sapientia genita, & imago Patris, vbi quomodo per Verbum facta sint omnia.

Qua ratione Verbum dicatur sapientia genita

51. Assero primo, verbum dici sapientiam genitam, sumpta sapientia, non abstracte, & quatenus distincta est virtualiter ab omni relatiuo, hoc enim pacto est quid absolutum, & commune omnibus Personis, & sapientia vt sic nec genita est, nec producta. Dicitur ergo Verbum seu Filius sapientia genita, sumpta sapientia in concreto Filij, seu verbi, cuius est ratio formalis communicandi; non quia generatio quatenus productio est ad sapientiam terminetur; sed quia coniunctum ex sapientia & Filiatione, vere genitum est. Similiter intelligendi sunt Patres frequentissime docentes, Verbum, seu Filium esse sapientiam Patris. Vnde colliges, Patrem non denominari formaliter sapientem à sapientia genita, vt genita est. Quia sapientia quatenus genita dicit quid notionale, & relatiuum, quod formaliter sapientia non est, vt constat disp. 8. ergo nec poterit denominare formaliter sapientem. Pater ergo denominatur sapiens à sapientia abstracte sumpta, seu quatenus distincta ab omni relatiuo, quo pacto etiam Filius, & Spiritus sanctus sapientes denominantur.

Triplex distinguitur imago.

53. Circa secundam sectionis partem, qualiter Verbum, seu Filius, sit imago Patris. Aduertendum est, triplicem esse imaginem. *Prima* est artificialis, qualis dicitur pictura, aut statua alicuius. *Secunda* est intentionalis, qualis est cognitio obiecti. Et neutra istarum imago vera est; prima quidem, quia sola repræsentat accidentia eius, cuius est imago: secunda verò, quia vel non producitur à repræsentato, vel casus quo preducatur, diuersæ naturæ est cum illo, nam anima, quæ est principium intellectionis repræsentantis ipsam, substan

substantia est, repræsentatio vero accidens. *Tertia* est imago naturalis, quæ definitur ab Aristotele: *Cuius generatio est per imitationem,* Id est, cuius processio est à principio coniuncto in similitudinem naturæ. Quibus positis.

54. Assero secundo solum verbum, seu Filium esse proprie imaginem naturalem Patris, ita vt de nulla alia Persona nomen imaginis proprie sumptum dici possit, non enim est quid essentiale, sed notionale proprium verbi. Ita Magister. 1. dist. 27, cap. 5. & 6. & distinc. 28. & 31. S. Thomas quæst. 35. art. 1. & 2. & 4. contra gentes cap. 11. & 1. sentent. distin. 28. quæst. 2. art. 2. S. Bonauentura 1. distin. 31. art. 1. quæst. 1. & 2. Scotus 1. dist. 10. quæst. vnica ad. 1. & dist. 31. quæst. vnica P. Soarius lib. 9. de Trinit. cap. 8. & 9. P. Vasquez 1. part disp. 145. P. Ruiz de Trinit. disp. 64. sect. 4. & communiter omnes scholastici contra Durandum 1. distin. 28. quæst. 3. art. 2. asserentem, imaginem in diuinis non vsurpari proprie nec magis Filio, quam Spiritui sancto conuenire. Quam sententiam Durandi Carthusianus eadem distin. 28. quæst. 4. appellat, erroneum, & periculosum. Et P. Ruiz. sect. 7. vocat illam, vt minimum temeritati, & errori proximum.

Solus Filius est imago naturalis Patris.

55. Probatur primo ex Patribus. Athanasius epist. de decretis Nicænæ synodi, de Spiritu sancto scribit. *Quod si eum imaginem nomines, Filium hoc ipso eum esse iudicaueris.* Ac si diceret. Ita propria est Filij ratio imaginis, vt qui Spiritum sanctum dixerit imaginem, hoc ipso diceret Filium. Cyrillus Alexandrinus lib. 3. cap. 1. col. 5. *Propter hoc Filius Verbum est imago Dei est, quia ex ipso Patre vere, ac proprie genitus est.* Vbi idem, quod de verbo dicendum vult de imagine, & vtrumque soli Filio adscribit, quia proprie genitus est: ergo cum solus Filius sit proprie genitus, solus quoque propria erit imago. Augustinus lib. 5. de Trinit. cap. 11. *Relatiue dicitur Filius, relatiue dicitur & Verbum, & imago. Et in omnibus his vocabulis ad Patrem refertur.* Et lib. 6. cap. 2. *sic Verbum quomodo imago: non autem Pater & Filius simul ambo imago, sed Filius solus imago Patris.* Et lib. 7. cap. 1. *Relatiue dicitur Filius, & imago;*

Athanasius Cyrillus Alex. Augustinus.

Testimonia Scripturæ, vnde solus Filius colligitur imago Patris.

56. Quam veritatem colligunt Patres ex pluribus scripturæ testimoniis, in quibus solus Filius dicitur imago Patris. Sapientiæ 7. *Candor est lucis æternæ speculum sine macula, & imago bonitatis illius*: Ioan. 4. *Qui videt me videt & Patrem meum.* Rationem reddente Cyrillo lib. 2. Thesauri cap. 2. his verbis *Imago Patris Filius est, & in se ipso Patrem ostendit.* Roman. 8. *Quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis Filij sui.* Et quamuis hoc argumentum negatiuum est, eo quod in scripturis, nec Pater nec Spiritus sanctus dicitur imago, interposita tamen Patrum authoritate rationem imaginis soli Filio tribuente, magni est momenti.

57. Circa rationem, cur solus Filius est imago naturalis, & propria Patris, eadem est sententiarum varietas quæ pro generatione Filij, nam eandem existimant communiter doctores, esse rationem Filij, verbi, & imaginis naturalis. Quare vnusquisque præsentem dirimit controuersiam ex traditis pro generatione Filij. Sic docentes, ideo secundam Personam esse Filium, non vero tertiam, quia secundæ, & non tertiæ, communicatur ex vi formalis processionis essentia, consistens in actuali intellectione, eandem pro ratione imaginis rationem substituunt. Pariter asserentes, ideo secundam personam esse Filium potius quam tertiam, quia euadit fœcunda ad communicandam alteri naturam. Eadem ratione defendunt, esse imaginem naturalem. Idemque est cæteris.

Cur solus Filius sit imago naturalis Patris.

58. Assero tertiò, ideo solum Filium, seu Verbum, esse imaginem naturalem Patris, quia eius processio est per imitationem, seu per veram generationem à Patre. Est autem per veram generationem à Patre, quia procedit ab illo per intellectionem tanquam rationem formalem communicandi essentiam, seu naturam diuinam, dictum est disp. 10. sect. 8. Spiritus vero sanctus non ita procedit à Patre & Filio, sed per volitionem, quæ sola est ratio communicandi respectu illius vt ibidem ostensum est, & insuper disp. 7. sect. 3. Idcirco Spiritus sanctus non est imago naturalis Patris, & Filij, quia non oritur ab illis modo generationi, seu assimilationi naturali, destinato, qualis est solus modus procedendi per intellectionem, proprius solius Filij.

59 Obiicies

59. Obiicies primo, plures Patres apud P. Ruiz disp. 64. sect. 6. alios asserentes Patrem esse imaginem Filij, alios dicentes, Spiritum sanctum esse imaginem Filij; alios denique affirmantes, essentiam diuinam esse imaginem: ergo ratio imaginis non est propria Filij. Respondeo eos Patres vsurpare nomen imaginis, non proprie, & stricte, sed late. Nam ad rationem imaginis proprie sumptæ, duo inter alia necessaria sunt. Primum, vt producatur à repræsentante seu exemplari, secundum, vt procedat à repræsentato in similitudinem naturæ: seu modo propriæ generationi destinato; aliter enim imago non potest esse. Cuius generatio est per imitationem, vt explicuit Aristoteles. Inde Pater, aut essentia diuina non possunt esse imago, quia à nullo produci valent. Nec Spiritus sanctus, quia non procedit per generationem à Patre, & Filio. Cum tamen quælibet persona sit medium cognoscendi alteram, inde lato modo dicta est imago alterius.

Explicantur Patres asserentes Patrē esse imaginē Filij.

60. Obiicit secundo Durandus. De ratione imaginis est similitudo realis inter diuinas personas non est similitudo realis; ergo neque realis imago. Minor probatur, quia similitudo est in essentia, in qua potius est identitas, quæ non potest esse fundamentum relationis realis ad realem similitudinem requisitæ: ergo inter diuinas personas non est similitudo realis. Confirmat, quoniam imago imitatur exemplar: vna autem Persona non imitatur aliam in essentia, sed potius est idem: ergo vna Persona non est realis imago alterius. *Respondeo* negans minorem, eiusque probationem. Similitudo enim realis non stat formaliter in essentia, sed in modo procedendi veræ generationi destinato; qui in solo Filio reperitur. In quo etiam stat imitatio imaginis ad exemplar; vnde patet ad Confirmationem.

61. Obiicit tertiò, Verbum non est repræsentatiuum Patris, nisi propter imbibitam intellectionem diuinam: hæc autem non est proprie imago, cum non distinguatur à Patre: ergo neque Verbum erit imago. *Respondeo* negans maiorem. Verbum enim est repræsentatiuum Patris, non tam ratione intellectionis, quam ratione suæ processionis à Patre in similitudinem naturæ, eo quod realiter procedat ab illo exigens intellectio

Similitudo realis imagini naturali sufficiens & necessaria.

intellectionem tanquam rationem formalem communicandi.

Distinctio specifica in personalitate non obstet imagini naturali.

62. Obiicit quartò, Imago requirit similitudinem in specie: Filius autem in ratione Personalitatis specie distinguitur à Patre ergo in ratione Personalitatis non est imago Patris. Aliunde non est imago in ratione essentiæ: ergo nulla ratione est imago. *Respondeo*, distinctionem specificam in Personalitate non obstare rationi imaginis, sicut in sententia Durandi non obstat rationi Filij; dummodo sit eadem spècie, & numero natura Patris, distinctio Personalitatum nihil obstat, quo minus personalitas Filij sit imago Patris.

Qua ratione dicatur homo factus ad imaginem Dei.

63. Quæres, quomodo Genes. 1. dicatur homo factus ad imaginem, & similitudinem Dei? *Respondeo*, Nomen imaginis non esse ibi stricte sumptum, sed late, tum quia homo non dicitur genitus sed factus. Tum etiam quia similitudo, & imago, non plus valent quam participatio diuini esse, quoad vim intelligendi & amandi, quamuis modo infinite diuerso sint in Deo, & creatura, ista enim manifestare quidem valet diuinas perfectiones absolutas intelligendi, & amandi, non vero relatiuas; vnde licet ratione talis manifestationis dicatur imago Dei late sumpta, non tamen dicitur imago Patris, nec Filij, nec Spiritus sancti: Quoad dona vero gratiæ sanctificantis, ratione cuius dicitur homo Filius Dei adoptiuus dici etiam late poterit imago Dei, ratione participationis diuinæ sanctitatis.

Quo modo dicantur facta esse omnia per Verbum.

64. Circa tertiam sectionis partem, videlicet, quomodo dicantur facta esse omnia per Verbum, iuxta illud Ioann. 1. *Omnia per ipsum*, scilicet Verbum, *facta sunt*. Aliqui existimant, ideo id dici, quoniam, Verbum est quasi idea Patris, seu exemplar, quo condidit mundum; vt cum ignem dicimus per calorem calefacere, & architectum per artem fabricare. Cui opinioni consentire videtur Cyrillus, quem Doctus P. Maldonatus citat, & sequitur Ioan. 1. num. 63. Ideo scilicet, dici omnia facta per Verbum, quia istud est sapientia Patris, cui melius accommodatur præpositio *per*, quam propositio *A*. Alij rem magis declarantes asserunt, ideo dici, Facta esse omnia per Verbum, quia facta sunt per scientiam possibilem ex

qua

qua procedit Verbum, & dirigitur omnium creaturarum operatio.

65. Assero quarto, ideo dici omnia per Verbum facta esse, quia nihil eorum, quæ facta sunt, factum est à solo Patre sine verbo illud etiam operante. Vnde per Verbum, id est, à Verbo facta sunt omnia, quæ facta sunt etiam à Patre. Si dicas id proprium non esse verbi, cum etiam ab Spiritu sancto facta sint omnia. Fateor id verum esse, nec mirum, cum operari ad extra non est proprium alicuius Personæ, sed commune toti trinitati. Idcirco Ioannes postquam dixit, *Omnia per ipsum facta sunt*, statim subiunxit. *Et sine ipso factum est nihil.* Vbi particula. *Et* vim causalis habet, ac si diceretur, Omnia per Verbum facta sunt quia sine ipso nihil factum est. Vnde Augustinus tract. 1. in Ioan. infert contra Arrium, Verbum non esse factum à Patre, quia omnia facta sunt per Verbum, id est à Verbo, à quo non potuit fieri ipsum Verbum, aliter idem causaret se ipsum.



DISPVTATIO XVII.

Ex qua cognitione diuina procedat Verbum.



ERBVM procedere ex aliqua cognitione diuina, non hic disputo, sed vt certum suppono. Non autem procedere per illam tanquàm principium quo productiuum seu virtutem productiuam, aut rationem formalem producendi, diximus iam disp. 6. Verbum autem procedere per intellectionem tanquam rationem formalem communicandi essentiam diuinam & attributa, ostendimus disp. 7. Cum tamen cognitio diuina alia sit contingens, scilicet Futurorum, & existentium; alia necessaria, scilicet, essentiæ, attributorum, relationum, & creaturarum possibilium, si Deus cum illis connectatur. Quærimus nunc ex qua earum cognitione procedat Verbum.

SECTIO I.

An Verbum procedat ex cognitione omnis prædicati diuini necessarij tam absoluti, quam relatiui.

Verbum procedit ex cognitione essentiæ.

2. ASsero primò Verbum procedere ex cognitione necessaria essentiæ. Hanc conclusionem omnes Theologi vno ore, vnoque Spiritu propugnant. Ratio est, quia

quia Verbum procedit ex aliqua cognitione diuina: cognitio autem essentiæ est omnium aptissima processioni Verbi: ergo. Minor probatur. Tum quia processio verbi debet esse in similitudinem naturæ, siue essentiæ. Tum etiam quia essentia diuina est primarium obiectum diuinæ intellectionis. Tum præterea, quia cognitio essentiæ est ratio formalis communicandi essentiam. Cum denique, quia quocumque titulo per aliam intellectionem procedat Verbum excludi non potest cognitio essentiæ.

3. Assero secundò, Verbum procedere etiam ex cognitione omnis attributi absoluti. Communis etiam est conclusio, & ex nostris fundamentis ratio facilis. Nam Verbum ex ea cognitione procedit, quæ est ratio formalis communicandi suum obiectum Filio: talis est cognitio omnis attributi absoluti: ergo. Minor probatur, quia illa cognitio est ratio formalis communicandi suum obiectum Filio, cuius obiectum non opponitur Filio: obiectum autem cognitionis attingentis attributa non opponitur, immo identificatur realiter Filio; cum attributa absoluta à nullo relatiuo distinguantur: ergo. Nec refert aliquod attributum absolutum, scilicet volitionem, esse intellectione posteriorem à quo; quia id non impedit in volitione rationem termini per intellectionem communicandi vt diximus disp. 10. sect. 4. obiectione 2. & disp. 7. sect. 1. & 2. atque adeo neque impediet, intellectionem esse rationem formalem communicandi Filio volitionem. Procedit etiam ex cognitione omnis attributi absoluti.

4. Grauis tamen difficultas est. An Verbum procedat ex cognitione diuinarum Personarum. *Prima* sententia negat, quam tuetur illustris Scotorum familia cum suo duce in 2. dist. 1. quæst. 1. art. 2. & quodlib. 14.

5. *Secunda* sententia affirmat procedere quidem Verbum ex cognitione Patris & Filij, non vero Spiritus sancti. In P. Vasquez 1. part. disp. 142. cap. 3. & 4. Sententiæ circa processionem Verbi ex cognitione Personarum

6. *Tertia* denique sententia docet, Verbum procedere ex cognitione intuitiua, & comprehensiua omnium personarum, Patris, Filij, & Spiritus sancti. Ita Caietanus quæst. 34. art. 3. respondens ad primam, & tertiam obiectionem. Canariensis, quæst. 27. artic. 5. disp. vnica part. 3. Bañez quæst. 34. Scotus. P. Vasquez. Caietanus Canariensis, Bañez,

Zumel. P. Soarius. P. Molina. P. Ruiz. P. Valentia. P. Torres. P. Zuniga. P. Arriaga. P. Perez.

art. 3. Zumel ibid. quæst. 1. conclus. 4. Eandem sententiam tenent communiter omnes nostri doctores. P. Soarius lib. 9. de Trinit. cap. 4. n. 4. & c. 5. n. 8. P. Molina hic art. 3. P. Ruiz, disp. 61. à sect. 2. P. Valentia 1. part. q. 7. de Trinitate punct. 2. P. Torres 1. part. disp. 27. P. Zuniga q. 34. dub. 3. n 3. P. Arriaga, 1. part. disp 52. sect. 4. subiect. 1. P. Martianus Perez, de Trinit. disp. 14. sect. 5. Et plures alij, quibus communiter adhærent Recentiores, tum nostri, tum Thomistæ.

Verbum intrinsece, & ex parte obiecti procedit ex cognitione omnium personarum

7. Assero tertiò, Verbum intrinsece, & ex parte obiecti procedere ex cognitione omnium Personarum, secundum intrinsecum quod dicit eo cognitio. Ratio est, quia cognitio diuina necessaria essentiæ, & personalitatum, omnisque prædicati diuini, est intrinsece ex parte obiecti, & virtualiter omnino indiuisibilis non minus quam amor essentiæ, & personalitatum, omnisque prædicati diuini necessarij, vt ostendi t. act. de voluntate disp. 3. sect. 4. dub. 2. ergo impossibile est, verbum intrinsece, & ex parte obiecti procedere ex aliquo illius cognitionis, & non procedere ex alio, hoc enim ipso illud aliquid, & hoc aliud essent virtualiter distincta: ergo verbum intrinsece, & ex parte obiecti procedit ex tota illa cognitione: est autem cognitio essentiæ, & Personalitatum: ergo procedit ex cognitione personalitatum, secundum totum, quod intrinsece, & ex parte obiecti dicit ea cognitio. Quid foret autem si cognitiones illæ essent virtualiter distinctæ, constabit infra.

[E]x ea cognitione formalissime procedit quatenus est ratio formalis communicandi essentiam.

8. Assero quartò, Verbum formalissime procedere ex tota illa cognitione diuina necessaria quatenus est ratio formalis communicandi essentiam, & nullatenus ab illa procedere, tanquam ratione communicandi personalitates. Patris, & Spiritus sancti. Ratio est. Quia Verbum non alia ratione procedit ex ea cognitione, nisi quatenus est ratio formalis communicandi personalitates Filio, bene vero essentiam: ergo quamuis procedat ex illa considerata in ordine ad essentiam, non tamen considerata in ordine ad personalitates. Nec contradictorium est Verbum oriri per eandem cognitionem consideratam in ordine ad essentiam, & nullatenus oriri per eandem in ordine ad personalitates, sicut nulla est contradictio lucē per eandem actionem oriri à sole, & non absque: quia respectu diuersorum

rum

rum cessat omnis contradictio; & quamuis essentia & personalitates sint realiter idem, cum tamen virtualiter distinguantur, æquiualent distinctis.

9. Assero quinto, neque procedere Verbum ex ea cognitione tamquam ratione communicandi personalitatem Filij seu verbi. Ratio est, Quia personalitas Filij, seu Verbi non communicatur ipsi à Patre, sed producitur: ergo neque intellectio diuina erit ratio formalis communicandi Filio seu Verbo personalitatem propriam ipsius. Tantum enim Filio per intellectionem communicantur à Patre ea, quæ, communia sunt, quæque præcedunt in Patre productionem Filij qualis non sit ipsa Filiatio. Vnde nec intellectio poterit esse ratio formalis communicandi respectu illius.

10. Assero sexto, Verbum procedere ex cognitione relationis Spiratoris, quatenus est ratio formalis communicandi illam Filio. Ratio sumitur ex dicendis disp. sequenti. Nam relatio Spiratoris præcedit in Patre productionem Filij tamquam terminus realiter per intellectionem communicandus à Patre, & pertinens ad materiale constitutiuum Filij. Quidquid enim commune est Patri cum Filio, siue est de formali constitutiuo Filij, vt essentia; siue de integrali, vt attributa, siue de materiali, vt relatio Spiratoris, communicatur illi à Patre per intellectionem: ergo intellectio erit ratio formalis communicandi Filio relationem Spiratoris, vtpote communem Patri cum Filio. Verbum procedit ex cognitione relationis Spiratoris.

11. Ex dictis colligo. Verbum procedere quidem ex cognitione omnis prædicati diuini necessarij tam absoluti, quam relatiui, non tamen, procedere ab illa, vt præcise cognitio est, seu repræsentatio obiecti; id enim sufficiens non est verbo consubstantiali, & Filio naturali. Procedit ergo ab ea intellectione, quatenus est ratio formalis communicandi physice seu quatenus est physica communicatio essentiæ, & attributorum. Vnde Verbum euadet consubstantiale Patri, & imago naturalis illius.

14. Quid autem dicendum si cognitio personalitatum distincta virtualiter esset à cognitione essentiæ, & attributorum? Res est in nostra sententia alicuius difficultatis. Nam Quid dicendum si cognitio personalitatum

cognitio

distincta virtuali, et esset à cognitione essentiæ

cognitio non potest esse ratio formalis communicandi obiectum, quod non exprimit: cognitio autem personalitatum non exprimeret essentiam, nec attributa: ergo neque esset ratio formalis communicandi illa. Aliunde non posset esse ratio formalis communicandi personalitates, quas repræsentat, cum incommunicabiles sint ergo cognitio personalitatum nullius esset ratio formalis communicandi; atque adeo nec posset Verbum ex illa procedere, cum tantum procedere valeat ex cognitione, quatenus continente rationem formalem communicandi.

Verbum procedit ex cognitione personalitatum, etiam si distincta virtualiter esset à cognitione essentiæ.

13. Assero tamen septimo, Permissa virtuali earum cognitionum distinctione, verbum procedere ex cognitione diuinarum personalitatum. Probatur primo ex Patribus. Cyrillus Alexandrinus lib. 2. de Trinit. *Quoniam est mens, quia Verbum habet, & iterum Verbum, quia refertum est mente.* Quibus denotat, Verbum procedere à Patre tota plenitudine cognitionis, quod falsum esset, si ex cognitione personarum non procederet. Augustinus lib. 15. de Trinit. cap. 14. *Nouit omnia Pater in se ipso, nouit & in Filio: sed in se ipso tamquam se ipsum, in Filio tanquam Verbum suum, quod est de his omnibus, quæ sunt in Patre*: ergo Verbum est de omni notitia, seu cognitione Patris: cognitio autem personarum est aliqua notitia Patris: ergo Verbum est ex illa. Fulgentius lib. 3. ad Maximum cap. 7. *Sicut enim de tota mente nascitur Verbum, sic intra totam permanet natum. Et quia cogitante mente, non est eius aliquid, vbi in ea Verbum non sit, ideo Verbum tantum est, quanta est mens ipsa de qua est.* Ergo Verbum procedit ex adæquata mente, seu cognitione Patris.

Cyrillus Augustinus Fulgentius

Assertum iterum ratione stabilitum.

14. Probatur secundo ratione. Verbum necessario procedit ex cognitione obiecti, quod dicitur, & exprimitur per Verbum; quod etiam nobis commune est, qui nihil loqui possumus, nisi locutio, seu verbum, ex cognitione obiecti per illud significati procedat: Verbum autem diuinum dicit, & exprimit omnes diuinas personalitates: ergo necessario procedit ex cognitione illarum. Minor probatur, quia Verbum diuinum est infinitum in ratione verbi: ergo per illud dicitur, & exprimitur omnis diuina veritas necessaria, & consequenter veritas omnium personalitatum.

personalitatum. Probatur consequentia, nam eo ipso quod Verbum diuinum non diceret, aut exprimeret aliquam veritatem, hoc ipso infinitum non esset in ratione verbi; sicut hoc ipso, quod scientiam Dei aliqua veritas præteriret, infinita non esset in ratione scientiæ; & hoc ipso quod omnipotentia aliquod possibile producere non posset, infinita non esset in ratione potentiæ productiuæ: ergo cum Verbum diuinum sit infinitum in ratione verbi, non minus quam Pater in ratione Patris, & Spiritus sanctus in ratione Spiritus sancti, dicere debet, & exprimere omnem veritatem. Hinc colligo Verbum procedere ex cognitione intuitiua omnium personalitatum; nam cum Verbum diuinum, non solum dicat, & exprimat personalitates, sed id præstet modo omnium perfectissimo, consequens est, vt ex cognitione personalitatum perfectissima procedat, qualis est intuitiua.

15. Probat tertio citatus Arriaga, aliorum rationibus depulsis. Nam Verbum procedit ex cognitione comprehensiua Dei, vt comprehensiua est: ergo procedit ex cognitione personarum; nam cognitio comprehensiua, vt talis extendi debet ad omnia quæ sunt in obiecto. Hæc tamen ratio facillime eluditur, si teneas, eam extensionem necessariam non esse ad comprehensionem intensiuam, ex qua sola procedat Verbum, sed ad extensiuam tantum, de quo nobis tract. de visione agendum. **Fundamentum P. Arriagæ libratum.**

16. Quartò probant alij, Quia tum fœcundæ sunt diuinæ personalitates, vt per modum obiecti producant Verbum, quam ipsa essentia: ergo non minus producent, quam essentia. Hoc tamen ratio falso supponit, essentiam diuinam producere realiter Verbum per modum obiecti. Nec producit per modum obiecti, nec vlla ratione; constat enim ex disp. 6. principium quo productiuum verbi, solam esse relationem Patris. Addo, quamuis concursus ille per modum obiecti possibilis esset in diuinis, soli Patri concedendum, cum solius illius Verbum diuinum sit imago propria, vt vidimus disp. præcedenti, & de ratione imaginis tantum sit produci ab illo cuius est vera, & propria imago: Verbum autem non est propria imago sui ipsius, nec Spiritus sancti: ergo ab illis nullo modo procedat etiam

per

per modum obiecti, aliter Verbum procederet à seipso & inter ipsum, & Spiritum sanctum daretur mutua productio, quæ omnia manifestissima implicant.

Solutio rationis dubitandi propositæ n. 11.

17. Ad rationem dubitandi num. 12. propositam, dicimus, admissa distinctione virtuali inter cognitionem essentiæ, & Personalitatum, vtramque complere rationem formalem communicandi essentiam, sicut vtraque complet gradum intelligendi. Et quamuis cognitio personalitatum non attingeret directe essentiam, attingeret indirecte, & id sufficit, vt sit immediata communicatio illius; nam ratio communicandi non commensuratur cum modo cognoscendi, sed cum modo coniungendi, seu idẽtificandi essentiã Filiationi, & iste immediatus est in omni cognitione, eo quod omnis cognitio immediate idẽntificetur essentiæ, & relationi Filij?

SECTIO II.

Obiectionum solutione firmantur asserta nostra.

Prima obiectio Cognitio Spiritus sancti est posterior Verbo; atque adeo istud ex illa procedere nequit.

18. Obiicies primo, Spiritus sanctus est posterior Verbo, cum procedat ab illo: ergo Verbum procedere non potest ex cognitione Spiritus sancti. Probatur consequentia, nam cognitio Spiritus sancti est posterior verbo, non minus, quam ipse Spiritus sanctus: ergo Verbum ab illa procedere non potest, sicut ab Spiritu sancto, eo quod posterior sit, procedere non potest, Antecedens probatur, Tum quia cognitio Spiritus sancti est intuitiua, quæ priores se non potest suo obiecto, cum sit repræsentatio illius quatenus existentis: ergo cognitio Spiritus sancti, vel erit posterior Spiritu sancto, & consequenter posterior etiam Verbo; vel simul cum Spiritu sancto, atque adeo posterior verbo, sicut ipse Spiritus sanctus. Tum etiã quia nulla diuina cognitio potest esse prior suo obiecto, sed vel posterior, vel ad summum simul cum illo: ergo cognitio Spiritus sancti vel erit posterior, vel simul cum illo, vtroque modo est posterior Verbo; ergo.

Consi-

19. Confirmatur, cognitio oritur ab obiecto, nam ex obiecto, & potentia pariter notitia: ergo cognitio Spiritus sancti oritur ab Spiritu sancto: ergo est posterior ipso, vel saltem prior esse non poterit, sed simul cum illo: ergo sicut Spiritus sanctus est posterior Filio, talis etiam erit cognitio illius. Firmo iterum, nam etiamsi cognitio Spiritus sancti esset prior Spiritu sancto, non tamen esset prior Filio: ergo iste ab illa procedere non potest. Probatur consequentia, quia Verbum procedere non potest, nisi ex cognitione, quæ est prior ipso, quæque præcedat in Patre productionem ipsius: cognitio autem Spiritus sancti neque potest esse prior verbo, nec præcedere in Patre productionem illius; ergo. Cōfirmatio sumpta ex prioritate obiecti & posterioritate cognitionis.

20. Hoc argumentum nihil iuuare potest sententiam P. Vasqui, negantis Verbum procedere ex cognitione Spiritus sancti, & concedentis procedere ex cognitione ipsius verbi. Nam Verbum procedere non potest ex cognitione, quæ sit posterior ipso, neque ex cognitione, quæ non sit prior ipso verbo, quæque non procedat in Patre productionem illius cognitio autem Filij vel est posterior verbo cum intuitiua est, vel saltem non prior verbo, sed simul cum illo: ergo Verbum ex illa procedere non potest. Id ipsum vtraque vrget confirmatio. Nam si cognitio oritur ab obiecto, & inde est posterior illo: ergo cognitio verbi oritur à verbo, & inde posterior erit illo. Præcedens argumentū nihil iuuare potest sententiam P. Vasqui

21. Vt ergo facilius occurramus argumento, & omnis æquiuocationi locus præcludatur, duplex prioritas diligenter attendenda est, vna in quo, altera à quo. Prioritas in quo est prioritas existentiæ, quando existentia vnius antecedit exiſtētiā alterius tempore aliquo reali, vel signo rationis, in quo verum est, vnum existere, & aliud non est existere, sed ex stiturū postea. Huiusmodi autem prioritatem impossibilem esse in Deo: ostendimus satis tract. de voluntate. disp. 10. expungentes futuritionē virtualem diuinorum decretorū. Et quamuis ea prioritas inter prædicata libera & necessaria admitteretur, concedenda non esset prædicatis necessariis inter se, cū omnia vicissim inter se cōnexa sint. Prioritas à quo est duplex, vna naturæ, cōsistens in indepēdentia seu incōnexione vnius ab altero dependenti seu cōnexa Duplex prioritas aduertenda.

& hæc licet reperiatur inter prædicata diuina necessaria & libera, admittenda nullatenus est intra prædicata necessaria cum nullum sine altero existere valeat. Altera est originis dicens tantum vnum esse principium alterius non verò econtra, quæ prioritas stat cum simultaneo vtriusque existentia pro quocumque instanti reali, & signo rationis. His positis.

Cognitio Spiritus sancti prior est à quo non solum Spiritu sancto sed etiam verbo

22. Respondeo cognitionem Spiritus sancti esse priorem origine a quo, non solum Spiritu sancto, sed etiam verbo, & præcedere in Patre eadem prioritate productionem Filij: Nec id impedite rationem cognitionis intuitiuæ, quia ea protitas non excludit simultatem existendi omnium necessariorum, nec permittit prioritatem naturæ vnius ad aliud; quod sufficit, vt cognitio Spiritus sancti perfectissime intuitiua sit, & obiecti quatenus existentis patet ad secundam confirmationem. Ad primam vero negandum est antecedens, videlicet, cognitionem diuinam oriri ab obiecto, vt tali, quod etiam in creatis forte verum est. Et quamis in creatis obiectum produceret sui cognitionem, cum tamen id contingat ex indifferentia, & limitatione potentiæ, id Deo concedendum non est, cuius natura est summe determinata & infinite fœcunda ad omnes veritates cognoscendas eo ipso, quod sint, & eo præcise, quod dentur. Aliter cognitio qua Pater cognoscit Spiritum sanctum produceretur in Patre à Spiritu sancto, quod nullus concedit.

Secunda obiectio. hæc causalis vera esset, ideo Verbum existit, quia Spiritus sanctus existit.

23. Obiicies secundo, si Verbum procederet ex cognitione Spiritus sancti, hæc causalis vera esset, scilicet, ideo verbum existit, quia Spiritus sanctus existit: id falsum est, nam ideo existit Spiritus sanctus, quia Verbum existit: ergo Verbum non procedit ex cognitione Spiritus sancti. Maior probatur, nam ideo existeret Verbum, si procederet per cognitionem Spiritus sancti, quia existeret cognitio Spiritus sancti: ideo autem existeret ea cognitio, quia existeret Spiritus sanctus: ergo ideo existeret Verbum, quia Spiritus sanctus existeret. Neque hoc argumentum iuuare potest sententiam Patris Vasquez, concedentis Verbum procedere ex cognitione suiipsius, imo eam fortius impetere videtur. Nam si ea quod Verbum procedat

cedat ex cognitione Spiritus sancti, vera est hæc causalis, ideo Verbum existit, quia Spiritus sanctus existit: ergo cum Verbum procedat ex cognitione ipsius verbi, vera etiam erit causalis ista, ideo Verbum existit, quia Verbum existit; quod si hæc indecens non sit, vnde probabitur illa absurda.

24. Respondeo, eam causalem veram esse non tamen à priori, sed à posteriori. Etenim casu, quo causa & effectus mutuo inter se conuertentur, optime inferretur causa ex effectu, & effectus ex causa; hoc tamen discrimine, quod effectus colligeretur ex causa à priori, causa vero ex effectu à posteriori. Similiter cum Verbum & Spiritus sanctus sint mutuo essentialiter connexi, optime infertur à posteriori, ideo Verbum existere quia Spiritus sanctus existit; & econtra optime infertur à priori, ideo Spiritus sanctus existit, quia existit Verbum, cum hoc sit principium illius. Et ratio omnium est, quia particula *ideo* in propositione causali tantum denotat bonitatem consequentiæ, ad quam sufficit connexio antecedentis cum consequenti, siue ea sit principij ad terminum, siue termini ad principium.

Qua ratione ea causalis vera sit, vel falsa.

25. Obiicies tertio, si Verbum procederet ex cognitione Spiritus sancti esset imago illius: non autem est imago Spiritus sancti: ergo neque procedit ex cognitione illius. Maior probatur, quia verbum illius est imago ex cuius cognitione procedit: ergo si procederet ex cognitione Spiritus sancti, esset illius imago. Neque hoc argumentum assumi potest in sententia P. Vasquij, probat enim contra ipsum, Verbum non procedere, ex cognitione sui ipsius, nam si procederet esset imago sui ipsius quod est impossibile. *Respondeo* igitur negans maiorem, eiusque probationem; nam Verbum non est imago illius, ex cuius cognitione procedit, sicut non est imago creaturarum etiam si ex earum cognitione procedat; Verbum ergo illius tantum est imago à quo, & ex cuius cognitione procedit, vt dictum est disp. præcedenti: ita autem à solo Patre procedit, vnde solius est Patris imago.

Filius non est imago Spiritus sancti, etiamsi ex illius cognitione procedat.

26. Obiicies quarto. Petrus procedere non potest à Deo ex scientia intuitiua, seu visionis ipsius Petri: ergo neque

Filius procedere poterit à Patre ex scientia intuitiua ipsius Filij. Probatur consequentia, quia tam necessaria est Deo cognitio Petri ad illum producendum, quam necessaria est Patri cognitio Filij ad producendum Filium: & tamen ad producendum Petrum necessaria non est cognitio intuitiua Petri: ergo neque ad producendum Filium necessaria erit cognitio intuitiua Filij, sed sufficiens erit cognitio possibilitatis Filij, sicut ad producendum Petrum sufficiens est cognitio possibilitatis illius.

Filius procedit ex cognitione intuitiua ipsius, non vero creatura, & cur.

27. Respondeo, concesso antecedente, negans consequentiam. Disparitas est, quia productio Petri est Deo simpliciter libera, & pendens à decreto diuino libere decernente existentiam Petri, quod decretum ratione suæ libertatis pendere non potest à scientia visionis, seu intuitiua Petri, vt pote connexa cum illius existentia, & inconiungibili cum non existentia; vnde decretum pendere tantum potest à simplici intelligentia possibilitatis Petri, de se coniungibili tam cum existentia, quam cum non existentia Petri. Productio autem Verbi libera Patri non est, sed summe necessaria; vnde nihil obstat, quominus procedat Verbum ex scientia intuitiua sui ipsius: eo autem ipso, quod id non implicet necessario de facto concedendum est, tum ratione perfectionis infinitæ Verbi exigentis procedere ex cognitione perfectissima qualis est intuitiua; tum etiam quia in necessariis, omne quod possibile est, hoc ipso actu est, nec potest non esse.

28. Obiicies quintò, quamuis Pater non intelligeret Spiritum sanctum, eo præcise quod se ipsum, & Filium cognosceret, produceret Verbum: ergo cognitio Spiritus sancti non est per se requisita ad productionem Verbi. *Respondeo* distinguens antecedens. Pater producere posset Verbum integrum & omnino perfectum, nego: mutilum, & truncatum concedo, Et nego consequentiam. Quia cum Verbum sit vndequaque perfectum in ratione Verbi, ex omni diuina, & perfectissima cognitione procedere postulat. Sicut natura diuina ex eo quod sit infinite intellectiua, postulat omnes veritates cognoscere, quod si aliqua illam præteriret, hoc

hoc ipso mutila, & imperfecta esset.

29. Obiicies vltimò, magis necessarium est Verbum quam Spiritus sanctus, ergo verbum procedere non potest ex cognitione Spiritus sancti, cum ista, sicut nec Spiritus sanctus, tam necessaria esse non possit, quam ipsum Verbum. *Respondeo* negans antecedens, nam processionem Verbi esse per intellectum, & Spiritus sancti per voluntatem, non præstat vnam maiorem habere necessitatem existendi, quam alteram; quia volitio, ex qua procedit Spiritus sanctus libera seu euitabilis Deo non est, sed summe necessario existens. Alia, quæ hic obiici possent, soluta manent disp. 8. sect. 1. videas ibid.

Verbum magis necessarium non est, quam Spiritus sanctus

SECTIO III.

An Verbum procedat ex cognitione creaturarum possibilium.

30. PRior sententia absolute negat Ita Scotus 2. dist. 1. quæst. 1. P. Vasquez, disp. 143. cap. 3. num. 12. & cap. 6. num. 26. concedens verbum exprimere creaturas, & negans procedere ex principio illas repræsentante. Posterior sententia affirmat. Ita P. Soarius lib. 8. de Trinitate cap. 6. P. Molina, & P. valentia, quos citat, & sequitur P. Arriaga disp. 52. sect. 4. subsect. 2. P. Ruiz disp. 61. de Trinit. P. Zuniga quæst. 34. disp. 9 dub. 6. P. Martinus Perez. disp. 14. sect. 8. Eandem sententiam tuentur Bonauentura 1. dist. 17. artic. 1. quæstion. 2. Richardus artic. 2. quæst. 3. & Thomitæ quæst. 34. artic. 1. Aliqui vero Recentiores distingunt inter cognitionem diuinam quoad sufficientiam, & quoad efficaciam respectu possibilium, asseruntque Verbum procedere ex cognitione possibilium quoad sufficientiam, non vero quoad efficaciam, quia illa, & non ista, est simpliciter Deo necessaria, eo quod Deus non sit cum creaturis possibilibus connexus.

Sententia negans. Scotus, P. Vasquez

Sententia affirmans. P. Soarius. P. Molina. P. Valentia. P. Arriaga. P. Ruiz. P. Zuñiga. P. Perez.

Sententia distinguens.

Verbum dicit & exprimit creaturas possibiles. S. Thomas.

31. Assero primò, Verbum diuinum, secundum proprietatem personalem, exprimere saltem quoad sufficientiam creaturas possibiles, & etiam quoad efficaciam, si Deus cum illis connectatur. Hæc conclusio conceditur à P. Vasquez, & est expressissimo S. Thomæ. 1. part. quæst. 34. artic. 3. aientis. *Respondeo dicendum, quod in Verbo importatur respectus ad creaturam. Deus enim cognoscendo se, cognoscit omnem creaturam. Verbum igitur in mente conceptum est repræsentatiuum omnis eius, quod actu intelligitur, Vnde in nobis sunt diuersa verba, secundum diuersa, quæ intelligimus, sed quia Deus vno actu & se, & omnia intelligit, vnicum Verbum eius est expressiuum, non solum Patris, sed etiam creaturarum. Et sicut Dei scientia, Dei quidem est cognoscitiua tantum, creaturarum autem cognoscitiua & factiua: ita Verbum Dei eius quod in Deo Patre est, est expressiuum tantum, creaturarum vero expressiuum, & operatiuum.* Vbi S. Doctor comparat scientiam diuinam absolutam cum proprietate personali Verbi, & vtramque docet esse expressiuam creaturarum.

Ratio cur Verbum exprimat creaturas possibiles.

32. Et ratio est, quia sicut de ratione scientiæ est cognoscere, ita de ratione Verbi est dicere: de ratione autem diuinæ scientiæ, eo quod in ratione scientiæ infinita sit, est, non solum cognoscere omnia, quæ in Deo sunt, sed etiam creaturas possibiles: ergo cum verbum sit infinitum in ratione verbi, de ratione illius erit, non solum dicere omnia, quæ sunt in Deo, sed etiam creaturas possibiles; atque adeo si scientia diuina necessaria, quoad sufficientiam tantum, creaturas possibiles cognoscat, eodem pacto dicet illas Verbum. Idemque dicendum si scientia diuina necessaria, quoad efficaciam creaturas possibiles cognoscat.

Verbum procedit ex scientia necessaria creaturarum possibilium.

33. Assero secundò, Verbum procedere ex scientia creaturarum possibilium necessaria, siue tantum quoad sufficientiam, siue etiam quoad efficaciam eas creaturas repræsentet. Probatur. Nam locutio, seu productio Verbi ex ea cognitione procedit, quæ repræsentat obiectum, quod dicitur per Verbum: per Verbum autem diuinum dicuntur creaturæ possibiles, siue quoad sufficientiam tantum, siue etiam quoad efficaciam: ergo Verbum diuinum ex simili earundem cognitione

cognitione procedet. Minor constat ex dictis, & conceditur à P. Vasquio. Maior autem videtur certa, nam omnis rationalis, & perfecta locutio procedit ex cognitione obiecti, quod dicitur per illam, iuxta illud Christi Ioan. 3. ***Amen, amen dico tibi, quia quod scimus, loquimur, & quod vidimus testamur.*** Idcirco ignorantes quæ loquentur, vel ad terminos religantur, vel irridentur vt fatui.

34. Assero tertiò, Verbum diuinum procedere ex scientia necessaria creaturarum possibilium tanquam ratione formali communicandi essentiam diuinam, non creaturas, vtporte realiter à Verbo distinctas, & consequenter incommunicabilis ipsi. Ratio est, quia mea opinione tota diuina scientia necessaria est vna indiuisibilis virtualitas: ergo & vna indiuisibilis communicatio essentiæ, vt dictum est sect. præcedenti. Et quamuis plures essent virtualitates, omnes vnam communionem integrarent respectu Verbi, eo quod istud omnia ea dicat obiecta, & communicatio infinita sit in genere intelligentis necessario, & scientia creaturarum possibilium saltem indirecte in essentiam reflecteret; vt ibidem de cognitione personalitatum dictum est.

Quomodo Verbum procedat ex scientia necessaria creaturarum possibilium.

35. Obiicies primo; scientia possibilium nihil addit scientiæ Deitatis ac personarum, nisi respectum rationis: ergo Verbum non potest ab illa procedere, alioqui procederet à respectu rationis. Antecedens probatur, quia scientiæ futurorum, & existentium solum addit respectum rationis scientiæ necessariæ ergo Hoc argumentum momenti non est, nam si respectus rationis non repugnat scientiæ necessariæ: ergo neque verbo: ergo quoad illum respectum rationis procedere poterit ex scientia possibilium. *Respondeo* igitur, respectum scientiæ necessariæ ad creaturas possibiles non esse rationis, sed realem; idemque esse de respectu ad creaturas existentes, & futuras.

Respectus scientiæ ad creaturas possibiles realis est, non rationis.

36. Obiicies secundo Verbum est magis necessarium quam scientia possibilium: ergo nequit ab illa procedere. Antecedens probatur, quia scientia possibilium non est magis necessaria quam ipsa possibilia: Verbum autem est magis necessarium quam possibilia: ergo & magis necessarium, quam scientia possibilium.

sibilium. Maior probatur, quia Verbum infinitum est in ratione entis necessarij, possibilitas vero creaturarum finita: infinitum autem in ratione entis necessarij magis necessarium est, quam finitum: ergo. *Confirmatur.* Intelligens, & volens infinitum, est magis intelligens & volens, quam finitum, vnde Deus plus intelligens est, quam creatura: ergo necessarium infinitum plus erit necessarium, quam finitum. Hoc argumentum probat scientiam possibilium, vt pote infinitam, esse magis necessariam, quam ipsa possibilia, videlicet finita; atque adeo non probat Verbum ex ea scientia non procedere, quod intendebat.

Creaturæ possibiles non sunt ens necessarium

37. Respondeo, creaturas possibiles non esse ens necessarium, cum nulla sit in illis necessitas existendi, sed potius indifferentia. Similiter neque sunt intrinsece, & physice veritas necessaria, sed extrinsece, & obiectiue in mente diuina, necessario cognoscente, quod si Petrus vt existeret non implicaret. Vnde tota necessitas existendi est in cognitione diuina, cui modus ille cognoscendi Petrum, ineuitabilis est; cumque ea scientia infinita sit, nihil obstabit, Verbum ex illa procedere, sicut nihil obstat procedere ex cognitione diuinarum Personarum.

Difficilis obiectio eo quod Verbū non procedat ex cognitione creaturarum existentium.

38. Obiicies tertio, creaturæ possibiles & existentes sunt omnino: idem ad Verbum non procedit ex cognitione creaturarum existentium, vt videbimus sect. sequenti: ergo neque ex cognitione creaturarum possibilium. Vel si procedat ex cognitione creaturarum possibilium, etiam ex cognitione existentium. Hæc obiectio difficilis quidem est, eo quod tangat illam satis arduam controuersiam in materia de scientia Dei, de distinctione scientiarum simplicis intelligētiæ, quæ dici solet possibilium, & visionis, quæ existentium solita est appellari. Ex ibi ergo à nobis traditis.

Distinctio scientiæ liberæ & necessariæ circa creaturas

39. Respondeo, scientiam possibilium non ideo dici talem, quia non attingat existentiam, attingit enim illam eandem, quam exprimit scientia visionis nec vlla est distinctio ex parte obiecti inter eas scientias, sed tota diuersitas se tenet ex modo tendendi in idem omnino obiectum. Nam existentia vt Petri quam scientia visionis attingit absolute, simplex intelligentia attingit

attingit per modum conditionis, hoc pacto: *Si Petrus existeret nihil implicaret*; scientia vero visionis longe diuerso modo attingit idem omnino obiectum, videlicet: *Petrus existit, & nihil implicat* Quare ad argumentum, concessis præmissis, neganda est consequentia. Quia quando dicimus Verbum procedere ex cognitione possibilium, non vero existentium, non intendimus diuersa obiecta significare, sed diuersas scientias eiusdem obiecti, & verbũ procedere ex vna, scilicet necessarias, & non procedere ex altera, videlicet libera, nihil implicet, vt firmabitur sect. sequenti.

40. Sed instabis, si scientia possibilium attingeret existentiam, sicut connectitur cum possibilitate, connecteretur etiam cum existentia: id falsum est: ergo non attingit existentiam. Minor probatur, quia scientia possibilium esset in Deo, etiam si nulla existeret creatura: ergo non connectitur cum existentia. *Respondeo* scientiam possibilium connecti cum existentia, non absolutè, sed conditionate tacta, siue sumpta per modum conditionis, dicendo, *Si Petrus existeret*, ad quod necessarium non est, Petrum reipsa existere. Sicut scientia conditionata conuersionis Petri si existat in illo auxilium A, attingit existentiam auxilij, eique connectitur, non absolute, sed conditionate vt quo, seu per modum conditionis; quin ea connexio exigat auxilium reipsa existere. Idemque est de promissionibus, & contractibus conditionatis in quacunque sententia. Instantia præcedentis argumenti soluta

41. Ex dictis collige, Verbum similiter procedere ex cognitione impossibilium, modo quo ista cognoscuntur à Deo. Tum quia ea cognitio est Deo necessaria non minus, quam cognitio possibilium. Tum etiam, quia sicut de ratione scientiæ infinitæ est, tam quæ possibilia, quam quæ impossibilia sunt, exprimere ita de ratione Verbi infiniti est, ea dicere: Verbum autem procedit ex cognitione eorum omnium quæ dicit: ergo & procedit ex cognitione etiam impossibilium, quamuis per eam cognitionem nullum Deus efformet ens rationis. Iuxta varia plurium fundamenta, quæ ad præsentem quæstionem, momenti esse non possunt. Verbum procedit ex cognitione impossib. lib.

FFf SECTIO.

SECTIO IV.

An Verbum procedat ex cognitione contingenti futurorum vel existentium.

42. Attigimus iam supra, scientiam diuinam necessariam, & liberum, non distingui ex parte obiecti, sed ex diuerso modo tendendi in idem obiectum, etiam si vna solita sit appellari scientia possibilium, altera vero futurorum, vel existentium. Cognitio ergo diuina libera seu contingens, dicitur illa, quæ ita est in Deo, vt potuerit non esse, siue sit obiecti increati, vt scientia diuina actuum liberorum Dei; siue creati, vt scientia visionis Petri; siue sit conditionata, vt scientia pœnitentiæ Tyriorum, si virtutes Bethsayditarum factæ fuissent apud illos; siue absoluta à nulla pendens conditione, qualiter Deus omnia absolute existentia cognoscit. Difficultas ergo est, An Verbum ex scientia diuina creaturarum contingenti procedat, sicut ex necessaria earundem procedere dictum est.

sententia affirmans P. Ruiz P. Valentia P. Zuñiga P. Arriaga sententia negans P. Soarius P. Vasquez P. Granadus P. Perez.

43. Prior sententia affirmat, Verbum procedere ex cognitione diuina contingenti ex suppositione quod sit. Dicitur ex suppositione quod sit, quia Verbum nullam cognitionem contingentem determinatam exigit esse, de disiunctiua enim non hic disputatur, sed sect. sequenti. Ita P. Ruiz. disp. 63. sect. 4. P. Valentia 1. part. quæst. 8. de Trinit. P. Zuñica quæst. 34. dub. 7. memb. 1. P. Arriaga disp. 52. sect. 4 subsect. 3. Et hanc fuisse antiquorum Theologorum sententiam contendit citatus Valentia. Posterior sententia negat Verbum procedere ex cognitione contingenti diuina, modo, quo contingens est, qua ratione procedit controuersia; nam si quoad entitatem necessaria sit, Verbum ex ea procedere, constat ex dictis. Ita P. Soarius. P. Molina P. Vasquez, quos citat. & sequitu P. Grenadu tract. 9. disp. 7. n. 5. P. Martinus Perez disp. 14. sect. 10. num. 7. & plures cum ipsis Recentiores.

44. Ante omnia certum mihi est, verbum non procedere ex scientia contingenti, si ista aliquo extrinseco creato compleatur, vt de decreto libero opinantur non pauci. Etenim Verbum diuinum procedere non potest ab aliquo creato, vt est certum: ergo neque procedere potest à scientia contingenti, vt tali; cum vt sic aliquo creato constituatur, & quod increatum est, totum sit vndequoque necessarium: ergo vt Verbum procederet à scientia contingenti, quatenus ab omni necessatio distincta, procedere deberet non solum ab intrinseco diuino, sed etiam ab extrinseco creato. Nec aliter posset à coniuncto procedere, vel enim procederet ab illo, ratione solius intrinseci, & hoc totum necessarium est, vel ratione intrinseci simul, & extrinseci, & vt sic procederet Verbum ab extrinseco creato, quod implicat. Quod si dicas Verbum diuinum liberam constitui ex diuino & creato, non minus quam scientiam liberum, atque adeo ab ista secundum intrinsecum diuinum, & extrinsecum creatum, procedere posse. Res est mihi ex terminis absurda, ex qua Arriani non difficile Verbum factum & creatum colligere possent. Res insuper, quæ ab inconuenientibus inferius expendendis non eximitur. Potissimum ergo agitatur controuersia inter doctores libertatem diuinam adæquate Deo intrinsecam propugnantes, quam nos stabiliuimus tract. de Voluntate disp. 7. & 8.

Quid si scientia libera aliquo creato compleatur.

45. Insuper tota hæc controuersia meo iuditio eo tandem deuoluitur, An Verbum non solum dicat, aut exprimat creaturas possibiles, sed etiam futuras, vel existentes, seu quod idem est: An Verbum non solum necessario dicat creaturas, sed etiam libere. Si enim libere dicat creaturas, consequens est, ex earundem scientia libera procedere; sicut consequens est ex scientia necessaria creaturarum procedere, eo ipso, quod illas necessario dicat. Et ratio est, quia omnis dictio, seu locutio alicuius obiecti, ex eius cognitione procedere debet, vt rationalis sit: ergo vt Verbum sit rationalis locutio, seu dictio futurorum, seu existentium, ex eorundem cognitione procedere debet.

46. Assero, Verbum nihil dicere, vt exprimere libere; at-

Verbum nullã creaturam dicit libere, atque adeo ex nulla scientia libera procedit.

que adeo ex nulla scientia contingenti procedere siue illa sit obiecti increati, qualis est scientia decretorum liberorum, siue creati, qualis est scientia visionis creaturarum. Probari solet conclusio primò. Quia processio Verbi est omnino necessaria: ergo non potest esse ex scientia libera, aliter daretur processio Verbi contingens, & Verbum quod potuisset non esse. Idemque esset de processione Spiritus sancti per amorem liberum. Circa hoc argumentum P. Arriaga disp. 52. sect. 4. n. 34. refert aliquos validissimis clamoribus rem vrgentes; immerito tamen ait ipse, cum non sit maior difficultas in processione Verbi libera, & necessaria; quam in scientia similiter, & necessaria, in qua admittenda conueniunt omnes. Quare imperterritus ipse

Responsio P. Arriagæ.

47. Respondet, Processiones diuinas ex actibus necessariis esse quidem necessarias, ex actibus vero contingentibus, & liberis, liberas quoque esse, & contingentes. Quia cum processiones diuinæ sint per actus intelligendi, & volendi, & vterque actus, vnus est liber alter vero necessarius; etiam vtraque processio, vna erit libera, altera vero necessaria, iuxta naturam scientiæ ex qua est processio. Vnde Verbum quatenus dicens obiecta necessaria, ex eorumque scientia procedens, necessarium est; quatenus vera dicens obiecta libera, ex eorumque scientia procedens, liberum est, & contingens, non aliter quam ipsa scientia; idemque dicendum de Spiritu sancto per amorem liberum, & necessarium procedente. Vnde infert Verbum vt expressiuum necessariorum, esse prius se ipso, vt expressiuo liberorum, sicut scientia ipsa, vt necessaria, est prior se ipsa, vt contingenti.

Absurda oppositæ sententiæ.

48. Contra tamen, quia si hæc vera essent, admittenda foret Trinitas libera virtualiter à necessaria distincta, cum esset duplex processio libera virtualiter à necessaria distincta: admittendæ quoque essent quatuor relationes liberæ virtualiter à necessariis distinctæ, duæ procedentes, & duæ à quibus procederent, quod non concedit Arriaga sed expresse negat n. 36 Nam relationibus necessariis tam contingens est producere liberè, vel esse actiones libere productiuas, quam produci: produci autem libere saluari non potest absque relatione libera virtualiter à scientia libera & relatione necessaria distincta: ergo neque producere libere, vel esse actionem liberam absque simili

relatione in principio saluari poterit. Admittenda insuper esset essentia seu natura diuina libera & contingens, in quocumque consisteret, virtualiter à necessaria distincta; non enim est maior ratio, cur prima radix necessariorum sit essentia necessaria, & prima radix liberorum non sit essentia libera, facta extensione processionum necessariarum ad liberas. Vnde iterum fieret admittendum esse Deum liberum & contingentem virtualiter à necessaria distinctum.

49. Quod si dicas cum P. Arriaga nihil liberum posse esse naturam, seu essentiam diuinam, quia hæc debet esse prima radix omnium, quæ sunt in Deo, siue libera sint, siue necessaria, verum quidem id est, sed cum his non stare processionem Verbi liberi ita ostendo. Nam Verbum non procedit nisi per generationem: communicatio autem scientiæ liberæ non potest esse generatio, cum scientia libera per te non sit natura diuina: ergo Verbum procedere non potest per scientiã liberam. *Secunda responsio P. Arriagæ.*

50. Respondet, Verbum solum quoad necessaria prodire per generationem; quoad libera vero prodire vt Verbum præcise; sicut in sententia communi, dum accipit à Patre spirationem actiuam, non habet communicationem pertinentem ad generationem, sed aliam ratione diuersam.

51. Hæc tamen responsio aperte conuincitur ad hominem. Nam P. Arriaga disp. illa 52. sect. 4. subsect. 5. initio, inde confirmat, Verbum non habere scientiam liberam à se, sed communicatam à Patre. *Eo quod Pater dederit Filio quæcunque habet, excepta Paternitate (vt definitum est in Florentino); ergo Filius accipit à Patre ipsam scientiam futurorum, hanc enim habet Pater, & non est Paternitas: ergo ex Florentino eandem dedit Filio, si dedit omnia, excepta Paternitate.* Hæc ille. Ex quibus ita dissero. Ideo pre te Filius non habet scientiam liberorum à se sed communicatam à Patre, quia Pater dedit Filio quæcumque habet excepta Paternitate, vt definitum est in Florentino, & Pater habet scientiam liberam, quæ Paternitas non est: Pater autem non vtcumque, sed gignendo dedit Filio quæcumque habet, excepta Paternitate, vt definit Florentinum: ergo vel dedit scientiam visionis Filio per veram generationem, quod tu negas; vel nulla ratione dedit, nam sermo est de solis *Suomet responsi infringitur fundamento Florentino.*

 necessariis

necessariis, quod intendimus. Minor non aliter probanda est, quam ipsissmet Florentini verbis in litteris vnionis paulo post initium ita decernentis. *Quoniam omnia, quæ Patris sunt, ipse Pater vnigenito Filio suo gignendo dedit, præter esse Patrem*: ergo vel dedit gignendo scienriam liberam, vel nullo modo dedit, cum omnia quæ dedit, gignendo dederit.

Secūda sententiæ nostræ probatio. quia processio Spiritus prior esset processione Verbi.

52. Probari solet secundo conclusio. Quia si Verbum procederet per scientiam liberam, etiam Spiritus sanctus per similem amorem procederet. Vnde fieret processiomem liberam Spiritus sancti esse priorem processione libera verbi, cum tamen econtrario debeat esse nam Spiritus à Verbo, & non econtra procdit. Sequela probatur, quia priora sunt in Deo decreta libera, ex quibus procederet Spiritus sanctus, quam scientia libera, ex qua Verbum prodiret: ergo prior esset processio libera Spiritus S. quam verbi. Sicut in necessariis prior est processio Verbi, quam Spiritus, eo quod intellectio necessaria per quā procedit Verbum, prior est volitione necessaria per quam Spiritus procedit.

53. Respondet P. Arriaga, & quidem facile, vt ipse ait Verbum, quoad necessaria prius esse Spiritu sancto; quoad libera vero priorem esse processionem Spiritus sancti, quam verbi, quia priora sunt decrecta libera, quam scientia. Additque in hoc nullam esse difficultatem, aut absurdum.

Responsio præcedens libratur.

54. Contra tamen, quia si in liberis processio Spiritus esset prior processione Verbi, processio Verbi esset ab Spiritu; sicut ècontrario in necessariis, quia processio Verbi est prior processione Spiritus, processio Spiritus est à Verbo. Vnde sicut in necessarius Pater & Verbum sunt vnum principium Spiritus; ita in liberis, Pater & Spiritus essent vnum priocipium verbi; nam in diuinis omne, quod per se præcedit aliquam processionem est principium illius. Vnde iterum fieret omnes personas quoad necessaria esse principium vtriusque processionis liberæ, cum omnes, quoad necessaria per se præcedant omnia libera, *Confirmatur*, si in necessariis prior esset volitio quam intellectio, prior quoque esset processio Spiritus, quam Verbi, & tunc processio Verbi esset ab Spiritu: ergo cum in liberis

beris prior sit volitio quam intellectio, prior quoque processio Spiritus quam Verbi, ista erit ab Spiritu. In quibus omnibus aliqua sine dubio est difficultas, & absurdum.

55. Melius ergo occurrunt argumento Recentiores, negantes sequelam. Quia licet prior sit amor liber, quam scientia, non tamen prius est fœcundus quam scientia, imo econtra, nam productio libera sequitur necessarium; sicut ergo in necessariis prius est fœcunda intellectio, & deinde volitio; similiter in liberis, prius est fœcunda scientia liberorum, quam volitio eorumdem. Vnde prior erit processio verbi liberi, quam processio Spiritus; ista enim essentialiter supponit vnum principium in dublici supposito Patris & verbi; ideoque amor liber fœcundus esse non potest, quousque præcedat scientia libera à Patre communicata Verbo; & vterque sit vnum principium Spiritus libere procedentis. Melior Recentiorum responsio

56. Non placet responsio, Quia amor liber est prior scientia: ergo & prius fœcundus. Probatur consequentia, ideo intellectio necessaria est prius fœcunda amore necessario, quia est prior illo, si enim intellectio necessaria posterior esset amore, etiam fœcunditas intellectionis posterior esset fœcunditate amoris, & prior esset processio Spiritus, quam Verbi: ergo cum amor liber sit prior scientia, etiam fœcunditas illius prior erit fœcunditate scientiæ, & processio Spiritus per amorem liberum prior erit processione Verbi per scientiam liberam. *Confirmatur*, ideo processio necessaria Spiritus sancti exigit vnum Spiratorem in duplici supposito Patris, & Filij, quia operatio necessaria voluntatis, per quam procedit Spiritus, supponit operationem intellectus, vnde si per impossibile operatio voluntatis antecederet operationem intellectus, processio Spiritus non exigeret vnum Spiratorem in duplici supposito: imo econtra processio necessaria verbi exigeret duo supposita per modum vnius principij, & in eo casu Filius procederet ab Spiritu sancto: ergo cum amor liber præcedat scientiam, si fœcundus esset, prius esset fœcundus, quam scientia, atque adeo prior esset processio libera Spiritus, quam verbi. Quo displiceat præcedens responsio.

57. Probari

Tertia probatio, quia Spiritus sanctus nō amaret libere.

57. Probari solet tertio conclusio. Si Spiritus sanctus acciperet à Patre volitionem liberam, non amaret libere per illam: id dici non potest: ergo. Sequela probatur; tum quia Spiritus sanctus non se determinaret ad amorem, sed determinaretur à Patre, tum etiam quia non esset in potestate illius habere, & non habere amorem, sed illum teneretur accipere, sicut ei donaretur à Patre, tum denique, quia supposito eo amore in Patre, liberum isti non est, communicare illum Spiritui sancto: ergo neque liberum erit Spiritui sancto accipere illum à Patre cum accipere illum non posset, nisi ex suppositione quod si in Patre. Propter hoc argumentum existimarunt aliqui, Spiritum sanctum ex amore libero non procedere, esto Verbum ex scientia libera procedat. An autem consequenter, ipsi viderint.

Responsio Patris Arriagæ.

58. Respondet primo P. Arriaga num. 37. Nullam prorsus Personam, neque creatam, neque increatam ideo esse liberam, quia amor, aut odium sit liberum ipsi personalitati; nam personalitas nihil agit in amorem, & formaliter vt talis non est agens liberum, tota ergo libertas consistit in natura illius Personæ. Cum ergo Spiritus sancti natura sit eadem, quæ in Patre, & quæ se determinat ad amorem, formalissime Spiritus sanctus est liber, licet personalitas illius non potuerit amorem illum impedire, aut habere à se.

59. Quod si contra solutionem istam vrgeas, Quia si natura humana prius ratione, quam vniretur Verbo, efficeret bonum opus quo se disponeret ad vnionem hypostaticam recipiendam, non diceretur Verbum meruisse suam vnionem, etiam si in eodem instanti ea natura, quæ libere operata est, esset vnita Verbo: ergo vt suppositum dicatur liberum, non sufficit naturam illius esse liberam, sed vlterius requiritur, vt pro priori naturæ ad operationem liberam sit iam vnita personalitas. Respondet negans antecedens, quia vnio Verbi, quantumuis posterior operatione humanitatis, dirigeret, & dignificaret humanitatem ad operandum, cum in eodem instanti reali simul essent.

Difficultas responsionis aperitur.

60. Hæc tamen responsio difficilis est, quia nulla gratia dignificat humanitatem in ordine ad operationem priorem ipsa gratia,

tia, & intuitu cuius donatur ista, etiamsi simul realiter existant, nam principium meriti caderet sub meritum. Secundam responsionem Arriagæ dabimus argumento sequenti, nam vtrique exhibetur à suo authore.

61. Probari solet quartò. Omnes personæ diuinæ, quoad necessaria, habent naturam diuinam prioritate naturæ, antequam ista se determinet ad amorem aut scientiam liberam, cum omnia necessaria sint natura priora liberis: ergo pro eo signo, quo natura diuina se determinat ad amorem, & scientiam liberam, vna etiam omnes personæ necessariæ se determinant ad illas; atque adeo æque primo amor & scientia libera habentur ab omnibus personis necessariis; vnde nec Filius accipiet à Patre scientiam liberam, nec Spiritus sanctus à Patre & Filio amorem liberum. Consequentia probatur, quia Pater non alia ratione se determinat ad amorem & scientiam liberam, nisi quia natura diuina prioritate naturæ præsupponitur existens in Patre ante amorem & scientiam liberam, inde determinante se natura diuina ad amorem, & scientiam liberam; etiam suppositum Patris se determinat, natura autem diuina prioritate naturæ præsupponitur existens in omnibus personis necessariis, ergo determinante se natura ad amorem & scientiam liberam, omnia supposita necessaria pro eo signo se ad illas determinabunt.

Quarta probatio, eo quod omnes Personæ præcedant determinationem liberam.

62. Duo respondet P. Arriaga. Primum omitto, quia reuera mentem fluctuantem circumagit insoluto modo. Secundum quod huic & præcedenti argumento respondet, est. Amorem, & scientiam liberam æque primo, & immediate esse in omnibus suppositis necessariis, omnesque Personas quoad necessaria æque primo, & immediate se determinare & habere à se ipsis amorem, & scientiam liberam. Id tamen non obstare, quominus solus Pater per scientiam liberam liberam producat Verbum liberum; & Pater & Filius per amorem liberum producant Spiritum liberum. Nam licet vterque actus liber supponat omnes personas quoad necessaria, in eisque processionem liberam antecedat; scientia tamen libera sola indiget Paternitate, vt conditione virtutis

Duplex P. Arriagæ responsio.

productiue Verbi liberi; amor vero liber sola indiget Paternitate & Filiatione per modum vnius, vt conditione virtutis productiuæ Spiritus liberi.

Omnes personæ necessariæ essent principium cuiusuis processionis liberæ.

63. Hæc tamen responsio impugnata iam est à nobis à gentibus contra Recentiores in secunda probatione conclusionis. Confirmo, nam in necessariis ideo Verbum procedit à solo Patre, & Spiritus sanctus à Patre simul & Filio, quia scientia necessaria ad processionem Filij præcedit in solo Patre, & amor necessarius ad processionem spiritus præcedit in Patre, & Filio; & inde sola paternitas est conditio, seu virtus productiua Filij, & sola spiratio actiua in Patre simul & Filio est similiter conditio seu virtus productiua Spiritus sancti: amor autem & scientia libera ad quamlibet processionem liberam præcedunt in omnibus personis necessariis: ergo omnes erunt conditio seu virtus productiua cuiuscunque processionis liberæ.

64. Et quidem cum omnes personæ æque primo se determinent ad amorem & scientiam liberam, easque à se ipsis habeant, hoc præscise cessat omnis necessitas processionis liberæ. quæ solum ad habendam scientiam liberorum necessaria esse potest, ex quo solo capite admittenda non est, vt de omni distinctione & productione tenent communiter Theologi, & concedit Arriaga. Dices processionem liberam necessariam esse, non vt Verbum amet, aut cognoscat libere, sed vt sit Verbum adæquatum dicens omnia, quæ scientia repræsentat. Contra, quia de ratione Verbi adæquati non est dicere omnia quæ scientia quælibet repræsentat, sed illa omnia dicere, ex cuius scientia procedit: ergo processionis liberæ non sit alia necessitas, nulla quidem erit; vt amplius constabit obiectionum solutione.

Vltima probatio ab absurdo multiplicis admittendi Verbi.

65. Vltimo probari solet conclusio. Quia si Verbum procederet ex scientia libera futurorum admittenda essent plura Verba in infinitum, quorũ vnum esset reflexiuum supra aliud: hoc autem absurdum est: ergo. Sequela probatur, quia omnis scientia libera est posterior suo obiecto: ergo scientia libera de Verbo, vt libera, est posterior ipso verbo: illa autem scientia est productiua alterius Verbi, cum non sit minus fœcunda, quam prima. Insuper scientia libera secundi Verbi, vt liberi, est posterior

posterior ipso Verbo: ergo producet tertium Verbum, & sic in infinitum.

66. Hoc tamen argumentum non vrget negantes infinitum processum scientiarum in seipsas reflectentium, quem impossibilem esse in Deo ostendimus tract. de voluntate disp. 3. sect. 1. & 2. Qui processum illum scientiarum admiserit, forte respondebit, Verbum liberum non produci, quousque tota scientia libera intelligatur in Deo; sicut verbum necessarium non producitur à Patre quousque tota scientia necessaria, etiam quæ est scientia ipsius Verbi, intelligatur in Patre. Desiderabitur tamen explicanda prioritas Verbi liberi, & posterioritas scientiæ illius, absque mutua prioritate, & posterioritate, si ea scientiæ posterioritas admittatur, quam in necessariis nullatenus admittendum iudicamus.

SECTIO V.

Obiectionum solutio.

67. OBiicit primo P. Zuñica S. Augustinum 11. confess. cap. 7. & 15. de Trinit. cap. 13. 14. & 15. S. Anselmum in Monol. à cap. 28. vsque ad 44. Et S. Thomam quæst. 34. art. 1. ad 3. asserentes, Verbo dici, & exprimi creaturas, quo nomine intelligunt quoque futuras, & existentes; ergo Verbum procedit ex cognitione libera futurorum, & existentium. Antecedens probatur. Nam Augustinus citatus agit de creaturis existentibus, & futuris, vt patebit legenti. Idque expressius docuit tom. 9. tract. 21. in Ioan. ad illa Verba, *Pater enim diligit Filium, & omnia demonstrat ei, quæ ipse facit*, aiens, *Dicendo enim Filio, quod facturus erat Pater per Filium, ipsum Filium genuit, per quem faceret omnia.* Vbi plane significat creaturas, vt futuras; non enim quis dicitur alicui manifestare quod facturus est; eo quod illi manifestet, quod facere potest. Idem tenet S. Thomas citatus, aiens. Dici Verbo omnes creaturas; quod autem ibi futuras quoque compre-

Obiecti Patres Augustinus Anselmus S. Thomas.

hendat, apertissime explicat quæst. 37. art. 2. ad 3. vbi ad ea verba alludens, ita loquitur. *Sicut Pater dicit se, & omnem creaturam Verbo; ita diligit se; & omnem creaturam Spiritu sancto.* Vbi nomen dilectionis creaturarum liberam potius denotat, quàm necessariam.

Explicati Patres de dictione non stricta sed lata.

68. Fateor, nos Patres aperte loqui de creaturis etiam futuris, & existentibus, & scientia libera eorumdem. Vt tamen respondeam, reuocanda sunt in memoriam, quæ de locutione diuina diximus disp. præcedenti sect. 4. in quibus plures nunc aduersantium consensere nobiscum. Scilicet, locutionem seu dictionem esse duplicem; vnam strictam, consistentem in productione Verbi; alteram latam, quæ aliud non dicit, quam habere scientiam Verbo terminatam. Ex his ergo, quæ satis communia sunt. Respondeo, eos, & alios Patres asserentes, Verbo dici creaturas futuras, & existentes, intelligendos esse de dictione, non stricta, sed lata; propter inconuenientia superius à nobis in Verbo libero recensita; quæ cum non militent in scientia necessaria creaturarum, nec ea interpretatio ad eam scientiã extendenda est, sed verba Patrum rigorose vsurpanda, cum possint absque vllo inconueniente. Idemque cum propositione de dilectione creaturarum existentium in Spiritu sancto dicendum est.

Florentinum obiectum, & cõtra obiicientes conuersum.

69. Obiicit secundo P. Arriaga Concilium Florentinum definiens, Patrem dedisse Filio, quæcunque habet, excepta Paternitate: scientia autem libera non est formaliter Paternitas, ergo pater eam dedit Filio; atque Filius accepit à Patre. Hoc argumentum, quo Arriaga subsect. 5. suam tentat firmare sententiam, ipsum impetit, vt notauimus sect. præcedenti. Non Florentinum definit in litteris vnionis paulo post initium, Patrem dedisse Filio omnia, quæ habet, non vtcumque, sed gignendo. Verba Florentini sunt: *Quniam omnia, quæ Patris sunt, ipse Pater vnigenito Filio suo gignendo dedit, præter esse Patrem*: Pater autem per te, non dedit scientiam liberam gignendo, cum Verbum liberum non procedat per generationem; ergo vel tua sententia est contra Florentinum, vel illa particula *Omnia*, accipienda est de solis & omnibus necessariis, excepta Paternitate, quo nihil probatur contra nos. Quare respondeo, Florentinum de necessarriis, quæ sunt in Patre, decernere,

omnia Patrem dedisse Filio per veram generationem, præter Paternitatem.

70. Obiicit tertio idem Arriaga subsect. 3. missis aliorum probationibus. Nam semel concesso, *scientiam aliquam diuinam esse fœcundam propter suam infinitatem ad substantiale Verbum producendum, similis fœcunditas scientiæ libere negari non potest, cum sit etiam infinite perfecta: nisi aliunde aliquid obstet; at vere non obstat: ergo.* Confirmat, nam *perfectius est verbum illud, quod dicit omnia, quæ sunt in scientia loquentis, quam quod dicit partem: ergo cum in scientia loquentis sint etiam futura libera, perfectius erit Verbum, quod illa dixerit, quam quod non dixerit, & consequenter perfectius erit, quod ex scientia libera processerit.* Hoc argumentum probat contra Arriagam, scientiam liberam esse fœcundam ad generandum, cum talis sit scientia necessaria propter suam infinitatem, & scientia libera sit etiam infinitè profecta.

71. Respondeo, scientiam necessariam esse fœcundam ad producendum Verbum, non præcise quia scientia infinita est, sed vlterius quia necessaria, sicut eo titulo fœcunda est ad generandum in sententia Arriagæ. Vnde sicut ipse negat scientiæ liberæ fœcunditatem ad generandum, ita nos negamus fœcunditatem ad producendum, tum quia in scientia qualibet diuina nulla est possibilis fœcunditas ad producendum, quæ non sit fœcunditas ad generandum, tum etiam propter absurda sect. præcedenti producta, quæ licet magna ex parte deuorentur ab aduersario, Thomacus tamen noster non illa patitur. Ad confirmationem negandum est antecedẽs, nam Verbum, quod diceret omnia etiam libera, chymæricum prorsus esset: esset enim Verbum, vt supponitur, & non esset, quia non esset genitũ, nec filius, quod si esset genitum, & Filius, induceret essentiam liberam, & Deum contingentẽ, nouam insuper Trinitatem induceret, nouasque relationes contingentes in principiis etiam absque vlla necessitate, procederet præterea ab omnibus Personis necessariis, & etiã ab Spiritu sãcto libero, & alia à nobis expẽsa.

Cur scientia necessaria fœcunda sit ad productionẽ verbi & non libera.

72. Sed instare posses, vis intellectiua, quæ posita veritate futuri, non se extenderet ad cognoscendum futurum non esset summe perfecta & adæquata: ergo neque Verbum

Instantia virtutis intellectiuæ.

quod posita veritate futuri, non se extenderet ad dicendũ futurũ, esset summe perfectum, & adæquatum: ergo vt Verbum diuinum summe perfectum sit, & adæquatum, necesse est, quod posita veritate futuri, se extendat ad dicendum illud. Idem confirmari potest in attributis diuinis, nam Omnipotentia, quæ non posset aliquam creaturam producere, hoc ipso summe perfecta, & adæquata non pariter immensitas, quæ aliquod spatium occupare non posset, summe perfecta, & adæquata non esset: ergo.

Discrimen extensionis scientiæ ad cognoscẽda libera & non Verbi ad dicendum illa.

73. Respondeo, concesso antecedente, negans consequentiã Ratio, est quia extensio virtutis intellectiuæ ad cognoscendã futura eo ipso quod talia sint, est perfectio nihil implicans, cum sit vis cognoscendi, quod cognoscibile est: futura autem dicit à Verbo omnino implicat, vt constat ex nuper dictis. Sicut ergo ad integritatem scientiæ non spectat cognoscere, quod implicat cognosci, nec ad integritatem Omnipotentiæ posse producere, quod implicat produci; sed cognoscere tantum quæ cognoscibilia sunt & posse producere, quæ sunt producibilia; ita ad integritatem Verbi non spectat dicere, quæ dici implicant, sed illa tantum, quæ nihil implicant dici; cur ergo sola illa, quæ necessario cognoscuntur à Deo, nihil implicent dici à Verbo, ideo sola illa dicuntur, & sola eorum dictione euadit verbum integrum, & adæquatum in ratione Verbi.

Processio Verbi ex cognitione comprehensiua non probat extensionẽ Verbi ad libera.

74. Obiicies quarto verbum procedit ex cognitione comprehensiua Dei: ergo procedit ex illa, vt se extendit ad contingentia, nam cognitio, quæ futura nesciret, comprehensiua Dei non esset. *Respondeo*, Verbum procedere ex cognitione comprehensiua necessaria tantum, quæ licet positiue non excludat scientiam liberam; illam tamen formaliter non includit, sed solam determinationem conditionatam extendendi se ad libera, si dentur; quæ determinatio conditionata tota, & omnino necessaria est, & inde scientia necessaria comprehensio Dei intensiua non esset, si positis futuris ea non cognosceret, quia videlicet ea determinatione conditionata careret, non vero quia scientia libera formaliter non esset.

75. Obiicies quintò, Spiritus sanctus procedit ex amore

libero: ergo & Verbum ex scientia liberà. Consequentia optima est. Antecedens probatur ex S. Thoma quæst. 37. artic. 2. corpore, & ad 3. docente: Patrem & Filium diligere nos Spiritu sancto, sicut se ipsos, vbi particula illa *nos*, aperte denotat amorem liberum: Patrem autem, & Filium diligere se Spiritu sancto denotat processionem Spiritus per eam dilectionem: ergo Patrem & Filium diligere nos Spiritu sancto, denotabit processionem Spiritus per eam dilectionem, maximè cum notionalis asseratur à S. Thoma, expresse distinguente inter amorem essentialem & notionalem. *Respondeo*, negans antecedens ad probationem concessis præmissis, nego consequentiam, quia amor liber fœcundus non est, sicut nec scientia. Dicuntur autem Pater & Filius diligere nos Spiritu sancto, quia diligunt nos amore terminato subsistentia Spiritus sancti, qua ratione amor essentialis dicitur notionalis.

Qua ratione dicantur Pater & Filius diligere nos Spiritu sancto.

76. Sed instabis, S. Thomas expresse asserit, Patrem & Filium se, & nos diligere Spiritu sancto, esse producere Spiritum sanctum: ergo non tantum est, nos diligere amore terminato subsistentia Spiritus sancti, sed amore ex quo procedit Spiritus. En verba S. Thomæ. *Secundum vero quod notionaliter sumitur, sic diligere, nihil est aliud, quam spirare amorem, sicut dicere est producere Verbum, & florere est producere flores. Sicut ergo dicitur arbor florens floribus, ita dicitur Pater dicens Verbo, vel Filio, se, & creaturam. Et Pater, & Filius dicuntur diligentes Spiritus sancto, vel amore producto, se, & nos.* Respondeo, eas particulas *se, & nos*, distributiue vsurpandas esse, ita vt Pater & Filius diligant se Spiritu sancto procedente ab ipsis per eam dilectionem, nos vero Spiritu dilectionem terminante. Idemque cum proportione de processione Verbi per scientiam dicendum est.

Explicatur S. Thomas.

77. Obiicies sextò. Pater loquitur cum Filio non solum de necessariis, sed etiam de contingentibus: ad huiusmodi autem locutionem sufficiens non est processio per scientiam necessariam: ergo opus est processio per scientiam liberam. Minor certa est, quia per scientiam necessariam non dicuntur libera. Maior autem videtur expressa doctrina Patrum Augustini, Anselmi, Thomæ, & aliorum, quos dedimus supra

Obiicitur locutio Patris cum Filio de cōtingentibus. Augustinus. Anselmus. Thomas.

ſupra, communiter docentium, Patrem loqui cum Filio de contingentibus: ergo ſicut locutio neceſſariorum eſt proceſſio Verbi per ſcientiam neceſſariam, ita locutio contingentium erit proceſſio Verbi per ſcientiam contingentem. *Reſpondeo.* Patrem non ita ſtricte loqui de contingentibus, ac de neceſſariis, vt dictum eſt diſp. præcedenti ſect. 4. Locutionem autem minus ſtrictam liberorum non dicere productionem Verbi, ibidem poſitum eſt, ibique videas.

Obiectio ſumpta ex miſſione Filij ad effectum temporalem

78. Obiicies ſeptimò, Pater mittit Filium ad effectum aliquem temporalem determinatum, ſcilicet, vt appareat mundo in natura humana: ſimilis autem miſſio intelligi non poteſt abſque communicatione ſcientiæ liberæ de tali effectu temporali: ergo. Minor probatur, nam miſſio vnius Perſonæ ab altera in diuinis, eſt proceſſio perſonæ miſſæ à mittente in ordine ad effectum temporalem: nequit autem ſtare proceſſio in ordine ad effectum temporalem, niſi communicetur à mittente ſcientia libera vel amor talis effectus, cum ſcientia, & amor neceſſarius indifferentes ſint ad non minus ad effectum temporalem, quam ad eius oppoſitum: ergo. *Reſpondeo,* ad miſſionem diuinam ſufficere proceſſionem neceſſariam coniunctam ſcientiæ vel amori libero muneris à Perſona miſſa præſtandi, de quo infra.

Vltima obiectio ſumpta ex impoſſibilitate procedendi verbi per ſcientiam liberam.

79. Obiicies vltimò, Verbum nec procedit, nec procedere poteſt ex ſcientia liberorum: ergo procedit ex ſcientia, qua nouit Deus, impoſſibile eſſe, Verbum procedere ex ſcientia liberorum, nam hæc ſcientia neceſſaria Deo eſt: huiuſmodi autem ſcientia exprimit libera, cum illa cognoſcat: ergo Verbum procedit ex ſcientia liberorum. *Reſpondeo* eam ſcientiam attingere quædem libera, non tamen libere, ſed omnino neceſſario, quia tantum attingit libera, quatenus ſunt terminus impoſſibilitatis procedendi Verbum per illa. Vnde nihil mirum ſi Verbum per eam ſcientiam, vt pote neceſſariam procedat.

SECT. O.

SECTIO VI.

An Verbum procedat ex cognitione disiunctiua, qua nouit Deus vel existere à parte rei Petrum, vel eius carentiam.

80. Non disputo modo, an sit posibilis Deo cognitio disiunctiua, sed suppono ex dictis à nobis tract. de scientia Media disp. 15. sect. 6. & magis ex professo tract, de Voluntate disp. vltima sect. 4. circa decretum disiunctiuum, eiusque obiectum, quod idem de scientia dicendum est. Nam Deum cognoscere, necesse esse, vel existere Petrum, vel eius carentiam, quod est disiiunctiue cognoscere ea obiecta inter se opposita, aliud non est, quam cognoscere, impossibile esse quod neutrum eorum existat, siue quod idem est, carentiam vtriusque simul impossibilem esse: id autem verum est: atque adeo cognitum à Deo, sicut de omni veritate censent omnes. Similiter procedit controuersia de cognitione, qua nouit Deus vel existere in ipso decretum producendi Petrum, vel decretum non producendi; quia cum Deo impossibilis sit pura amisio, vt disp. 9. de Voluntate diximus, impossibile est, neutrum eorum existere. *Supponitur possibilis in Deo sententia disiunctiua.*

81. Assero Verbum procedere ex ea cognitione disiunctiua. Ratio est, quia ea cognitio est Deo summe necessaria. Verbum autem procedit ex omni cognitione necessaria, vt constat ex hactenus dictis: ergo. Maior probatur, nam impossibile prorsus est, quod ex extremis cotradictoriis, neutrum existat: ergo necesse est aliquod eorum existere, cum vtrumque simul omitti possibile non sit: ergo necesse quoque erit Deum id cognoscere, atque adeo scientia necessaria. Confirmatur, Nam Deum cognoscere vel existere Petrum, vel eius carentiam, aliud re non est, quam cognoscere, impossibilem esse omissionem vtriusque simul seu impossibile esse neutum eorum existere: possibilia autem, & impossibilia cognoscun- *Verbum procedit ex cognitione disiunctiua.*

tur adeo ſcientia neceſſaria, ex qua Verbum procedat: ergo & diſiunctum ex Patre eiuſque carentia ſimili ſcientia cognoſcetur.

Prima obiectio ex ſcientia viſionis diſiunctiua.

82. Obiicies primo, ſi Verbum procederet ex ſcientia diſiunctiua exiſtentiæ Petri, vel non exiſtentiæ illius, etiã procederet ex aliqua ſcientia viſionis ex oppoſitis, id eſt, vel ex ſcientia viſionis exiſtentiæ Petri, vel ex ſcientia viſionis non exiſtentiæ illius: id falſum eſt: ergo. Maior videtur certa, nam aliqua ſcientia viſionis ex oppoſitis eſt Deo ſumme neceſſaria, cum impoſſibile prorſus ſit, neutram earum exiſtere: ergo cum Verbum ex omni ſcientia neceſſaria procedat, etiam ex aliqua ſcientia viſionis ex oppoſitis procedet. Quod tamen videtur impoſſibile, quia nulla res procedere poteſt à principio diſiunctiuo, & indeterminato, ſicut nullus effectus creatus procedere poteſt à cauſa, nec ab ãctione indeterminata, ſicut inſuper nullus effectus indeterminatus exiſtere valet, aut produci, ita neque principium indeterminatum exiſtere poterit, aut producere, nam quidquid exiſtit, & re ipſa producit, determinatum eſt, non minus, quam quod producitur: ergo ſicut implicat dari Verbum diſiunctiuum, ita etiam implicabit dari principium Verbi diſiunctiuum.

83. Confirmatur, Verbum procedere non poteſt ex ſcientia viſionis determinata Petri, neque ex ſcientia viſionis determinata carentiæ Petri: ergo ex nulla procedere poteſt, cum ex aliqua procedere, & ex nulla procedere, contradictorium ſit, non minus quam, nullum currere, & aliquem currere. Sicut ergo caſu, quo ſoli eſſent duo homines, ſcilicet, Ioannes, & Paulus, & Paulus determinatus ſederet, & ſimiliter Ioannes, falſum, & impoſſibile eſſet aliquem eorum currere: ita eo ipſo, quod Verbum ex ſcientia viſionis determinata Petri non procedat, neque ex ſcientia viſionis determinata carentiæ Petri falſum, & impoſſibile erit, Verbum ex aliqua earum procedere. Et ratio omnium eſt, quia propoſitio diſiunctiua, ad ſui veritatem, exigit prædicatum re ipſa exiſtere in indiuiduo determinato eorum, inter quæ diſiungit propoſitio, determinato quidem in re, non determinato

terminato à propositione, nam hæc omnia subiecta disiunctiuè attingit: ergo cum prædicatum processionis Verbi neque in re existat in scientia visionis Petri, neque in scientia visionis carentiæ Petri, neque verum esse poterit existere in aliqua earum.

84. Respondeo negans maiorem. Ad cuius probationem dicimus: aliquam scientiam visionis ex oppositis esse necessariam, aliud non sibi velle, quam omissionem vtriusque simul impossibilem esse, seu ens rationis, & carentiam huiusmodi omissionis, seu entis rationis, necessario existere, quæ carentia cum scientia diuina non sit, quid mirum si Verbum ex illa non procedat. Scientia autem diuina disiunctiua inter existentiam Petri, & carentiam illius, & scientia est, & necessaria est, ideoque Verbum ex illa procedit. Nec dicitur disiunctiua, quia in se indeterminata sit, quod obstare processioni verbi, bene conuincit obiectio, sed quia cum in se determinata sit, modo disiunctiuo attingit obiectum: sicut hæc propositio: *Aliquis homo currit*, in se quid determinatum est, etiam si modo disiunctiuo attingat omnes homines. Quid sit scientia visionis disiũctiua, & argumenti solutio

85. Quod si instes. Ergo saltem procedet Verbum ex cognitione impossibilitatis vtramque simul scientiam visionis oppositam omittendi; & ex cognitione carentiæ huiusmodi omissionis. *Respondeo* concedens consequentiam; hæc enim est conclusio nostra, eamque scientiam vocamus disiunctiuam alicuius scientiæ ex oppositis. Sicut scientia disiunctiua existentiæ Petri, vel eius carentiæ aliud re non est, quam scientia impossibilis omissionis vtriusque simul, vel scientia carentiæ talis omissionis. Vnde consequens est, Verbum ex vtraque, vel ex neutra procedere. Alia, quæ circa disiunctum, vel modũ tendendi disiunctiuum hic obiici possent, soluta, & explicata à nobis sunt tract. de voluntate disp. vlt. sect. 4. videas ibi.

86. Obiicies secundo Scientia disiunctiua vel existentiæ Petri, vel nõ existentiæ illius non potest esse ratio formalis cõmunicãdi diuinas perfectionis verbo: ergo ex illa procedere non potest. Cõsequentia constat ex dictis, quia in nostra sententia nõ alia ratione Verbum ex cognitione procedit nisi quatenus ista Quomodo scientia illa disiunctiua possites se ratio formalis communicandi

est ratio formalis communicandi diuinas perfectiones. Antecedens probatur, quia ea cognitio disiunctiua sola attingit obiecta creata: ergo non potest esse ratio formalis communicandi obiectum increatum. Patet consequentia quia nulla cognitio potest esse ratio formalis communicandi rem, aut obiectum, quod non exprimit. Similem obiectionem attigimus iam supra. *Respondeo* ergo, quamlibet cognitionem diuinam obiecti creati, vt pote integre & perfecte comprehensiuam illius, attingere; saltem indirecte, diuinas perfectiones absolutas, & hoc sufficere ad eas communicandas. Dixi saltem indirecte, nam mea opinione etiam directe illas attingit, cum tota scientia necessaria sit vna indiuisibilis virtualitas.

87. Obiicies tertio scientia disiunctiua vel existentiæ Petri, vel non existentiæ illius, supponit in Deo Decretum vel existentiæ Petri, vel non existentiæ illius: hoc decretum est liberum: ergo & scientia: ergo Verbum ab illa procedere non potest, cum à nullo libero procedere valeat. Maior videtur certa, quia tam existentia Petri, quam non existentia, pendent à decreto Dei, cum sine illo existere non possint. Minor probatur, quia tam decretum existentiæ Petri, quam decretum non existentiæ est Deo liberum: ergo scientia disiunctiua vel existentiæ, vel non existentiæ supponit decretum liberum vel existentiæ Petri, vel non existētiæ: ergo est scientia libera, & nō necessaria, cum nullum necessarium quidquam liberū supponat, & quod aliquod liberum supponit: eo ipso absolute necessarium non sit, ad contingens. Confirmatur, scientia visionis determinata existentiæ Petri supponit decretum determinatum liberum de existentia eiusdem Petri: ergo scientia disiunctiua vel existentiæ Petri, vel non existentiæ illius, supponit decretum disiunctiuum liberum vel existentiæ Petri, vel non existentiæ illius.

Scientia illa disiunctiua nullum supponit decretum disiunctiuum.

88. Respondeo negans maiorem quia etiam si existentia Petri pendeat essentialiter à decreto libero Dei, & similiter non existentia illius. Deus tamen absque vllo decreto libero, ex se est necessario determinatus ad positionem vnius extremi vel alterius, id est ad carentiam omissionis vtriusque simul.

Inde

Inde impossibile Deo est decretum disiunctiuum circa ea extrema, quia minus talis decreti esset determinare Deum ad aliquod eorum ponendum, id est ad vtrumque simul non admittendũ; atque adeo otiosum omnino esset, cum Deus ex suis prædicatis sit omnino determinatus ad non omittendam simul vtramque contradictionis partem. Id circa docui tract. de Voluntate disp.vlt. sect.4. possibile tantum Deo esse decretum disiunctiuum circa extrema, quæ absolute simul à Deo omitti possunt. Vnde patet scientiam diuinam disiunctiuam contingentem non esse, cum tantum pendeat à determinatione Dei ad vtrumque extremum simul non omittendum, quæ determinatio Deo summe necessaria est.

89. Instabis, possibile Deo non est decretum disiunctiuum circa existentiam Petri, & carentiam illius: ergo neque possibilis erit scientia disiunctiua; eadem enim videtur vtriusque ratio. *Respondeo*, in Deo impossibilem tantum esse volitionem liberam disiunctiuam circa ea extrema, non vero conplacentiam necessariam. Ex eo autem quod impossibilis Deo sit volitio libera circa aliquod obiectum tantum sequitur ad summum impossibilem esse scientiam liberam, quod non negamus, non vero sequitur possibilem non esse scientiam necessariam, ad id enim satis est, si Deus in tale obiectum complacentia necessaria feratur. **Instantia ex decreto disiunctiuo sumpta.**

90. Ex dictis collige, Verbum procedere ex scientia quecunque disiunctiua eorum extremorum, quorum Deus vtrumque simul amittere non potest; siue tale disiunctum sit creatum, siue increatum, siue positiuum, aut negatiuum, siue mixtum ex vtroque. Quia vna, eademque est omnium ratio à nobis tradita. **Corollarium ex dictis.**



DISPVTATIO XVIII.

De tertia Trinitatis Persona, scilicet Spiritu sancto.



SICVT duplici disputatione præcedenti expendimus omnia, quæ Filij sunt propria; ita nunc quæ propria sunt Spiritus inuestigamus. Sicut autem proprium est Filij esse Verbum, imaginem, & sapientiam Patris: ita proprium est Spiritus sancti esse amorem, donum, & dilectionem. Insuper sicut proprium est Filij procedere per intellectionem, ita proprium esse Spiritus sancti per amorem procedere. Denique sicut Filius verus est Deus consubstantialis Patri, ita Spiritus sanctus, verus etiam Deus est consubstantialis Patri, & Filio. Quæ omnia hæc disputatio declarabit, vbi etiam de nomine Spiritus sancti, non nihil dabimus, & An tertia Trinitatis Persona conuenienter hoc nomine donetur.

SECTIO I.

An hoc nomen Spiritus sanctus *conueniens sit, & proprium tertiæ Personæ Trinitatis.*

Multiplex nominis Spiritus vsurpatio.

2. NOmen Spiritus in sacris litteris multiformiter vsurpatur. *Primò* sumitur latissime pro quocunque affectu vehemen

vehementi, seu impetu accidentali creatæ voluntatis, siue bono, siue malo. Psalm. 75. *Qui aufert Spiritum principum.* Isaiæ 19. *Dirumpetur Spiritus Ægypti.* 1. Ioann. 3. *Nolite omni Spiritui credere.* Ad Galat. 3. *Spiritus autem aduersus carnem.* 2. Corinth. 3. *Spiritus autem viuificat.* Ioann. 4. *In Spiritu & veritate oportet adorare.* Et cap. 11. *Infremuit Spiritu. Secunda* sumitur pro substantia corporea Genes. 6. *Interficiam omnem carnem in quâ Spiritus vitæ est.* & cap. 8. *Adduxit Spiritum super terram, & imminutæ sunt aquæ.* Exod. 15. *Flauit Spiritus tuus, & operuit eos aqua,* Psalm. 47. *In Spiritu vehementi conteres naues Tarsis.* Huiusmodi autem vsurpationes locum non habere in diuinis certo est certius. *Tertiò* sumitur pro substantia spirituali creata: sic anima rationalis dicitur Spiritus Lucæ 23. *In manus commendo spiritum meum.* & Ioann. 19. *Inclinato capite tradidit Spiritum.* Similiter Angeli dicuntur Spiritus. Ad Hebr. 1. *Omnes sunt administratorij Spiritus.* Psalm. 103. *Omnes sunt administratorij Spiritus.* Et neque acceptio hæc Spiritus locum habet in Deo.

3. *Quartò*, Spiritus vsurpatur pro substantia Spirituali increata, qua ratione Ioann. 4. dicitur. *Spiritus est Deus.* Et sumptus hac ratione Spiritus communis est omnibus personis; nam omnes sunt substantia Spiritualis. Ita Cyrillus Hierosolymitanus catechesi 17. prope finem, vbi de dictione Spiritus ita loquitur. (Dicitur enim & de Patre; Spiritus est Deus, vt in Euangelio Ioannis scriptum est: & de Filio, Spiritus faciei nostræ Christus Dominus, vt dicit Ieremias Propheta: & de Spiritu sancto, Paracletus autem Spiritus sanctus, vt dictum est.) Similia habent Basilius lib. 2. contra Eunomium, & lib. vnico de Spiritu sancto cap. 9. & 19. Anastasius Sinayta lib. 1. de rectis fidei dogmat. Richardus Victorinus lib. 6. de Trinitat. cap. 19. Cyrillus Alexandrinus lib. 13. thesau. cap. 1. & alij.

4. Assero, nomen, *Spiritus sanctus*, proprium esse tertiæ Personæ Trinitatis, esto in aliqua vsurpatione, scilicet, sumptum pro substantia spirituali immuni à peccato, commune sit trium Personarum. Ratio est, quia vsu scripturarum, Patrum, & Theologorum, propter vocabulorum inopiam, appropriatum

Nomen Spiritus sanctus proprium est tertiæ personæ.

propriatum est tertiæ Personæ, nomen Spiritus sanctus alioqui commune. Sic Matth. vlt. dicitur. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Et 1. Ioannis 5. *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo Pater, Verbum, & Spiritus sanctus.* Quia vsus obtinuit, nomine spiritus sancti significari hypostasim, seu Personam diuinam à Patre simul & Filio per voluntatem, seu amorem procedentem, quod tertiæ Personæ Trinitatis proprium est.

Variæ congruentiæ circa appropriationem eius nominis Prima Ambrosij.

5. Circa conuenientiam appropriationis eius nominis variæ congruentiæ insinuantur à Patribus. Prima est, quia cum processio tertiæ Personæ sit communis Patri, & Filio; inde nomen Patri cum Filio commune appropriatum est Spiritui sancto. Ita Ambrosius in symbolo Apostol, cap. 1. *Licet Pater est Spiritus, & Filius sit Spiritus; & Pater sit sanctus, & Filius, sit sanctus, sola tamen tertia Persona proprie Spiritus sanctus nuncupatur. Quia ergo coaterna & communis est ambobus, id ipsa vocatur, quod ambo sunt.* Idem tradit Augustinus lib. 5 de Trinit. cap. 11. (Vt ex nomine, quod vtrique conuenit, vtriusque communio significetur, vocatur donum amborum Spiritus sanctus.) Et lib. 15. cap. 19. (Quia communis est ambobus, id vocatur ipse proprie, quod ambo communiter.) Consentiunt Magister, & communiter scholastici 1, dist. 10. cap. vlt. S. Bonauentura artic. 2. quæst. 3. Richardus ibidem. Carthusianus quæst. 2. S. Thomas in præsenti artic. 1 corpore.

Secunda appropriatio S. Thomæ

6. Secundam congruentiam exhibet S. Thomas q. 36. art. 1. corpore his verbis. (Nam nomen Spiritus in rebus corporis impulsiones quandã & motionem significare videtur. Est autem proprium amoris quod moueat, & impellat voluntatem amantis in amatum. Sanctitas vero illis rebus attribuitur, quæ in Deum ordinantur. Quia igitur Persona diuina procedit per modum amoris, quo Deus amatur, conuenienter Spiritus sanctus nominatur.

Tertia P. Ruiz sũpta ab halitu seu respiratione.

7. Tertiam congruentiam tamquam certam & potissimam omnium, propter quam Deus in sacris litteris eleuauit nomen Spiritus, vt esset proprium tertiæ Personæ Trinitatis, tradit Noster

Noster Ruiz, & solita Patrum eruditione confirmat; disp. 65. à sect. 3. Ea est. Similitudo participata iuxta quam halitus, & vitalis Spiritus animalium peculiariter imitantur tertiam personam Trinitatis, eiusque processionem, magis quam Personam Patris, & processionem Filij: & imitantur magis, quam vlla res creata, & hominibus nota.

8. Probat primò. Nam Ioann. 20. Christus Dominus: *Insufflauit, & dixit: Accipite Spiritum sanctum.* De quo Cyrillus lib. 9. capit. 44 post med. ait (Propterea corporaliter Christus sufflauit, ostendens hoc signo, quia quemadmodum ab ore humano corporaliter humanus spiritus procedit, sic ex diuina substantia, deitati congruenter, Spiritus, qui ab ea est, profunditur.) Rursus lib. 12. in Ioan. cap. 56. initio. (Spiritum insufflans dedit: vnde nobis firmiter credendum est, non esse alienum à Filio Spiritum sanctum. Nam, cum ei consubstantialis sit, ex Patre per ipsum procedit.) Similia habet Basilius homil. 17. in Sanctum Baptisma initio, aiens. Dominus Spiritum sanctum discipulis suis inspirauit; perque illam inspirationem Spiritum esse diunæ essentiæ, & non creatæ naturæ ostendit.) Idem firmat ex multis aliis Patribus Ruiz ad illud Psalm. 32. (Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum.) Et ad illud Iob. 27. (Donec superest habitus in me, & Spiritus Dei in naribus meis. Et c. 33. Spiritus Domini fecit me, & spiraculũ Omnipotentis viuificauit me) Et Genes. 2. (Inspirauit in faciẽ eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentẽ. Cyrillus, & Basilius eam congruentiã explicantes

9. Probat secundo ratione. Quoniam in declarandis singulis Personis per nomina propria, Deus potissimum respexisse videtur ad res corporeas, & nobis notas, vt per aliquid illis cum Deo commune, significaret proprietates personales; hac enim arte imposita sunt nomina Patris, Filij, ac Verbi: Nulla autem res corporea, nobisque nota reperietur ita similes Spiritui sancto, eiusque processioni, sicut halitus, & Spiritus vitalis: ergo hinc sumpta est conuenientia, ad appropriandum nomen Spiritus tertiæ Personæ Trinitatis. Minor probatur, quia spiritus est, subtilissima substãtia procedens à principio cognitionis, & amoris, nec non à principio motus Ratio præfatæ congruentiæ.

per impulsum reciprocum voluntarium simul, & necessarium ac naturalem, inseparabiliter cum locutione coniunctum, communicationem vitæ, suauitatemque, ac delectationem interius constituens, & exterius causans. Quæ omnia ex maiori parte esse Spiritus sancti propria, singillatim ostenditur.

10. Et *Primo* respirationem procedere à duobus tanquam ab vno principio, probat, quia oritur ex corde tanquam à causa præcipua teste Aristotele lib. de respiratione cap. 4. & ex cerebro ministrante per neruos Spiritus tenuiores ad præstandos sensum & motum. Porro cerebrum esse principium sensitiuæ cognitionis, & cor esse subiectum potentiæ concupiscibilis, ac proinde principium amoris sensitiui, ipsa experientia notum est. Sic ergo Spiritus sanctus procedit à Patre, qui est principium notitiæ genitæ, quæ Verbum est. Simul etiam procedit ab ipso Verbo, quatenus vltimate proponit obiectum amabile, qua ratione cum Patre complet vltimate principium vnicum amoris. *Secundo*, Spiritus animales procedere à principio motus, quod principium est cognitionis & amoris sensitiui, patet ex dictis, nam in corde residet virtus effectiua spirituum vitalium, quorum pars à corde procedens ad cerebri ventriculos euadit, vbi Spiritus magis attenuati ad sensum & motum per neruos distribuuntur; atque cor, & cerebrum, quæ sunt principium cognitionis & amoris sensitiui, sunt etiam principium motus. sic Spiritus sanctus & motus est, & procedit à principio motus diuini, quod idem est principium cognitionis, & amoris diuini.

11. *Tertio* dicitur reciprocus impulsus, quia aer, seu Spiritus identidem reciprocando, ducitur, ac reducitur inspirando, & respirando. Sic Spiritus sanctus reciprocus amor est, quo Pater tendit in Filium, & Filius in Patrem. *Quarto* dicitur voluntarius, & simul necessarius, ac naturalis. Voluntarius quia spontaneus est, & potens breui tempore suspendi. Necessarius, quia diutius sine illo viuere non possumus. Sic ergo processio Spiritus sancti spontanea est, & voluntaria, quia Spiritus sanctus procedit per volitionem, dirigiturque cognitione summi boni; quibus non obstantibus est summe neces-

saria

saria. *Quinto* dicitur respiratio cum locutione coniuncta, quia hæc sine habitu respirationis formari non potest. Sic Verbum sine Spiritu sancto esse non potest. *Sexto* respiratio constituit communicationem vitæ, suauitatem, ac delectationem interius. Spiritus sanctus est ipsamet delectatio & suauitas in facto esse, eamque per dona sua communicat exterius: ergo.

12. Non mihi displicet sententia ista P. Ruiz, cæterum secunda illius probatio à ratione non placet in omnibus. Etenim cerebrum esse principium cognitionis sensitiuæ, & cor principium amoris sensitiui, non adeo planum est, vt à multis ea doctrina non repudietur, quia idem omnino debet esse principium sensitiuum, & appetitiuum. Crediderim tamen ideo Spiritum, seu respirationem, aut halitum attribui Spiritui sancto. Quia sicut animal, corpore & anima vnitis per modum vnius principii, prius attrahunt Spiritum, & deinde respirant, & prius est habere id quo respirent, & deinde emittere respirationem. Ita Pater & Filius per modum vnius principij inter se coniuncti prius habent quo spirent, scilicet spirationem actiuam, quod est quasi trahere habitum, & deinde producunt Spiritum, quod est quasi halitum emittere, seu respirare. Insuper sicut respitatio animalis duplici actione completur, scilicet, acceptione halitus, & emissione illius; Ita Filius ad producendum Spiritum sanctum, & accipit à Patre halitum spirationis actiuæ, & quasi emittit illum, producendo passiuam.

Quid in ea congruentia placeat, quid displiceat.

SECTIO II.

An Spiritus sanctus sit tertia in Trinitate Persona verusque Deus, aequalis Patri, & Filio.

Errores haereticorum circa personam Spiritus sancti.

13. Missis Sabellianis, qui patrem, Filium, & Spiritum sanctum, vnicam tantum esse Personam somniarunt, solis nominibus, vel muneribus distinctam. Lactantius Firmianus epist. 8. ad Demetrianum, Spiritum sanctum cum persona Patris, & Filij confundebat. Vrbicus autem Potentinus aiebat, Spiritum sanctum, vel esse Patrem, aut Filium vel creaturam, vt refert Athanasius dialog. 4. de Trinit. Alij putarunt esse Deitatem ipsam, qua copulantur Pater, & Filius, vt vterque sit Deus, quos suppresso nomine refert Augustinus lib. de fide, & symbolo. cap. 9. Caluinus docuit, Spiritum sanctum esse Dei virtutem essentialem. Theodorus Beza esse potentiam Patris & Filij Guilielmus Farrellus esse motum creatum. Michael seruetus esse agitationem Dei, seu energiã quandam, vt inspirationem virtutis Dei. Bernardus Ochinus, non esse Personam. Alij denique esse donum accidentale.

Spiritus sanctus tertia est in Trinitate Persona.

14. Asserendum est primo: Spiritum sanctum esse tertiam in Trinitate Personam distinctam realiter à Patre, & Filio. Conclusio est de fide. Nam Matth. vlt. Christus tres nos docuit personas diuinas realiter inter se distinctas, aiens *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij & Spiritus sancti.* Vbi Spiritus sãctus proponitur tamquã Persona diuina non minus distincta à Patre, & Filio, quam Filius à Patre. Insuper. 1. Ioann. 5. *Tres sunt qui testimonium dant in caelo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus.* Vbi tres statuuntur Personae distinctae, & tertia ordine numeratur Spiritus sanctus. Rursus, nam Spiritus sanctus à Patre Filioque procedit: omnis autem processio diuina personalis est, & Persona procedens distincta ab ea, a qua procedit: ergo cum Spiritus sanctus à Patre Filioque procedat, Persona erit ab vtroque distincta; sicut Filius à Patre procedens persona est ab illo distincta.

15. Circa

15. Circa diuinitatem Spiritus sancti plures hæretici insanissime delirarunt. Docentes aliqui se esse Spiritum sanctum. Ita Montanus, & Steimbach, apud nostrum Ruiz disp. 66. sect. 2. Alij, scilicet Helchesaitæ fabulabantur, Spiritum sanctum esse sororem Christi in habitu fœmineo, eundemque, sicut & Christum, habere altitudinem sex milliarium, & latitudinem viginti quatuor miliarium vt refert Epiphanius heres. 53. Ducuerunt alij, Spiritum sanctum Deum non esse, sed creaturam. Ita Origenes tract. 13. in Ioan. Priores Arriani, Eunomius, Ætius, Macedonius, & Alij apud citatum Ruiz. Errores circa diuinitatem Spiritus sancti.

16. Asserendum est secundo. Spiritum sanctum esse Verum Deum, consubstantialem, & æqualem Patri, & Filio. Conclusio est etiam de fide. Probatur primo ex scripturis Matth. vlt. *Baptizantes eos in nomine Patri & Filij, & Spiritus sanctis.* Vbi particula *nomen* denotat vnitatem diuinitatis in tribus Personis vt commune est inter Patres. Insuper 1. Ioan. 5. *Tres sunt qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres vnum sunt.* Id est, vna essentia, vna diuinitas. Præterea Actor. 5. *Anania, cur tentauit satanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto? Non es mentitus hominibus sed Deo.* Ergo Spiritus sanctus Deus est. Rursus 1. Corinth. 3. *An nescitis quia templum Dei estis.* Et cap. 6. explicans Paulus, quis ille Deus sit, ait *An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sanctus* Moxque subiungit: *Glorificate, & portate Deum in corpore vestro.* Certum ergo Spiritum sanctum Deum esse. Alia plura testimonia videas apud citatum Ruiz sect. 3. Spiritus sanctus verus est Deus æqualis Patri, & Filio.

17. Secundo probatur ex traditione Apostolica. Nam Iacobus frater Domini in liturgia, sub initium, Spiritum sanctum appellat *consubstantialem*. Et circa finem dicit *Consubstantialem Trinitatem Patrem, Filium; & Spiritum sanctum* Frequenterque Spiritui sancto tribuit vnum nomen diuinitatis, vnam potentiam, gloriam, & adorationem cum Patre, & Filio S. Martialis Apostolorum discipulus epist. 1. ad Burdegalēses c. 10. quæ habetur in fine tom. 3. Bibliothecæ, ait *Vnus idem Deus, qui cuncta creauit Pater; Vnus & idem Dominus per quem omnia facta sunt Filius eius Iesus Christus; & vnus, idemque Deus Spiritus sanctus in quo omnia subsistunt.* Traditio Apostolica pro diuinitate Spiritus.

Concilium Nicænum Synodus Alex. Damasus Constantinopolitanũ 2 Lateranense

18. Tertio probatur ex Conciliis hoc firmantibus catholicum dogma. Hanc enim veritatem decernunt Concilium Nicænum lib. 2. col. 8. §. *Sancta & magna*, & § *non est difficile*, & alibi synodus Alexandrina referente Sozomeno lib. 6. Tripartitæ, cap. 20. Damasus Papa cum Episcopis, qui ad eum conuenerant epist. 6. Concilium Constantinopolitanum secundum, quod est quintum generale collat 8. can. 1. Ioannes papa secundus epist. 2. ad senatores, quæ solita est appellari, liber de duabus naturis contra Eutychianos. Concilium Lateranense cap. *Firmiter* de summa Trinitate. Recole symbolum Athanasii, vbi diuinitas Spiritus sancti, distinctio, & æqualitas exprimuntur his verbis. *Alia est enim persona Patris, alia Filij, alia Spiritus sancti. Sed Patris, & Filij, & Spiritus sancti vna est diuinitas, æqualis gloria, coæterna maiestas.* Eandemque veritatem vno Spiritu, & agmine propugnant Patres omnes.

Prima obiectio ex Ioannis 1.

19. Obiiciunt primo hæretici illud Ioan. 1. *Omnia per ipsum facta sunt*, scilicet Verbum: ergo etiam Spiritus sanctus factus est à Patre per verbum, ac proinde non Deus, sed creatura erit. *Respondeo* negans consequentiam. Quia Ioannes illis verbis non excludit Spiritum sanctum ab operationibus ad extra, sed ab eo præscindit, verbi diuinitatem ostensurus tunc; alibi enim Spiritus sancti diuinitatem expressissime docet 1. Ioan. 5, verbis illis. *Tres sunt, qui testimonium dant in cælo Pater, Verbum & Spiritus sanctus, & hi tres vnum sunt.*. Quod autem obiiciunt alij ex Amos 4. videlicet. *Ego Dominus formans tonitrum, & creans Spiritum*, Non est ad rem, nam ibi Spiritus sumitur pro vento; hæc enim est vna ex multiplici significatione nominis Spiritus.

Secunda ex Rom. 8. eo quod Spiritus postulet pro nobis gemitibus.

20. Obiiciunt secundo illud Pauli Rom. 8. *Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Qui autem postulat, inferior est, in eo quod postulat, cum hoc ipso à se non habeat, quod postulando desiderat obtinere, ergo Spiritus est inferior ac proinde creatura, cuius infirmitatem satis gemitus demonstrant, vt pote prorsus alieni à diuinitate extra omnem carnem, quam Spiritus sanctus non assumpsit. *Respondeo*, Spiritum sanctum eatenus dici postulare pro nobis gemitibus inenarrabilibus,

libus, quatenus dat nobis virtutem, qua enixe postulemus per gratiam eius, & adiutorium, quæ nostra profutura sunt. Hoc sensu Patres exponunt, quod Spiritus *interpellat* pro nobis, quatenus postulare nos facit.

21. Obiiciunt terio Spiritus sanctus mittitur à Patre, & Filio. Insuper non loquitur à semetipso, Ioan, 19. *Non enim loquitur à semetipso*: ergo Deus non est. *Respondeo* negans consequentiam, quia sicut Filius Deus est æqualis Patri, etiam si mittatur ab illo; ita Spiritus sanctus Deus est æqualis Patri, & Filio, etiamsi mittatur ab illis. Missio enim inferioritatem non arguit in persona, quæ mittitur; sed solummodo dicit processionem illius à mittente, processionem inquam ad intra, & operationem ad extra. Quod vero Spiritus sanctus non loquatur a semetipso, aliud non est, quam non loqui tamquam personam improductam, sed à Patre, & Filio procedentem, quo nullatenus excluditur, immo componitur diuinitas. Idcirco Ioannes ibidem vers. 14. adiunxit. *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet.* Quibus diuinitatem Spiritus sancti cum præcedentibus componit; à Filio enim spiritus non Filiationem, sed diuinitatem accipit. Tertia ex missione Spiritus desumpta.

22. Obiicies vltimo S. Basilium homil. 17. in sanctum Baptisma ita circa finem scribentem. *Neque igitur alienus est à gloria Dei Spiritus, ex ineffabiliori ineffabiliter procedens: nec ipse Deus, sed [illegible] Spiritus, & apud Deum, qui & à Deo mittitur, & per Filium nobis suppeditatur.* Ergo ex mente Basilij nec Spiritus sanctus æqualis est Patri aliter iste ineffabilior non esset, nec Deus.

23. Respondeo S. Basilium expresse docuisse diuinitatem Spiritus sancti, & cõsequenter æqualitatem cum aliis Personis pluribus in locis, præcipue homil. 10. hexameron. homil. 15. de fide, & 17. in sanctum Baptisma, homil. 27. de Spiritu sancto, homil. 28. contra. Sabellianos. lib. 3, & 5. contra Eunomium, & lib peculiari de Spiritu sancto ad Amphilochium à cap. 9. vsque ad 29. In quibus omnibus cum Basilius diuinitatem Spiritus sancti constanter, & acerrime contra hæreticos propugnet, eorumque infringat argumenta. Consequens est, ipsum hoc loco solummodo negare, quod Spiritus sanctus sit Deus notionaliter acceptus pro persona Patris, respectu cuius appellatur Vltima ex Basilio.

Spiritus

Spiritus Dei; ſicut ſecunda Perſona appellatur Filius Dei, & Verbum Dei, ſcilicet Patris. Quando vero Pater dicitur ineffabilior, & Spiritus ſanctus ineffabiliter procedens, non intenditur inæqualitas eorum; ſed excellentia Patris ſuper omnia creata ſecundum quid ineffabilia, quia nos ea explicare non valemus. Vnde augmentum comparatiui non ad Spiritum ſanctum, ſed ad creaturas referendum eſt. Nam inter ſimpliciter ineffabilia, qualia ſunt omnia diuina, nulla ſtat inæqualitas ſaltem materialiter, qua ratione procedit in præſenti diſputatio. Nam formaliter ex vi proceſſionis ſpiritum ſanctum non eſſe Deum plures tenent Catholici; ſimiliterque diuinas perfectiones eſſe formaliter inæquales. Vnde dici poſſet loquutum Baſilium de inæqualitate formali inter Paternitatem & ſpirationem paſſiuam.

Diuinitas Spiritus ſancti ex multiplici capite deſumpta.

24. Ratio autem diuinitatis Spiritus ſancti ex multiplici capite ſumitur à Theologis *Primum* ex dominio ſupremo, nullique ſuperiori ſubiecto. Ioann. 3. *Spiritus vbi vult ſpirat.* 1. Corinth. 12. *Hæc autem omnia operatur vnus, atque idem Spiritus diuidens ſingulis prout vult.* 2. Corinth. 3. *Dominus autem Spiritus eſt, & vbi Spiritus Domini, ibi libertas. Secundum*, ex infinita ſapientia comprehendente Deum 1. Corinth. 2. *Spiritus omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei. Quis enim hominum ſcit quæ ſunt hominis, niſi Spiritus hominis, qui in ipſo eſt? Ita & quæ Dei ſunt nemo cognouit, niſi ſpiritus Dei. Tertium* ex operationibus ad extra, nam Spiritus ſanctus vna cum Patre & Filio creauit omnia. Nam Geneſ. 1. de omnibus perſonis dicitur, *Faciamus hominem*, & Iob 3. exprimitur Spiritus ſanctus: *Spiritus Dei fecit me.* Sapientiæ 1. (& Spiritus Domini repleuit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia,) &c. Inſuper Spiritus ſanctus viuificat, & reſuſcitat, Rom. 4. ſaluat & iuſtificat, Ioann. 20. & 1. Corinth. 6. & Rom 8. Prædicit futura, Actor. 1 & 2. Petr. 1. & patres miracula virtute ſua. Rom. 15. Matth. 12. & alibi ſepius. Habet ſupremam poteſtatem iudicandi, Ioann. 16. & Eccleſiam gubernandi Actor. 10. 13. 15. 16. & 20. Denique Chriſtus vt homo virtute Spiritus ſancti concipitur, & ſanctificatur, Matth. 1. & Lucæ 1. & Actor. 10. *Vnxit eum Deus Spiritu ſancto, & virtute.* Hebr. 9.

Per

Per Spiritum sanctum semetipsum obtulit. Rom. 4. *Spiritus sanctus suscitauit Christum à mortuis.* Quæ omnia manifestissima esse diuinitatis argumenta, quis vel cuius non videat.

SECTIO II.

An Pater, & Filius diligant se Spiritu sancto.

25. PRior sententia absolute negat eam propositionem, seu locutionem esse veram. Ita Durandus 1. dist. 6. quæst. 2. & dist. 10. quæst. 2. & dist. 27. quæst. 3. Gotfredus Pictauiensis existimans prædictam propositionem retractatam esse tacite ab Augustino, quando suam retractauit: *Pater est sapiens sapientia genita.* Idem sentiunt (nisi sensus propositionis sit, Patrem & Filium diligere se amore, qui sit Spiritus sanctus) Alexander 1. part. quæst. 67. memb. 3. art. 3. Albertus 1. part. quæst. 50. memb. 1. Eam autem locutionem propriam non esse, docent Canariensis hic quæst. 37. art. 2. post 4 conclusionem P. Molina ibidem. §. penult. P. Arriaga disp. 53. sect. 2. num. 13. P. Zuñiga quæst. 37. disp. 12. dub. 4. conclus. 3. Sententia negans Durandus Gotfredus Alexander Albertus Canariensis P. Molina P. Arriaga P. Zuñiga

26. Posterior sententia affirmat Patrem & Filium diligere se Spiritu sancto, non tamquã forma, seu ratione formali diligendi, sed tamquam termino per dilectionem producto. Ita P. Martinus Perez disp. 17. sect. 4. Qui tamen cum concedat Patrem & Filium diligere se Spiritu sancto vt termino per volitionem producto, negat Patrem hoc pacto intelligere se Verbo. Pater vero Vasquez vtramque propositionem ait esse veram disp. 151. per totam videlicet, & Patrem intelligere se Verbo, & Patrem, & Filium diligere se Spiritu sancto. His tamen non obstantibus docet, has propositiones, scilicet, *Pater est intelligens verba, Pater & Filius sunt amantes Spiritu sancto, esse falsas,* atque adeo à prioribus illis diuersas. Id tamẽ expẽdit optime, & Posterior affirmans P. Perez P. Vasquez

impugnat Arriaga citatus à num. 7. ostendens vltimas propositiones æquipollentes esse prioribus, nec minus veras, quam sint illæ.

Personalitas Spiritus sancti non est formaliter amor, seu dilectio

27. Assero primo, Relationem Spiritus sancti non esse formaliter, nec virtualiter amorem, seu dilectionem. Probatur, quia vt disp. 8, posuimus nulla est in Deo intellectio, aut volitio notionalis ab essentiali distincta si autem relatio Spiritus sancti, est ab omni absoluta distincta, esset formaliter, aut virtualiter volitio, non posset esse volitio absoluta, & essentialis: ergo esset notionalis. *Confirmatur*, Relatio verbi non est formaliter cognitio, seu intellectio, sed tantum est terminus per intellectionem productus: ergo neque relatio Spiritus sancti erit formaliter amor, seu dilectio, sed tantum erit terminus per dilectionem productus, Quod enim à Patribus vocetur aliquoties amor propter inopiam verborum, id non præstat, relationem Spiritus sancti esse reipsa & formaliter dilectionem, sed accommmodari illæ nomen dilectionis, eo quod sit terminus per illam productus, non quod dilectio sit.

Pater & Filius non se diligunt Spiritu sancto quoad notionale illius

28. Assero secundo, Patrem & Filium non se diligere Spiritu sancto quoad notionale illius. Probatur, quia Pater & Filius non possunt se diligere illo, quod dilectio non est: notionale autem Spiritus sancti dilectio formaliter non est: ergo neque Pater & Filius poterunt se diligere formaliter Spiritu sancto quoad notionale illius. Confirmatur, ideo Pater non se intelligit Filio, quoad notionale istius, quia relatio Verbi intellectio non est; sed relatio Spiritus sancti dilectio non est: ergo neque Pater, & Filius poterunt se diligere Spiritu sancto quoad notionale illius; eadem enim est vtriusque ratio cognitionis, & amoris ad effectum cognoscentis, & amantis; sicut enim non potest cognosci obiectum illo, quod cognitio non est ita nec amari potest illo, quod amor non est.

Bene vero quoad essentiale

29. Assero tertio. Patrem intelligere se verbo, & Patrem, & Filium diligere se Spiritu sancto, quoad essentiale eorum. Id est, Patrem intelligere se sapientia absoluta per quam Verbum specialiter procedit, tamquam per rationem formalem communicandi, vt dictum est disp. 7. Et Patrem & Filium diligere

diligere se amore absoluto per quem Spiritus sanctus specialiter procedit, tamquam rationem formalem communicandi, vt ibidem diximus. Probatur quia per intellectionem absolutam ex qua procedit Verbum, vere & formaliter cognoscuntur omnia necessaria, atque adeo Pater intelligit se ipsum: ergo intelligit se ipsum verbo quoad essentiale illius; imo & omnes Personæ se, & alias, & creaturas possibiles hoc pacto intelligunt Verbo. Pariter per amorem absolutum, ex quo procedit Spiritus, vere, & formaliter diliguntur omnia necessaria; atque adeo Pater, & Filius diligunt se Spiritu sancto, quoad essentiale illius; immo & omnes Personæ se & alias, & creaturas possibiles hoc pacto diligunt Spiritu.

30. Assero quarto absolute, & sine vllo addito, Patrem non se intelligere Verbo. Hæc conclusio est Anselmi in Menolog. cap 85. Augustini 1. Retract. cap. 26. & lib. 6 de Trinitate cap. 2. retractantis locutionem lib, 83. quæstionum, quæst, 23. scilicet, *Pater est sapiens sapientia genita.* S. Thomæ quæst. 37. art. 2 ad 1. aientis. *Ad primum ergo dicendum, quod esse sapientem, & intelligentem non sumitur in diuinis, nisi essentialiter; & ideo non potest dici, quod Pater sit sapiens, vel intelligens Filio.* Eandem se ntentiam tenent communiter Theologi cum Magistro 1. dist. 5. & 32. Et ratio est, quia illa locutio absolute prolata denotat, relationem verbi esse sapientiam notionalem ab essentiali distinctam, per eamque Patrem denominari sapientem; quod cum falsum sit, idcirco absolute falsum est, Patrem se intelligere Verbo; quia impossibile est, Patrem intelligere illo, quod intellectio non est, etiam si sit terminus per intellectionem productus à Patre.

Absolute, & sine addito Pater non intelligit Verbo.

31. Assero quinto, Patrem, & Filium absolute, & sine vllo addito, non se diligere Spiritu sancto. Est contra P. Martinum Perez citatum, & contra P. Ruiz disp. 74. sect. 2. Probatur tamen efficaciter ad hominem contra illos. Nam hæc propositio, *Pater se intelligit Verbo*, falsa est: ergo etiam ista altera, *Patrr & Filius diligunt se Spiritu sancto.* Antecedens conceditur ab aduersariis. Consequentia probatur, ideo prior illa propositio est falsa, quia denotat notionale Filij esse sapientiam notionalem ab essentia. si distinctam, & re vera talis non

Nec Pater & Filius diligunt se Spiritu sancto

est: similiter autem hæc propositio; Pater, & Filius diligunt se Spiritu sancto, denotat, notionale Spiritus esse dilectionem notionalem ab essentiali distinctam, & reuera talis non est, sed tantum terminus per dilectionem productus, sicut Verbum vt terminus per intellectionem productus: ergo.

32. Dices primo, in hac propositione: *Pater & Filius diligunt se Spiritu sancto*, amorem sumi notionaliter pro actione productiua Spiritus sancti, ideoque verum esse, quia diligere idem valet ac producere. *Contra primo*, quia sic diligere notionaliter sumptum, idem esset, ac producere Spiritum: ergo etiam intelligere nationaliter erit producere Verbum: ergo sicut Pater & Filius diligunt se Spiritu sancto, pariter etiam Pater se intelliget Verbo. *Secundò*, quis non diligit per actionem, quæ non est productiua dilectionis, sicut sol non calefacit per actionem, quæ non est productiua caloris, actio autem productiua Spiritus sancti non est productiua dilectionis, ergo sicut actio productiua Verbi, quia non est productio cognitionis, non potest denominare Patrem, cognoscentem se Verbo, ita neque actio productiua Spiritus sancti, cum non sit productio dilectionis, denominare poterit Patrem & Filium diligentes se Spiritu sancto.

33. Dices secundo, notionale Spiritus sancti propter inopiam verborum dici amorem, atque adeo eius actionem, dici etiam posse productiuam amoris, & inde dici etiam posse, Patrem & Filium diligere se Spiritu sancto, quamuis dici non possit Pater intelligens se Verbo, quia habemus nomen proprium, quo notionale secundæ Personæ declaretur. *Contra*, quia hæc responsio plane fatetur, locutionem illam accommodatitiam esse, non strictam, & propriam, vnde sicut verum re ipsa non est, notionale Spiritus sancti esse formaliter dilectionem, ita neque verum est, Patrem & Filium diligere se Spiritu sancto. Addo tantam non esse Verborum inopiam, vt notionale tertiæ personæ, non satis declaretur nomine Spiritus sancti, Personalitatis procedentis per amorem, subsistentiæ, & hypostasis generis volitiui, &c.

S. Thomas obiectus, & expositus.

34. Obiicies primo, hanc nostram sententiam apertissimè esse

esse contra Sanctum Thomam à nobis adductum. Nam quæst. illa 37. artic. 2. corpore, expresse docet, amorem sumi notionaliter, & hoc pacto Patrem & Filium diligere se Spiritu sancto, his verbis, (Secundum vero quod notionaliter sumitur, sic diligere nihil est aliud, quam spirare amorem: sicut dicere est producere Verbum, & florere est producere flores. Sicut ergo dicitur arbor florens floribus, ita dicitur Pater dicens Verbo, vel Filio, se, & creaturam. Et Pater, & Filius dicuntur diligentes Spiritu sancto, vel amore procedente, se, & nos.) Insuper ad 1. postquam dixit, esse sapientem, & intelligentem non sumi nisi essentialiter, ac proinde dici non posse, quod Pater sit sapiens, vel intelligens Filio, subdit. (Sed diligere sumitur, non solum essentialiter, sed etiam notionaliter. Et secundum hoc possumus dicere, quod Pater, & Filius diligunt se Spiritu sancto.) Quibus clarissime nostræ sententiæ contrariatur.

35. Respondeo, S. Thomam permittere eam locutionem, non tanquam propriam, sed per quandam analogiam, & metaphoram longissime petitam; quatenus videlicet diligere non est re ipsa diligere, sed spirare, seu producere amorem, amorem inquam, non qui re ipsa talis sit, sed qui appelletur amor, eo quod sit terminus per amorem productus, quæ omnia adminicula conuincunt eam propositionem absolute, & proprie sumptam falsam esse, sicut hæc alia, ***Pater intelligit se Verbo***, absolute falsa est; quamuis illis adminiculis adiecta doctrinæ sequela vera asserenda videatur, atque adeo in re, idem de vtraque propositione sentire S. Thomam videtur certum. Dum ergo vnam negat, & alteram concedit, non in eodem sensu vsurpat vtramque, sed in diuerso vnam, scilicet proprie, qua ratione Pater non se intelligit Filio, & in diuerso alteram, scilicet improprie, qua ratione Pater & Filius dicuntur diligere se Spiritu sancto. Si autem vtraque propositio in eodem sensu sumatur, vel vtraque concedenda est, vel neganda.

36. Quod autem Sanctus Thomas amplius non intendat, quam quod à nobis expositum est, inde patet, quia non amplius probat. Nam relatio Spiritus sancti non est formaliter amor, sicut nec relatio Verbi est formaliter cognitio:

ergo spirare non est proprie producere amorem, sicut nec generare, est producere cognitionem. Sicut ergo valde improprie diceretur, arborem florere, productione rei, quæ flos non esset, & solem calefacere productione rei, quæ calor non esset; ita Pater & Filius valde impropriè dicentur diligere se productione rei, quæ amor non est. Præterea verum non esset, Patrem se dicere verbo, quæ est confirmatio S. Thomæ si notionale, seu relatio verbi non esset formaliter dictio: notionale autem seu relatio Spiritus sancti non est formaliter amor: verum non erit Patrem & Filium diligere se Spiritu sancto.

Alia obiectio Pater dicit se Verbo, ergo & vterque diligit se Spiritu sancto.

37. Obiicies secundo. Pater dicit se verbo, & omnia necessaria, & etiam creaturas possibiles: ergo etiam Pater, & Filius diligunt se Spiritu sancto & omnia necessaria, & etiam creaturas possibiles. *Respondeo*, concesso antecedente, negans consequentiam. Disparitas est aperta, nam relatio verbi est formaliter dictio omnium necessariorum, & creaturarum possibilium, ideoque Pater productione verbi omnia illa dicit; relatio vero Spiritus sancti non est formaliter amor, sicut nec relatio Verbi cognitio; vnde sicut Pater non potest quidquam Verbo cognoscere, ita nec Pater & Filius possunt quidquam Spiritu sancto diligere.

Augustinus declaratus.

38. Obiicies tertio, S. Augustinum 5. de Trinit. cap. 6 aientem. *Spiritus sanctus est quo genitus à generante diligitur suumque diligit generatorem*: ergo Pater & Filius diligunt se Spiritu sancto. *Respondeo*, Augustinum intelligendum de Spiritu sancto, non quoad notionale, sed quoad amorem essentialem, quo pacto non negauit Augustinus, Patrem intelligere se verbo, scilicet quoad intellectionem essentialem, sed tantum eam propositionem retractauit, quoad notionale Verbi, quia hoc cognitio formaliter non est, sicut nec relatio Spiritus sancti amor.

Corolarium ex dictis.

39 Ex dictis colligo, Patrem non esse potentem potentia genita, Quia id denotat, relationem Filij esse formaliter potentiam productiuam, quod falsum est. Similiter colligo, Patrem & Filium non esse sanctos sanctitate spirata, quia id similiter denotat, relationem Spiritus sancti esse formaliter sanctitatem diuinam, quod etiam falsum est, cum non sit radix totius

tius rectitudinis diuinæ, in qua commmuniter sanctitas constitui solet. Appropriatur tamen sanctitas Spiritui sancto, eo quod specialiter ipse per amorem purissimum procedat, tamquam rationem formalem communicandi, in quo amore potissimum sanctitas relucet, si in eo formaliter non consistat.

SECTIO IV.

An spiritus sanctus ratione proprietatis personalis sit proprie donum.

40. NEgauit absolute Durandus, cuius sententiam redarguit Aureolus dist. 18. art. 1. Et Carthusianus quæst. 2. vocans illam multipliciter erroneam sibique repugnantem, & implicantem. Nec mirum addit P. Ruiz disp. 75. sect. 1. num. 2. cum procedat ex alio errore magis aperto negandi, processiones diuinas esse operationes intellectionis, & volitionis. Affirmant cæteri Theologi cum sancto Thoma quæst. 38. art. 2. Et 1. dist, 18. Nihilominus tamen quamuis in asserto conueniant, in eo explicando magna est sententiarum varietas & multum de voce disputatur. Et forte tota diuersitas originem trahit ab explicatione doni, & conditionibus ad illud requisitis.

Sententia negatiua Durandi.

Affirmatiua omnium.

41. Primo igitur sumitur donum pro quacunque re, quæ alteri liberali, & gratuita voluntate donari potest. Hoc pacto cuncta creata obtinent rationem doni, quia omnia gratuito alteri personæ rationali donari possunt, imo quis potest se ipsum alteri liberaliter donare. Qua ratione omnes diuinæ personæ dici possunt donum quia liberaliter possunt creaturis rationalibus se donare per gratiam, iuxta illud Christi Ioan. 14. *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*: Et hac acceptione donum, proprium non est Spiritus sancti. Ita p. Vasquez disp. 155. cap. 2. P. Arriaga disp. 53. sect. 3. num. 14. P. Martinus Perez disp. 17. sect. vlt. num. 4. & alij plures. Vnde patet

Prima, & latissima acceptio doni

patet aliud desiderari ad rationem doni, vt propria solius Spiritus sancti sit. In quo declarando stat tota præsens difficultas.

42. Nec sufficere distinctionem doni à donante, videtur clarum, nam Filius dici potest donum Patris, Iuxta illud Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret.* Et Roman. 8. *Quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit.* Et Isaiæ 9. *Filius datus est nobis.* Sic Basilius lib. vnico de Spiritu sancto, rationem doni tribuit cap. 24. etiam Filio. Et similiter Ambrosius lib 1. de Spiritu sancto. cap. 5. Ergo si ratio doni nihil amplius dicat, quam rem, quæ gratuito & liberaliter donari potest distinctionéque eius à donante, cum non minus Filius distinguatur à Patre, quam Spiritus sanctus à Patre, & Filio, non minus donum erit: ergo ad rationem doni propriam solius Spiritus sancti, aliquid amplius desiderabitur, vltra rem, quæ gratuito, & liberaliter donari potest, distinctionemque illius à donante.

Donum strictius quid sit

43. Assero primo, Donum illud esse propriùs, & strictius tale quod magis, & magis proprie procedit à voluntate donantis. Sic enim donum conformatur donationi, quæ propriissime est immediate à voluntate donantis tamquam à prima, & proxima radice illius. Quare in creatis dona quæ non procedunt à voluntate donantis vt aurum, equus, adamas &c. non sunt ita proprie dona, ac illa quæ procedunt. Idcirco omnia creata respectu Dei sunt magis proprie dona, quia sunt à voluntate diuina, à qua simul est donatio liberalis, & gratuita. Donum ergo strictissime & propriissime sumptum illud tantum erit, quod procedit ex eadem radice proxima, à qua oritur donatio liberalis, & gratuita, scilicet, voluntate donantis. Hinc.

Solus Spiritus sanctus est propriissime donum

44. Assero secundo, ex diuinis Personis solum Spiritum sanctum esse propriissime donum. Ratio est, quia solus Spiritus sanctus procedit per voluntatem, vt dictum est disp. 7. & 10. Atque adeo solus Spiritus sanctus procedit ab eadem radice, à qua oritur donatio liberalis & gratuita: ergo solus Spiritus sanctus erit propriissime donum. Vnde licet per dona gratiæ omnes personæ creaturæ rationali donentur aliquo pacto, strictissime

strictissime tamen solus Spiritus sanctus dicitur donatus, quia solus ille procedit ab eadem radice voluntatis, à qua oritur donatio, & inde dicitur Spiritus sanctus specialiter, & quoad proprietatem personalem strictissimum, & propriissimum donum, etiam supra omnia creata, quia ista oriuntur à voluntate diuina vel per omnipotentiam ab ea distinctam, vel per actionem transeuntem, Spiritus vero sanctus procedit à voluntate diuina, vt voluntas est, & immanenti processione.

45. Assero tertio, Spiritum sanctum non habere rationem doni respectu donationis ad intra, sed tantum ad extra, quatenus per dona gratiæ creaturis rationalibus donari potest. Ratio est, quia donum tale non est, nisi respectu donationis gratuitæ & liberalis: ad intra autem nulla est possibilis donatio liberalis & gratuita, cum omnis processio necessaria sit respectu sui principij. Ad extra vero possibilis est, & de facto existens donatio gratuita & liberalis, elargitione donorum: ergo. Nec refert Spiritum sanctum non procedere ab amore libero, quia ad rationem doni non opus est, quod à donatione procedat, sed necesse tantum, vt procedat ab eadem radice à qua oritur donatio. Vnde colligo contra Arriagam, Spiritum sanctum futurum propriissime donum, etiamsi ex amore creaturarum possibilium non procederet.

Eam rationem doni habet non ad intra, sed ad extra.

46. Dices, donatio gratuita & liberalis est communis omnibus personis, est enim vel volitio libera diuina, vel productio creaturarum: ergo etiam ratio doni communis est, vel saltem ratio donantis, cum omnium Personarum sit donatio. *Respond.* hæc vera esse de donatione minus stricta, qualiter diximus omnes diuinas Personas esse donum; non vero de donatione strictissimo; hæc enim vltra liberum, & commune omnibus Personis, dicit principium processionis per voluntatem; cumque solus Pater & Filius sint principium huiusmodi processionis, soli illi sunt donantes Spiritum sanctum, & solus Spiritus sanctus donum est.

LLl DISPVT.



DISPVTATIO XIX.

De principio Spiritus ſancti, ſcilicet Spiratore.

1. PERSONAM Spiritus ſancti habere aliquod principium ſui productiuum, certum omnino eſt, cum ſolus Pater ſit ingenitus ſeu improductus, & de ratione perſonæ productæ ſit habere principium ſui productiuum. Difficultas ergo præſens eſt: Quid & quale ſit hoc principium, An ſit ſolus Pater, vel etiam Filius, an etiam Spiritus ſanctus immediate ab vtroque procedat, vel mediate ab vno, & immediate ab altero, An inſuper Pater, & Filius, vnicum ſint, vel multiplex principium Spiritus ſancti, An præterea vnicus ſit tantum Spirator, vel plures per modum vnius, An denique ſparatio actiua vnica ſit Patri cum Filio communis.

SECTIO I.

An Spiritus ſanctus à Patre, Filioque procedat.

Spiritus ſanctus procedit à Patre.

2. SPiritum ſanctum à Patre procedere concedunt omnes, qui eius diuinitatem profitentur. Ex illo Chriſti Ioan. 15. *Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit.* Eandem veritatem fatentur etiam hæretici negantes, Spiritum à Filio procedere

dere. Quare potissima huius sectionis difficultas erit circa processionem Spiritus à Filio. Quæ controuersia grauissima, & celeberrima fuit inter Patres Græcos & Latinos, negantibus illis Spiritum à Filio procedere, & affirmantibus istis. Et litis denique composita fuit in Concilio Florentino, in cuius litteris vnionis Eugenius Papa ita decernit. *In nomine igitur Sanctæ Trinitatis; Patris, Filij, & Spiritus, sancti, hoc sacro vniuersali approbante Florentino Concilio, difinimus; vt hac fidei veritas ab omnibus Christianis credatur; & suscipiatur sicque omes profiteantur, quia Spiritus S. ex Patre, & Filio aternaliter est, & essentiam suam, suumque esse subsistens habet ex Patre simul & Filio, & ex vtroque aternaliter tamquam ab vno principio, & vnica spiratione procedit.* Concilium Florentinũ.

3. Quare asserendum est, Spiritum sanctum non à solo Patre, sed à Filio etiam procedere. Probatur primo ex sacris litteris. Nam Ioan. 16. ait Christus de Spiritu sancto. *Ille me clarificabit quia de meo accipiet.* Ergo sicut Filius procedit à Patre accipiendo, quæ Patris sunt; ita Spiritus procedet à Filio accipiendo, quæ Filij sunt. Sic Epiphanius in Ancorato ad præsens testimonium ait. *Spiritus sanctus, qui ex Patre, & Filio.* Cyrillus Alexandrinus lib. 11. in Ioan. cap. 1. *de meo accipiet*, quoniam, *à Patre per Filium naturaliter procedit.* Nec refert, Christum eo testimonio vsum verbo de futuro, scilicet *accipiet*, & non de præsenti, aut præterito. Tum quia vt optime obseruat Augustinus tract. 99. in Ioan. *In eo quod sempiternum est, sine initio, & sine fine, cuius liber temporis verbum ponatur, siue præteriti, siue præsentis, aut futuri, non mendaciter ponitur.* Tum etiam, quia vna cum processione Spiritus, explicandam susceperat Christus missionem illius post ascensionem futuram, cui Verbum de futuro congruebat. Procedit etiã à Filio Epiphanius Cyrillus Augustinus

4. Idem insuper firmatur missione Spiritus à Filio. Ioan. 15. *Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre* Et cap. 16. *Si non abiero Paracletus non veniet ad vos: si autem abiero mittam eum ad vos.* Missio autem inter diuinas Personas contingere non potest delegatione potestatis, præcepto, aut consilio, qualiter mittuntur creaturæ; nam ea omnia superioritatem arguunt Personæ mittentis respectu missæ: ergo per- Assumptum ex missione Spiritus à Filio stabilitũ.

sona diuina non alia ratione mitti potest ab alia, nisi quatenus ab illa procedit: ergo cum Spiritus sanctus mittatur à Filio, procedet ab illo. Sic Gregorius Magnus homil. 26. in Euangel. *Spiritus sancti missio est ipsa processio, quia de Patre procedit, & Filio. Sicut itaque Spiritus mitti dicitur, quia procedit, ita & Filius.* Nec obstat, quod Christus dicatur ab Spiritu sancto missus, Isaiæ 48. *Et nunc Dominus misit me, & Spiritus eius.* Et Isaiæ 61. & Lucæ 4. *Spiritus Domini super me, propter quod vnxit me, Euangelizare pauperibus misit me.* Nam ibi sermo tantum est de missione Christi in quantum homo est.

Quomodo dicatur Christus à Spiritu sancto missus.

5. Idem denique stabilitur testimoniis sacris, in quibus Spiritus sanctus dicitur, Spiritus Filij. Roman. 8. *Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est eius.* Et ad Galat. 4. *Misit Deus Spiritum Filij sui in corda vestra:* Vnde Augustinus tract. 99. in Ioan. probat Spiritum sanctum à Filio procedere. Nam eo quod secunda Persona dicatur Filius Patris, procedit à Patre, & etiam tertia, eo quod dicatur Spiritus Patris: ergo cum similiter dicatur Spiritus Filij procedet à Filio. Si enim huiusmodi loquendi modus non denotaret processionem, sicut tertia Persona bene dicitur, Spiritus Filij, ita secunda bene diceretur Filius Spiritus sancti, quod tamen dici non potest. Ita cum Concilio Alexan. sentit Cyrillus epist. ad Nestorium, aiens. *Spiritus veritatis nominatur; Christus autem veritas est: sed & perinde ab illo, atque à Deo Patre procedit.*

Processio Spiritus à Filio firmata concilis Lateranense

6. Probatur secundo conclussio ex Conciliis. Innumera pene sunt, quæ processionem Spiritus à Filio docuerunt, quæ videri possunt apud P. Ruiz disp. 67. sect. 4. Tria proferam, in quibus ea veritas præsentibus, & consentientibus Græcis firmata fuit. *Primum* est Concilium Lateranense sub Innocentio tertio, in quo præsentibus, & consentientibus Græcis, vt patet ex illius cap. 4. definitur cap. 1. Spiritum sanctum à Patre, Filioque procedere. vnde in Cap. *firmiter* de summa Trinit. & fide Catholica, decernitur. *Filius à Patre solo, ac Spiritus sanctus pariter ab vtroque. Secundum* est, Conciliũ Lugdunense Generale, vt habetur c. *fideli* quod est vnicum de summa Trinit. in sexto. In quo Græcis præsentibus, & consentientibus cantatum

Lugdunẽse.

est

est symbolum ter græce,terque latine cum explicatione illa, *Ex Patre Filioque procedit*, *Tertium* est, Concilium Florentinum Generale in quo post longas, & exactas disputationes inter Patres Græcos & Latinos, de consensu omnium eadem Veritas stabilita est, vt diximus initio sectionis. Ex quibus omnibus constat de fide tenendam processionem Spiritus à Filio. Florentinũ

7. Obiicies primo illud Ioan, 15. *Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit.* Vbi cum Christus adeo clare,& aperte tradiderit processionem Spiritus à Patre, nec addiderit à Filio; eo ipso significare videtur, Spiritum à solo Patre, & non à Filio procedere. Hoc argumentum, si efficax esset, conuinceret, iuxta illud Matth. 16. *Caro, & sanguis non reuelabit tibi, sed Pater meus.* Et Ioan. 6, *Nisi Pater, qui mittit me traxerit eum.* Excludendos esse à causalitate reuelationis diuinitatis Christi, & auocationem per gratiam, Filium, & Spiritum sanctum, cum solius Patris expressa mentio fiat à Chisto. *Respondeo* igitur, Christum Dominum sufficienter expresisse processionem Spiritus à Filio, tum alibi, quod sufficiens est, vt eo testimonio non excludatur Filius, nam pro more suo cuncta Christus referebat ad Patrem, etiam quæ ipsi communia erant. Tum etiam ibi processio Spiritus à Filio sufficienter expressa est verbis illis, *quem ego mittam vobis*, vt vidimus. Et forte ne quis inde existimaret, Spiritum à solo Filio procedere, addita est expresse processio illius à Patre. Aliqua scripturæ testimonia declarata.

8. Obiicies secundo, Concilium Ephesinum, quod tacite videtur approbasse Nestorianorum doctrinam, qua parte asserebant, Spiritum à Filio non procedere. Nam symbolum Nestorianorum, in quo id expresse continebatur lectum fuit coram Patribus concilij, qui nihil contradixerunt circa illam partem, qua negabatur processio Spiritus à Filio *Respondeo* Concilium noluisse de hac quæstione disputare, quia propter aliã conuenerat, scilicet ad stabiliendã vnicã in Christo Personã. Id autem non est tacite approbare,sed intentæ causæ locũ dare. Concilij Ephesini mens.

SECTO II.

An si Spiritus sanctus non procederet à Filio distingueretur ab illo.

11. Controuersia est, quidquid alij sentiant, An Spiritus sanctus, qui de facto à Patre Filioque procedit, distingueretur à Filio, etiam si non ab illo, sed à solo Patre prodiret. Quamuis autem hypostasis impossibilis sit in Spiritu sancto, qui de facto est; id tamen nec reddit inutilem, nec fatuam præsentem controuersiam. Ratio est, nam quoties in aliquo ente plures cōceptus reperiūtur ratione nostra distincti, qui constituere aut distinguere possunt; ad dirimendum, quisnam eorum constituat, vel distinguat, fieri potest hypothesis, quantumuis impossibilis. An scilicet destructo vno, & altero manente, solus conceptus remanens præstaret, constituere, aut distinguere rem. Sic optime dicimus, destructo per impossibile solo visibili, & manente rationali, permansurum hominem, quia huiusmodi suppositio destructiua non est totius subiecti, de cuius constitutiuo inquiritur, esse partis. Aliter contingeret, si quis inquireret, An si homo, non esset homo, esset rationalis, nam suppositio est destructiua totius subiecti, ideoque impertinens. In nostro autem casu Spiritus à Patre simul, Filioque procedit: ad dirimendum igitur, An processio à Filio, sit ratio distinguendi Spiritum ab illo, recte supponi potest, an Spiritus sanctus distingueretur, à Filio, etiam si non ab illo, sed à solo Patre procederet.

12. Prior sententia affirmat distinguendum realiter Spiritum à Filio, etiam si non ab illo, sed à solo Patre procederet. Ita Henricus quodlib. 5. quæst.9. Bachon.1. dist. 13. quæst. 1. Scotus 1. sentent. dist.11, quæst.2. Inclinat Carthusianus ibidem dist.11. quæst.2. Aureolus in hoc puncto singularis docet, quod si Spiritus sanctus non procederet à Filio, Filius tunc non maneret in ratione Personæ, quam existimat partialiter

Sententia affirmans. Henricus. Bachon.

Scotus. Carthusian. Aureolus.

liter constitui per spirationem actiuam, sed tantum in ratione termini per generationem producti; Spiritus vero sanctus maneret in ratione Personæ distinctæ realiter ab illo termino genito. Ita docet 1. dist. 11. art. 3. præsertim conclus. 4.

Sententia negans. S. Thomas. Caietanus. Canariensis. Durandus. Ægidius. Heruæus. Argentinas. Capreolus. Alexander. Bonauent. P. Soarius. P. Molina. P. Vasquez. Bellarmin. P. Valentia. P. Ruiz. P. Zuñiga. P. Arriaga. P. Perez.

13. Posterior sententia negat, Spiritum sanctum distinguendum realiter à Filio, si ab illo non procederet. Ita expresse S. Thomas quæst. [illegible] artic. 2. & lib. 4. contra gentes cap. 24. & de potentia quæst. 10. artic. 5. & opusculo 1. contra errores Græcorum cap. 32. Caietanus quæst. 36. artic. 2. vbi etiam Canariensis. Durandus 1. dist. 11. quæst. 2. Vbi etiam Ægidius art. 1. quæst. 3. & Heruæus quæst. 1. & Argentinas quæst. 2. artic. 2. & Capreolus quæst. 1. artic. 1. Ferrariensis 4. contra gentes cap. 24. Alexander 1. part. quæst. 43. membr. 4. Albertus 1. part. q. 41. membr. 3. S. Bonauentura 1. dist. 11. artic. 1. quæst. 1. Eandem sententiam tenent etiam doctores nostri. P. Soarius lib. 10. de Trinit. cap. 2. P. Molina quæst. 36. artic. 2. P. Vasquez disput. 147. cap. 4. Cardinalis Belarminus tom 1. lib. 2. de Christo cap. 26. P. Valentia quæst. 10. de Trinitat. puncto 3. P. Ruiz disp. 68. sect. 4. P. Zuñiga q. 36. disp. 11. dub. 3. membr. 1. P. Arriaga disp. 53. de Trinit. sect. 4. P. Martinus Perez disp. 16. sect. 2. num. 6. & plures alij.

Si Spiritus sanctus non procederet à Filio, nec distingueretur ab illo

14. Assero Spiritum sanctum non distinguendum realiter à Filio, si ab illo non procederet. Ratio huius asserti sumitur ex illo celebri Theologorum principio: Nam in diuinis. ***Omnia sunt vnum, vbi non obuiat relationis oppositio***, videlicet producentis, & producti; casu autem quo Spiritus non procederet à Filio, ne esset inter illos oppositio relatiua producentis, & producti: ergo Spiritus & Filius distincti realiter non essent, sed vnum, & idem. Maior, quæ sola probationem desiderare poterat, authoritate omnium Græcorum, Latinorúmque Patrum fundata est, testante Ioanne Theologo in Concilio Florentino sess. 18. §. *Dixi equidem* his Verbis. ***Sola relatio apud omnes Græcos, & Latinos doctores diuina processione personas multiplicat***: ergo non stante processione Spiritus à Filio, neque staret distinctio personarum inter ipsos. A quo fundamento, vt pote fere omnium Theologorum calculis firmato, æquum non est recedere absque vrgentissima necessitate, qualis

qualis non apparet in præsenti, vt constabit ex obiectionum solutione.

15. Probari solet à pluribus secundo conclusio cum P. Vasquio. Dantur de facto in Patre duæ processiones actiuæ, vel vt alij loquuntur duæ actiones, vel vt alij duæ virtutes productiuæ disparatæ, videlicet Paternitas, & spiratio actiua, quæ sunt idem realiter inter se: ergo similiter casu quo Spiritus à Filio non procederet, darentur duæ processiones passiuæ, seu duo termini producti disparati, qui realiter idem essent inter se, videlicet Filius & Spiritus sanctus.

16. Hæc tamen ratio nisi à præcedenti, iuuetur, nihil euincit, arguitur enim ab identitate principium ad identitatem, terminorum, quæ nihil probat, nam in creatis ab vno realiter indiuisibili principio oriuntur effectus realiter distincti disparati. Quod si dicas id possibile in diuinis non esse, vnde id probabis, nisi ad commune illud fundamentum recurras. Quod si iterum instare tentes, ideo Paternitatem, & spirationem actiuam non distingui realiter in diuinis, quia inter ipsas nulla stat processio: ergo Filiatio, & Spiratio passiua distinguerentur, cum nulla inter ipsas staret processio. Bene quidem, cæterum tota ratio distinctionis realis in diuinis sumitur à processione, quod est commune fundamentum.

17 Dices cum Scotistis, Spiritum sanctum in eo euentu distinguendum realiter à Filio, non oppositione relatiua producentis, & producti, quæ nulla tunc esset inter ipsos, sed quia haberent relationes inter se disparatas, & in creatis vna relatio nõ minus distinguitur realiter ab alia relatione sibi opposita, quam ab altera, cui non opponitur, & quæ mutuo inter se disparate se habent, vt patet in duplici relatione similitudinis, æqualitatis &c. Scoti respõsio de distinctione disparata.

18. Contra, quia, inde fieret, Paternitatem & Spirationẽ actiuam distingui realiter de facto, non oppositione relatiua producentis, & producti, sed distinctione relationis disparatæ, cum in creatis non minus distinguantur inter se relationes oppositæ, quam disparatæ. Quod si dicas relationem Spiratoris personalem formaliter non esse, ideoque à Paternitate non distingui realiter distinctione relationis disparatæ,

quod aliter contingeret in relatione Filij & Spiritus sancti; nam formaliter personales essent, nulla stante inter ipsos processione. Non soluit, nam in creatis etiam si relationes disparatæ personales non sint, realiter distinguntur: cur non ergo in diuinis? sane extra oppositionem relatiuam, nulla in diuinis superest reddenda ratio. Smiliter etiam fieret, absoluta & relatiua distingui in diuinis distinctione disparata, sicut distinguntur in creatis.

S. Spiritus non procederet à Filio virtualiter tantum distingueretur ab illo.

19. Assero secundo, casu quo Spiritus non procederet à Filio, Filium & Spiritum sanctum virtualiter tantum distinguendos inter se. Probatur, quia illa distinguntur virtualiter in diuinis, quæ cum identitate reali componunt prædicata contradictoria: ita se haberent Filius, & Spiritus sanctus: ergo, Minor probatur, quia Filius tunc procederet à Patre per intellectionem, & non per volitionem, è contra vero Spiritus sanctus procederet à patre per volitionem, & non per intellectionem; cum tamen Filius & Spiritus sanctus essent realiter idem: ergo Filius, & Spiritus sanctus componerent cum identitate reali prædicata contradictoria; qualia sine dubio sunt, procedere Filium per intellectionem, & non procedere Spiritum per illam, & Spiritum procedere per volitionem, & Filium non procedere per illam.

20. Nec inde inferre licet, Filium & Spiritum sanctum tunc realiter distinguendos, eo quod Filius procederet realiter & formaliter per intellectionem, & non ita procederet Spiritus sanctus, sed per solam volitionem. Nam huiusmodi prædicata non sunt magis contradictoria, quam produci realiter, & non produci, communicari, & non communicari: sicut ergo produci realiter Filiationem, & non produci essentiam, ex defectu processionis inter ipsas, solam arguunt distinctionem virtualem; idemque est de communicatione essentiæ, & incommunicabilitate Paternitatis; idem pariter dicendum existimamus de Filio & Spiritu sancto, nulla stante inter ipsos processione; quia præcisa prædicata contradictoria in diuinis non sufficiunt distinctioni reali, vt in adhibitis exemplis apparet, & in aliis rem cuique facile erit comprobare. Quare licet tunc Filius esset realiter genitus, & talis non esset Spiritus

sanctus,

sanctus, sed tantummodo procedens, non inde plus fieret quam virtualiter distingui, sicut non plus fit, eo quod essentia realiter communicetur, & non communicetur Paternitas, nec eo quod producatur Filiatio, & non essentia.

21. Sed cum P. Arriaga, nullam esse necessitatem admittendi distinctionem virtualem inter Filium, & Spiritum sanctum; quia tum nulla prædicata contradictoria conuenirent Filio, quæ non etiam Spiritui sancto competerent. Nam tunc Spiritus sanctus esset Filius realiter, & Filius esset Spiritus: ergo Filius procederet per volitionem realiter, & Spiritus per intellectionem: Idemque quod de Filio & Spiritu sancto, de Filiatione, & spiratione passiua dicendum, videlicet, vtramque esse realiter, tam per intellectionem, quam volitionem.

22. Contra tamen, quia præsens controuersia non excludit diuersum modum procedendi Filij, & Spiritus sancti, illius quidem per solam intellectionem, istius vero per solam volitionem; sed tantum inquirit, an diuersi illi modi procedendi, cessante inter ipsos processione, essent realiter distincti; hoc enim sibi vult; An si Spiritus sanctus, id est, processio per solam volitionem, non esset à Filio procedente per solam intellectionem, distingueretur ab illo: ergo præsens controuersia non excludit dissimilem modum procedendi Spiritus sancti, & Filij, imo supponit illum: ergo Spiritus & Filius essent virtualiter distincti, nam licet vterque procederet à solo Patre, diuersimodo tamen, nam Filius per solam intellectionem, Spiritus vero per solam volitionem procederet. Vnde sola processio Filij, vt distincta virtualiter à processione Spiritus sancti, esset realiter generatio; sicut ex essentia & Filiatione, sola Filiatio, vt virtualiter distincta ab essentia, est realiter producta. Necessitas admittendi eam distinctionem virtualem

23. Dices: ergo processio Filij esset tunc distincta realiter à processione Spiritus, & consequenter etiam personæ procedentes. Probatur consequentia, quia processio Filij esset generatio realiter, & talis non esset processio Spiritus: ergo huiusmodi processiones realiter distinguerentur. Vel saltem generatio, & spiratio passiua realiter distinguerentur, cum generatio de solo Filio, & spiratio de solo Spiritu sancto realiter diceretur. *Respondeo*, negans consequentiam. Ad probationem concesso ante-

MMm 2 cedente

cedente, neganda est consequentia. Quia ea omnia cum sola distinctione virtuali subsistunt, vt patet in essentia & Paternitate, quarum ista est realiter incommunicabilis, non vero illa, cum sola distinctione virtuali, quin inde sequatur, incommunicabilitatem, quæ dicitur realiter de Paternitate sola, & communicabilitatem, quæ dicitur realiter de sola essentia, distingui realiter inter se, eo quod sint prædicata contradictoria, quorum verificatione sola consurgit distinctio virtualis.

SECTIO III.

Soluuntur obiectiones.

Prima obiectio Spiritus distingueretur à Patre etiam si ab illo non procederet, ergo etiam à Filio.

24. Obiicies primo Spiritus sanctus distingueretur realiter à Patre, etiam si proxime, & immediate à solo Filio procederet: ergo similiter distingueretur à Filio, etiam si à solo Patre proxime, & immediate prodiret. *Respondeo*, concesso antecedente, negans consequentiam. Disparitas est, quia etiam si Spiritus proxime, & immediate à solo Filio procederet, adhuc tunc remote, & mediate procederet à Patre, esset enim iste principium reale Filij, idcirco spiritus distingueretur à Patre. Casu vero, quo Spiritus sanctus à *solo* Patre proxime, & immediate prodiret, nulla ratione esset à Filio adhuc mediate, & remote, cum Filius nulla ratione sit principium Patris. Nec inde fit naturam diuinam de facto distinguendam realiter à Filio, eo quod sit principium Paternitatis, immediate producentis Filium quia natura diuina non est principium reale Paternitatis, quod opus erat, sed tantum virtuale, quod non sufficit.

De facto quo distinguantur Filius, & Spiritus sanctus.

25. Obiicies secundo Filius, & Spiritus sanctus nunc distinguntur Filiatione, & Spiratione passiua: cessante autem processione Spiritus à Filio darentur Filiatio, & spiratio passiua: ergo & earum distinctio. *Respondeo*, Filium, & Spiritum sanctum de facto non distingui præcisa Filiatione, & spiratione passiua, sed Filiatione, quæ capax est ad spirãdum, & spiratione passiua, quæ capax est, vt spiretur à Filio; exclusa autem processione Spiritus

à

à Filio, neque in Filiatione esset capacitas ad spirandum, neque in Spiritu S. vt spiraretur à Filio; atque adeo neque distinctio.

26. Instabis, si deficiente in Filio præcisa capacite ad spirandum, deficeret distinctio illius ab Spiritu fieret, Filium de facto constitui formaliter capacitate illa ad spirandum, seu fœcunditate, quam vocant recentiores radicalem: id falsum est, vt vidimus contra authores fœcunditatis: ergo deficiente præcisa capacitate ad spirandum, non difeceret distinctio Spiritus à Filio. Maior probatur quia illo constituitur formaliter res aliqua, quo distinguitur ab aliis, vel saltem illo, quo non distinguitur, constitui formaliter non potest, cum vna eademque sit ratio formalis constitutiua, & distinctiua: ergo si Filius ratione capacitatis ad spirandum distingueretur ab Spiritu S. & non præcisa ratione Filiationis, ea potius capacitate formaliter, quam Filiatione constitueretur. Instantia constituendum esse Filium fœcunditate.

27. Respondeo, Filium in esse Filij non constitui formaliter capacitate spirandi, sed tantum in esse distincti ab Spiritu sancto, quod esse distinctum non est de conceptu formali Filij, sed tantum materiali. Ratio est, quia si per impossibile deficeret sola capacitas spirandi, reliquis manentibus, scilicet processione à Patre per intellectionem, maneret Filius in esse Filij, & sola deficeret distinctio illius ab Spiritu S. atque adeo constituitur formaliter illa, non in esse Filij, sed in esse distincti. Et quãuis in creatis formale constitutiuũ, hoc ipso sit distinctiuũ, id contingit, quia ad distinctionẽ necessaria non est processio, quod si necessaria esset, pariter dicerem constitutiuũ formale hominis, vt tale, non esse distinctiuũ, sed rationẽ processionis. Cũ autẽ in diuinis sola processio sit ratio distinctionis, idcirco constitutiuum formale Filij. qua tale, distinctiuum non est ab Spiritu sancto, sed sola capacitas spirandi, quæ de constitutiuo formali Filij non est, etiam si sit de constitutiuo materiali, imo & virtuali seu obiectiuo, eo quod inter capacitatem spirandi, & Filiationem nulla sit distinctio virtualis seu obiectiua. Filius in esse Filij nõ constituitur capacitate spirandi.

28. Obiicies tertio. De facto datur distinctio realis in diuinis absque oppositione relatiua: ergo etiam in nostro casu, ea oppositione cessante, posset esse distinctio. Cõsequentia legitima est. Obiectio omnium difficilior.

Antecedẽs probatur, nam Paternitas, & Filiatio de facto distinguuntur realiter à Spiratione passiua: nec tamen illi opponuntur relatiue: Ergo. Minor probatur, quia Spiratio tantum actiua opponitur passiuæ: spiratio autem actiua non est Paternitas nec Filiatio, sed relatio vtrique communis, & virtualiter ab illis distincta: ergo Paternitas Filiatio non opponuntur relatiue spirationi passiuæ. *Conf.* Paternitas & Filiatio non opponuntur relatiue immediate spirationi passiuæ, cum id proprium sit Spirationis actiuæ; nec mediate, quia ad id necesse erat, quod Paternitas, & Filiatio immediate opponerentur spirationi actiuæ, quod impossibile est, cum sint idem realiter cum illa: ergo nullo modo opponuntur.

Prima responsio, eaque insufficiens.

29. P. Arriaga disp. 53. sect. 4. subsect. 4. ait, se plures huius argumenti solutiones audiuisse, sed quæ satisfaciat, nullam. Primo ergo respondent aliqui. Ideo Filiationem, idemque est de Paternitate, opponi Spirationi passiuæ, quia est radix virtualis spirationis actiuæ oppositæ passiuæ. Non satisfacit, quia etiam essentia est radix virtualis Paternitatis oppositæ Filiationi, nec tamen essentia opponitur isti: ergo quia Filiatio sit radix virtualis spirationis actiuæ oppositæ passiuæ, non inde opposita erit isti. Imo essentia, vel saltem amor absolutus est radix spirationis actiuæ, nec tamen opponitur passiuæ: ergo conceptus radicis virtualis spirationis actiuæ, non dicit oppositionem cum passiua.

Secunda responsio.

30. Secundo respondent, alij, Filiationem esse subsistentiam Personæ Spiritum sanctum producentis, ideoque ab spiratione passiua distinguendam esse, quia subsistentia Personæ producentis opponitur Personæ productæ.

31. Hoc impugnat Arriaga, quia in Christo subsistentia Dei creantis humanitatem est subsistentia eiusdem humanitatis, sub vna subsistentia Verbi continetur Deus creans, & natura creata: ergo similiter posset sub eadem numero subsistentia Filiationis posses contineri, & spiratio actiua producens, & passiua producta. Firmat, quia in composito substantiali brutorum vnica est subsistentia materiæ, & formæ, & sub eadem subsistentia materia realiter causat formam in genere causæ materialis: ergo etiam in diuinis sub eadem subsistentia posset esse producens, & productum.

32. Hæc

32. Hæc impugnatio nec videtur efficax nec consequenter scripta. Non efficax, quia quod producitur in diuinis non est natura, sed relatio, ideoque producens, & productum non possunt esse sub eadem subsistentia. Deus autem creans,non creat subsistentiam Verbi, sed naturam humanam, vnde quid mirum, si sub vna subsistentia continentur Deus creans, & humanitas creata. Nec videtur consequenter scripsa. Nam si ex eo quod in composito substantiali brutorum vna sit subsistentia materiæ & formæ, & sub eadem subsistentia materia realiter causet formam, recte deduceretur, etiam in diuinis sub eadem subsistentia posse esse producens, & productum: ergo cum ancedens Arriagæ sit, vel non sequitur consequentia, vel admitenda est ab illo, si legitima sit, vnde consequens non erit eius responsio, asserens, ideo Filiationem distinctam esse ab spiratione passiua, quia est principium quod; nam etiam materia sub eadem subsistentia est principium quod formæ in genere causæ materialis: ergo etiam in diuinis sub eadem subsistentia principium quod producens, & terminus productus.

33. Tertio respondent alij cum P. Vasquio disp. 148. cap. 8. Ideo Filiationem opponi operationi passiuæ, quia coniuncta est Personæ producenti,non vtcunque, sed vt quid proprium illius, videlicet vt personalitas Personæ producentis. Impugnat Arriaga. quia hæc solutio manifeste petit principium. Nam obiectio contendit Personalitatem Filij, seu Personæ producentis non esse quid proprium illius, sed commune etiam Spiritui sancto. Cæterum si id contendit obiectio: ergo respondens Arriaga ideo Filiationem communem non esse Spiritui sancto, quia est principium quod illius, petit etiam principium, nam similiter obiectio contendat, producens vt quod non esse quid proprium Filij, sed commune etiam Spiritui sancto. Obiectio ergo non intendit, personalitatem producentis esse communem cum producto; sed Filiationem futuram communem Spiritui sancto, eo quod non habeat oppositionem relatiuam producentis cum illo. Cui bene respondetur,habere huiusmodi oppositionem,quia est quid proprium,id est personalitas Personæ, quæ producit Spiritum S. Responsio P.Vasquij.

34. Respon

Responde-tur argumento.

34. Respondeo ergo cum duabus præcedentibus sententiis, quæ solis Verbis discrepare videntur. Filiationem, idemque est de Paternitate, ideo opponi relatiue immediate spirationi passiuæ, quia licet virtualiter non sit principium *quo* productiuum, nam id sola est spiratio actiua, est tamen personalitas, subsistentia, seu relatio constituens Personam productiuã Spiritus sancti per modum principij *quod*, cumque principium *quod* distinctum esse debeat à termino producto, terminus productus in Spiritu sancto sit personalitas illius; inde Personalitas Patris & Filius opponũtur immediate spirationi passiuæ. Essentia vero non opponitur, nec volitio, quia licet constituant principium *quod*, non constituit tanquam relatio, aut personalitas personæ producentis sed tanquam absolutum, & commune, etiam personæ productæ. Nec quid nouum respondet P. Arriaga. Et quod de suo addit, scilicet, spirationem actiuam esse puram causalitatem, & virtutem productiuam Spiritus sancti in solo absoluto positam esse, satis à nobis expulsum est disp. 6.

Difficile Anselmi testimoniũ obiectum

35. Obiicies quinto, Sanctum Anselmum epistola de processione Spiritus sancti pluribus in locis inculcantem, Spiritum & Filium, distingui natiuita te, & processione, quia videlicet Filius nascitur à Patre, & Spiritus tantum procedit: casu autem, quo Spiritus non procederet à Filio daretur natiuitas Filij, & processio Spilitus: ergo & distinctio eorum. Minor est certa, quia daretur Filius, & daretur Spiritus sanctus, vterque à solo Patre procedens; processio autem Filij esset natiuitas, origo autem Spiritus esset processio: ergo darentur natiuitas, & processio.

36, Respondet P. Arriaga, Anselmum locutum de natiuitate, & processione, quæ de facto dantur, & quibus de facto distinguitur Filius à Spiritu sancto: istæ autem distinguntur per modum principij, & termini relatiue oppositi. Vnde non infertur, Anselmum docuisse, sine oppositione principij, & termini, stare distinctionem realem. Non satisfacit responsio. Nam Anselmus expresse asserit, seorsim à processione Filium & Spiritum sanctum distingui natiuitate, processione, audi illum cap. 2. illius epistolæ, *Filius autem (vt interim aliam cau-*

sam

sam dicam, quoniam nondum constat, quod Spiritus sanctus de illo sit, & procedat) ideo non est Spiritus sanctus, nec Spiritus sanctus est Filius, quia Filius nascendo habet esse de Patre, Spiritus sanctus vero, non nascendo, sed procedendo. Et cap. 3. *Cum autem apparebit, quia Spiritus sanctus est de Filio, tunc quoque palam erit: quia propter hoc nequit esse Filius Spiritus sanctus, nec Spiritus sanctus Filius.* Vbi particulæ illæ, *Tunc quoque*, manifeste denotant duplicem titulum, quo Filius & Spiritus sanctus in casu processionis inter ipsos distingueretur, videlicet titulum processionis inter ipsos, & titulum natiuitatis vnius, & processionis à Patre alterius.

37. Respondet secundo P. Ruiz disp. 68. sect. 6. num. 9. Anselmum in ea epist. cap. 2. locutum non esse ex propria sententia, sed tantum explicare, quomodo Græci negantes processionem Spiritus à Filio, defenderet vtriusque distinctionem. Idque suadere conatur, tum Verbis capitis 3. à nobis adductis, quibus non iuuatur responsio. Tum etiam, quia illud axioma, *In Deo omnia sunt vnum, vbi non obuiat relationis oppositio*, tamquam authori tribuitur ab antiquioribus Theologis. P. vero Soarius lib. 10. c. 2. n. 1. & 7. & P. Vasquez disp. 147. c. 4. fatentur, Anselmum oppositæ sententiæ fauere. Quos miratur P. Zuñiga, cum aperte, inquit, Anselmus verbis illis capitis 3. à nobis adductis, nostram teneat sententiam. Dum tamen alia probatio non producitur pro mente Anselmi, leuis est admirationis occasio, & insufficiens, vt vidimus. Neq; rem euincunt, quæ congerit P. Ruiz disp. 9. sect. 5. à n. 6.

38. Respondeo ergo, Anselmum probabilem existimasse oppositam sententiam, sed nostram longe probabiliorem, quod manifeste indicant verba illa capitis tertij: *Cum autem apparebit, quia Spiritus sanctus est de Filio, tunc quoque palam erit, quia propter hoc nequit esse Filius Spiritus sanctus, nec Spiritus sanctus Filius.* Vbi particulæ illæ, *palam erit*, relatæ ad processionem, manifeste indicant, firmius, & clarius, & solidius distinctionem Spiritus à Filio à processione desumi. Quibus Anselmus nobis potius quam aduersariis fauere existimandus est, cum nostram potius, quam oppositam sententiam laudet, & commendet; nec intendamus nos, contrariam sententiam probabilem non esse.

Mens Anselmi nobis minime contraria.

 39. Obiicies

Vltima obiectio ex incommunicabilitate Personalitatis desumpta.

39. Obiicies vltimo hoc ipso, quod conceptus aliquis personalitas sit, distinctus est realiter à quocunque alio conceptu, qui etiam personalitas sit. Sic Paternitas eo ipso quod personalitas sit, est distincta realiter è Filiatione, quæ etiam personalitas est, & relatio spirationis actiuæ personalitas non est hoc ipso, quod realiter identificetur Paternitati, & Filiationi, quæ personalitates sunt, quod si spiratio actiua personalitas esset, hoc ipso distingueretur realiter à Paternitate, & Filiatione, quæ personalitates sunt: quamuis autem Spiritus sanctus non procederet à Filio, Filiatio esset personalitas, & similiter spiratio passiua, cum tam Filius, quam Spiritus sanctus esset persona à solo Patre procedens; ergo distinguerentur realiter inter se, cum conceptus personalitatis dicat incommunicabilitatem alteri conceptui, qui personalitas sit, vnde persona dicitur, Rationalis naturæ indiuidua substantia, id est, incommunicabilis subsistentia.

40. Confirmatur, si conceptus, qui formaliter personalitas est, hoc ipso non diceret incommunicabilitatem cum altero conceptu, qui etiam formaliter personalitas esset, fieret Spirationem actiuam non deficere à ratione personalitatis, eo quod communicaretur Paternitati & Filiationi, quæ formaliter personalitates sunt: ergo cum spiratio actiua ex hoc præciso capite deficiat à ratione personalitatis, signum est conceptum personalitatis hoc præcise dicere incommunicabilitatem cum altero conceptu, qui etiam personalitas sit. Si enim id non diceret, cur spiratio actiua, sicut est relatio virtualiter à Paternitate, & Filiatione distincta, non esset etiam Personalitas? Vlterius roborari potest, nam spiratio actiua vt virtualiter à Paternitate, & Filiatione distincta est subsistentia, eo quod de ratione subsistentiæ non sit incommunicabilitas alteri subsistentiæ; non vero est personalitas, eo quod ista dicat incommunicabilitatem alteri personalitati: ergo conceptus, qui est formaliter personalitas, hoc ipso dicit incommunicabilitatem cum altero, qui etiam personalitas sit.

Obiectionis solutio.

41. Respondeo conceptum personalitatis in diuinis non dicere incommunicabilitatem cum altero conceptu, qui etiam personalitas sit, seorsim à processione; dicit tamen incommunicabilitatem

nicabilitatem pluribus processione inter se distinctis; & hinc spiratio actiua deficit à ratione personalitatis, quia videlicet communis est Paternitati simul & Filiationi realiter inter se processione distinctis. Casu autem quo Spiritus non procederet à Filio, quamuis vterque esset realiter idem, neuter tamen pluribus realiter inter se processione distinctis communis esset, Vnde licet tam Filiatio, quam spiratio passiua personalitates essent, ex defectu processionis inter ipsos nullam dicerent realem distinctionem, cum de facto illam dicant ratione processionis.

SECTIO IV.

Ex quo amore procedat Spiritus sanctus.

42. HÆc difficultas decisa iam à nobis est disp.17. Idem enim quod ibi dictum est de processione Verbi per intellectionem, dicendũ cum propositione nunc est de processione Spiritus sancti per volitionem, seu amorem, quare breuiter ex ibi dictis.

43. Assero primo, Spiritum sanctum procedere ex amore necessario essentiæ. Ratio est, quia Spiritus sanctus procedit ex aliquo amore diuino: amor autem essentiæ est omnium aptissimus processioni Spiritus; sicut cognitio essentiæ est omnium aptissima processioni Verbi: ergo sicut Verbum procedit ex cognitione essentiæ, ita Spiritus ex amore illius, maxime cum essentia diuina sit obiectum primarium diuini amoris, & quocunque titulo Spiritus procedat per alium amorem, excludi non possit amor essentiæ. *Spiritus sanctus procedit ex amore essentiæ.*

44. Assero secundo Spiritum sanctum procedere ex amore omnis attributi absoluti. Ratio est, quia Spiritus sanctus ex eo amore procedit, qui est ratio formalis communicandi suum obiectum Filio: talis autem est amor omnis attributi absoluti: ergo. Minor probatur, nam ille amor est ratio formalis communicandi suum obiectum Spiritui sancto, cuius obiectum non *Etiam ex amore omnis attributi absoluti*

opponitur Spiritui: obiectum autem amoris attingentis attributa non opponitur, imo identificatur Spiritui sancto, cum attributa absoluta à nullo relatiuo distinguantur: ergo amor attributorum est ratio formalis communicandi suum obiectum Spiritui sancto: ergo sicut Verbum procedit ex cognitione attributorum, eo quod sit ratio formalis communicandi illa, pari etiam titulo Spiritus sanctus ex eorundem amore procedet.

Et ex amore omnium relationum.

45. Assero tertio, Spiritum sanctum procedere ex amore omnium relationum. Quia licet non sit ratio formalis communicandi relationes, est tamen ratio formalis communicandi essentiam, quæ est obiectum formale omnis diuini amoris, siue amor essentiæ & relationum indiuisibilis sit, siue virtualiter multiplex, vt in simili diximus de processione Verbi ex cognitione relationum, seu personarum. Hinc colligo, Spiritum sanctum procedere ex amore omnis prædicati diuini necessarij tam absoluti, quam relatiui; non vt præcise amor est, sed quatenus est ratio formalis communicandi physice; seu quatenus est communicatio physica essentiæ; sic enim Spiritus sanctus euadit consubstantialis Patri & Filio.

Item ex amore creaturarum possibilium.

46. Assero, Spiritum sanctum procedere ex amore necessario creaturarum possibilium, siue talis amor tantum quo ad sufficientiam, siue etiam quo ad efficaciam eas creaturas velit. Ratio est, quia aliter processio Spiritus sancti integra, & perfecta non esset; sicut amor necessarius integer non esset, si deesset, illi amor possibilium: ergo vt processio Spiritus sancti integra sit, debet esse per amorem creaturarum possibilium, modo, quo talis amor necessarius Deo est. Confirmatur, Verbum, vt sit integre, & adæquate Verbum, procedit ex simili scientia creaturarum possibilium, vt vidimus disp. 17. sect. 3. ergo etiam Spiritus ex amore earum.

Non vero ex amore libero futurorum.

47. Assero quintò Spiritum sanctum non procedere ex amore libero, seu contingenti, futurorum, vel existentium. Hæc conclusio nititur eisdem fundamentis, quibus ea disp. 17. sect. 4. ostendimus, Verbum non procedere ex scientia contingenti. Videantur ibi dicta, quia hæc ea reuocare, nimis longum, & fastidiosum esset.

48. Assero

48. Assero vltimo, Spiritum sanctum procedere ex amore disiunctiuo, quo Deus complacet in eo, quod à parte rei vel existat Petrus, vel eius carentia; sicut disp. 17. sect. 6. diximus Verbum procedere ex scientia disiunctiua, quia nouit Deus, vel existere à parte rei Petrum, vel eius carentiam. Sicut enim huiusmodi scientia necessaria Deo est, eo quod impossibile prorsus sit, quod ex extremis contradictoriis neutrum existat, & Deum cognoscere, vel existere Petrum, vel eius carentiam, aliud re non sit, quam cognoscere, impossibilem esse omissionem vtriusque simul, & impossibilia scientia necessaria cognoscantur a Deo. Similiter complacentia disiunctiua vel existentiæ Petri, vel carentiæ illius, aliud re non est, quam complacere in eo quod impossibilis sit omissio vtriusque simul: ergo ea complacentia disiunctiua tam necessaria Deo erit, quam scientia: ergo sicut Verbum ex scientia illa disiunctiua procedit, quia necessaria Deo est; ita etiam Spiritus ex cõplacentia procedet. *Ex quo amore disiũctiuo procedat.*

49. Omnia autem, quæ contra præcedentes assertiones obiici possent, soluta sunt ex professo tota disp. 17. videas ibi. Vnum autem hic aduertas, essentiam diuinam esse obiectum formale cuiuslibet amoris diuini, siue ille sit amor alicuius prædicati diuini absoluti, aut relatiui, siue sit amor creaturarum. Quia licet bonitas creata possit esse motiuum diuini amoris, nõ tamen sola, sed vna cum diuina, vt ostendi tract. de voluntate disp. 5. sect. 7. Eo quod melior est Deo bonitas, quæ nullum patiatur in Deo effectum, quem potissimum ipsa non moueat, quam opposita. Hoc monuerim, vt facilius appareat. quomodo dilectio creaturarum possit esse ratio formalis communicandi essentiam Spiritui sancto, etiam si virtualiter distincta esset, vt opinantur alij, à dilectione Dei.

SECTIO

SECTIO. V.

An Pater, & Filius sint per se requisiti ex parte principij ad producendum Spiritum sanctum.

50. PAtrem, & Filium esse per se requisitos ex parte obiecti ad productionem Spiritus sancti, supponimus nunc, cum ex eorum dilectione procedat. Difficultas ergo non est de Patre, & Filio in ratione obiecti, sed in ratione principij. An videlicet Spiritus sanctus ad sui productionem exigat per se, & formaliter principium duplici supposito completum, Patris scilicet, & Filij, ita vt vtroque, vel quolibet eorum deficiente, processio quoque Spiritus deficeret. Dixi per se, & formaliter, quia materialiter, & pro vt de facto, certum est, processionem Spiritus sancti esse à principio completo duplici supposito Patris, & Filij.

51. *Prior* sententia negat, supposita Patris, & Filij, per se, & formaliter necessaria esse ex parte principij ad productionē Spiritus sancti. Ita Scotus 1. dist. 12. quæst. 1. num. 8. Durandus 1. dist. 11. quæst. 3. & dist. 12. quæst. 1. num. 8. Ocham eadem dist. 12. quæst. 1. & 2. Gabriel dist. 12. quæst. 2. art. 1. & 2. Aureolus ibidem, quæst. vnica art. 1. & 3. Cardinalis Belarminus tom. 1. lib. 2. de Christo. c. 27. P. Molina quæst. 36. art. 4. disp. 5. *Posterior* sententia affirmat, & est communis Doctorum. Eam tenent apud Ruiz disp. 71. sect. 1. n. 6. Albertus Alexander. Richardus Gregorius. Argentinas. Carthusianus. Capreolus. Ferrariensis. Cajetanus. Canariensis. Marsilius, & alij Eandem sententiam tenent ex nostris P. Soarius lib. 10. c. 6. P. Vasquez disp. 150. P. Torres quæst. 36. art. 4. P. Valentia 1. part. quæst. 10. punct. 5. P. Ruiz disp. 71. sect. 1. à num. 5. P. Zuñiga quæst. 36. disp. 11. dub. 4.

Sententia negans: Scotus, Durandus, Ocham, Gabriel, Belarminus. Sententia affirmans: P. Soarius, P. Vasquez, P. Torres, P. Valentia, P. Ruiz, P. Zuñiga.

52. Assero primo, Spiritum sanctum, vt formaliter, & præcise Spiritus sanctus est, non exigere ex parte principij duo supposita distincta Patris & Filij. Probatur, quia si Spiritus sanctus non procederet à Filio, haberet rationem formalem Spiritus procedentis à solo Patre per volitionem; sicut in eo

Spiritus sanctus vt formaliter

Spiritus

casu Filius haberet rationem Filij procedentis per intellectionem à Patre: ergo Spiritus sanctus formaliter in ratione Spiritus sancti non exigit ex parte principij duo supposita distincta Patris & Filij, cum maneret tunc ratio Spiritus sancti à solo Patre procedens. Sicut communis Doctorum sententia, ex eo infert Filium in ratione præcisa Filij non dicere formaliter virtutem spiratiuam, etiam radicalem, quia etiam si Filius non produceret Spiritum sanctum, præcisa processione à Patre per intellectionem, maneret Filius. talis duo supposita non exigit ex parte principij

53. Dices tunc non mansuram eundem Spiritum sanctum, qui de facto est, atque adeo non probari, Spiritum sanctum, qui nunc est, non exigere duo supposita distincta ex parte principij. Contra, quia nostra probatio optime conuincit intentum, videlicet Spiritum sanctum, qui de facto est, non exigere duo supposita distincta ex parte principij, ex præciso conceptu Spiritus sancti, nam iste tunc cum vno tantum supposito maneret; sed id contingere ratione alterius conceptus in Spiritu sancto reperti: sicut distinctio Spiritus à Filio conuenit illi, non præcisa ratione Spiritus, sed ratione processionis à Filio, eo quod ea processione non stante sola deficeret formaliter distinctio. Sic dicimus, risibilitatem non esse formaliter hominis essentiam, bene vero rationalitatem, quia hac sola per impossibile manente, consisteret formaliter homo, secus sola visibilitate persistente.

54. Assero secundo, Spiritum sanctum, quatenus distinctum realiter à Patre, & Filio exigere duo supposita Patris, & Filij ex parte principij, titulo distinctionis realis Spiritus ab illis. Ratio est, quia distinctio realis in diuinis non stat absque oppositione relatiua producentis, & producti: ergo Spiritus sanctus, titulo distinctionis realis à Patre & Filio, exigit ab vtroque procedere: ergo eodem titulo exigit vtrumque suppositum ex parte principij Antecedens constat ex dictis sect. 2. Consequentia vero legitima est. Vnde facile esset discrepantes illius sententias conciliare, maxime inter authores asserentes, in diuinis necessariam esse distinctioni reali oppositionem relatiuam producentis, & producti. Nec aliud conuincunt Patres adducti à Ruiz: quam Spiritum exigere duo supposita Patris & Filij, titulo distinctionis realis ab illis. Bene vero vt distinctus realiter à Patre, & Filio.

55. Obiicies

55. Obiicies primo, tota, integra, & perfecta virtus spirandi seu spiratio actiua est in Patre: ergo solus Pater esset formaliter sufficiens ad producendum Spiritum sanctum, etiam si facto vna cum Filio producat; atque adeo Spiritus sanctus ad sui productionem duo supposita distincta non exiget ex parte principij. *Respondeo* solum patrem sufficientem quidem esse ad producendum Spiritum sanctum indistinctum à Filio, non vero distinctum, vt de facto est, ad id enim necessaria est oppositio relatiua producentis & producti inter Filium, & Spiritum sanctum, vnde Filius præcedere debet ex parte principij.

56. Obiicies secundo, productio creaturæ licet re ipsa procedat à tota Trinitate, tamen formaliter non exigit tria supposita nam si virtus creandi, scilicet omnipotentia, in vno tantum esset supposito diuino, hoc illi sufficeret, etiam vt creatura procederet distincta à tota Trinitate: ergo sicut Spiritus sanctus procedat à Patre, & Filio non exiget vtrumque ex parte principij, etiam vt procedat distinctus à Filio. *Respondeo*, concesso antecedente, negans consequentiam, quia creatura ad sui distinctionem ab aliis, non exigit processionem ab illis, sed sufficit illi propria limitatio; vt autem vna persona diuina ab altera distinguatur, propter illimitationem vtriusque, necessaria est oppositio relatiua producentis, & producti inter ipsas. Vnde licet creatura distingui posset à Personis diuinis, etiam si exigat ex parte principij, non tamen Spiritus sanctus à Filio, si illum non exigat tanquam principium sui.

SECTIO VI.

An Pater, & Filius sint vnum principium Spiritus sancti, seu vnus spirator.

57. TRadiderunt doctores aliqui Catholici, de rigore, & proprietate sermonis, Patrem & Filium non esse vnum principium Spiritus sancti, sed duo principia, etiam si in vtroque vna eademque sit spiratio actiua, & vna eademque

eademque potentia spiratiua. Ita Durandus 1. dist.29.quæst.2. & 3. Gregorius Ariminus 1. dist. 12. quæst, 1. Gabriel ibidem quæst.1. art. 2. conclus. 2. & art. 3. dubit. 1. Qui tamen admonet, vt cum Ecclesia loquamur, licet de rigore sermonis Pater et Filius duo principia Spiritus sancti dici possint. Hanc sententiam iudicant temerariam, & periculosam Canariensis quæst. 36.art.4.in 2.parte commentarij dub.1.& 2.P. Ruiz disp. 70.sect. 1.n.14 P. Soarius tract. 3. lib.10.c.7.P. Torres quæst.36. art.4.P. Vasq.disp.146.c.3.

58. Suppono primo tanquam certum fidei dogma ab omnibus Catholicis admissum, etiam illis, qui nuper plura dici posse principia concedebant; vnam, eandemque potentiam Spiratiuam, seu virtutem Spiritus sancti productiuam esse in Patre, & Filio. Nam si ea virtus consistat in absoluto formaliter, vt opinantur multi, cum omnia absoluta sint vnum, necesse est vnam esse etiam virtutem spiratiuam in Patre, & Filio. Si vero virtus spiratiua in relatiuo formaliter consistat, vt diximus nos agentes de principio quo productiuo disp.6.aliud esse non potest quam Spiratio actiua, quam vnicam, & eandem esse in Patre & Filio definitum est in conciliis statim producendis. *Vna, eadem que potentia Spiratiua est in Patre, & Filio*

59. Suppono secundo de Fide, vnicam, eandemque Spirationem actiuam esse in Patre & Filio. Ita definitum est in Concilio Generali Lugdunensi sub Gregorio decimo cap.vnico de summa Trinit. in 6. his verbis. *Non duabus spirationibus, sed vnica spiratione procedit.* Idem stabilitum est in Concilio Florentino ab Eugenio quarto in litteris vnionis, sibi de Spiritu sancto decernitur, quod à Patre & Filio *vnica spiratione procedit.* Hic ergo positis, quæ omnes Catholici concordes, & vnanimes profitentur. Quæritur, An ex his fundamentis Pater & Filius sint vnum principium Spiritus sancti, vel dici possint plura principia. *Vnica etiam eadem spiratio actiua. Concilium Florentinũ*

60. Asserendum est primo, Patrem, & Filium esse vnum principium Spiritus sancti, & nec esse, nec posse dici plura. Hæc est sententia omnium Theologorum contra Durandum, & Gregorium. Probatur ex Conciliis num. præcedenti allegatis; Lugdunense enim ita decernit. Damnamus omnes, qui negare præsumpserint, æternaliter Spiritum sanctum *Pater, & Filius sunt vnum principium Spiritus sancti, & non plura*

ex Patre, & Filio procedere, siue etiam temerario ausu asserere, quod Spiritus sanctus ex Patre, & Filio tanquam ex duobus principiis, & non tanquam ex vno procedat. Similiter definit Florentinum his verbis. *Hoc sacro vniuersali approbante Florentino Concilio, diffinimus, vt hæc fidei veritas ab omnibus Christianis credatur, & suscipiatur, sicque omnes profiteantur, quia Spiritus sanctus à Patre, & Filio æternaliter est, & essentiam suam, suumque esse subsistens habet ex Patre simul & Filio, & ex vtroque æternaliter, tanquam ex vno principio, & vnica spiratione procedit.* Ergo Pater, & Filius non sunt duo principia Spiritus sancti, sed vnum.

61. Respondet Durandus, Concilia non definire Patrem & Filium esse proprie, & simpliciter vnum principium, sed esse tanquam vnum principium, quod non excludit plura principia per modum vnius, id est vnica virtute, & spiratione producentia.

Responsio Durandi minime subsistens.

62. Contra, quia Consilia non dicunt Patrem & Filium esse tanquam vnum principium, sed Spiritum procedere à Patre, & Filio tanquam ex vno principio, ad eum modum quo dicuntur Pater & Filius vnus Deus, & vnus creator: Pater autem & Filius ita sunt vnus Deus, & vnus creator, vt dici non possint plures Dei, nec plures creatores: ergo Pater, & Filius ita erunt vnum principium Spiritus sancti, vt plura dici non possint. Maior est S. Augustini lib. 5. de Trinit. cap. 14. aientis. *Fatendum est Patrem & Filium principium esse Spiritus sancti non duo principia. Sed sicut Pater & Filius vnus Deus, & ad creaturam relatiue vnus creator, & vnus Dominus, sic relatiue ad Spiritum sanctum vnum principium.* Signum ergo est particulam *tanquam* in Conciliis, non improprietatem, sed rigorosam principij vnitatem denotare.

Cur Pater, & Filius sint vnum principiũ Spiritus sancti.

63. Et ratio omnium est, quia pincipium est concretum substantiuum, non minus, quam Deus, & creator: concretum autem substantiuum non multiplicatur nisi ad multiplicationem principalioris significati: sicut ergo concretum *Deus*, quia principalius importat Deitatem, & hæc est vnica, tres personæ sunt vnus tantum Deus, & dici non possunt plures Dij: & quia concretum *creator* principalius importat virtutem

virtutem creandi, & hæc eſt vnica, omnes perſonæ ſunt vnus tantum creator: ergo cum principium ſpirandi principalius importet virtutem ſpiratiuam; & hæc vnica ſit, Pater & Filius erunt vnicum principium ſpirandi, & non duo. Sicut in Chriſto vnica eſt tantum Perſona, quamuis naturæ ſint diuerſæ, eo quod concretum *Perſona* principalius importet perſonalitatem, quam naturam, & illa vnica ſit.

Particula *tanquam* non ſemper denotat improprietatem.

64. Confirmatur, Nam licet particula *tanquam* aliquando improprietatem denotet, & metaphoram, ſæpe tamen rigoroſum ſeruat verborum ſenſum, Ioan. 1. *Gloriam quaſi vnigeniti à Patre* Ad Hebræos 3. *Moyſes tanquam famulus, Chriſtus vero tanquam Filius in domo ſua.* Nullum autem eſt fundamentum ad aſſerendum, aſſumptam eſſe à Conciliis improprie: ergo rigoroſe dicendũ eſt Patrem, & Filium eſſe vnicũ principium Spiritus ſancti, & non duo. Minor probatur, nam particula *tanquam* adhibita ſit à Concilio Lugdunenſi, non ſolum dum Patrem & Filium docet eſſe vnum principium, ſed etiam dum ſtatuit non eſſe duo principia; anathematizans eos, qui dixerint, *quod Spiritus ſanctus ex Patre, & Filio tanquam ex duobus principiis*: ergo ſi particula *tanquam* improprie aſſumpta fuiſſet, decerneret Lugdunenſe Patrem & Filium adhuc late non non eſſe duo principia, atque adeo nullo modo eſſent duo, ſed vnicum. Et quidem ſi Pater, & Filius, eo quod ſint duo ſuppoſita eiuſdem virtutis ſpiratiuæ, dici poſſent duo principia, cum ſimiliter ſint duo ſuppoſita eiuſdem Deitatis, dici etiam poſſent duo Dii.

65. Obiicit Durandus. Nam dum Pater, & Filius dicuntur vnum principium ſpirandi, vel particula *principium* ſupponitur pro principio *quo*; & hoc non, quia ſic potius eſt dicendum, in Patre & Filio eſſe vnum principium, quam Patrem, & Filium eſſe vnum principium. Vel ſupponitur pro principio *quod*, ſcilicet pro ſuppoſito virtutis ſpiratiuæ; & ſic cum Pater, & Filius ſint duo ſuppoſita illius, dicendi ſunt duo principia ſpirandi, id eſt duo ſuppoſita potentiæ ſpiratiuæ. Quare cum frequentius vſurpetur principium producendi pro ſuppoſito virtutis productiuæ, quam pro virtute ipſa,

ſimpliciter ſunt dicendi duo principia, & non vnum.

66. Reſpondeo, Patrem & Filium eſſe vnum principium *quod* ſpirandi, conſtitutum vnica virtute ſpiratiua. Principium autem quod ſpirandi principalius importat virtutem ſpiratiuam, quam ſuppoſita Patris & Filij, ſicut Deus principalius importat Deitatem. Vnde ſicut Pater & Filius dici non poſſunt duo Dii, quia id denotat duplicem Deitatem, ita nec dici poſſunt duo principia ſpirandi, quia id arguit duplicem virtutem ſpiratiuam; poterunt tamen dici duo ſuppoſita virtutis ſpiratiuæ, ſicut dicuntur duo ſuppoſita Deitatis, quia concreta ſubſtantiua ſuppoſitum, Hypoſtaſis, & Perſona principalius important ſubſiſtentiam & perſonalitatem.

Pater, & Filius non sũt duo ſpiratores.

67. Aſſerendum eſt ſecundo, Patrem & Filium non eſſe, nec dici poſſe duos Spiratores, ſed vnicum tantum. Ratio eſt, quia Spirator eſt concretum ſubſtantiuum principalius importans, ſeu expreſſius ſignificans virtutem ſpirandi, quam ſuppoſita illius: ergo cum virtus ſpirandi ſit vnica, vnicus quoque ſpirator erunt Pater, & Filius, ſicut ſunt vnus Deus. Quæ omnia firmanda ſunt ex dictis.

68. Obiicies, Spirator in Patre conſtituitur virtute ſpiratiua & Paternitate, ſpirator vero in Filio conſtituitur virtute ſpiratiua, & Filiatione ſaltem materialiter, & etiam formaliter ſiue in recto, ſiue in obliquo, ſi ſpiratio actiua ſubſiſtentia non ſit, cum ſpirator ſit concretum ſubſtantiuum, quod dicit ſubſiſtentiam relatiuam oppoſitam Spiritui ſancto: ergo ſpirator Pater diſtinctus eſt realiter ab ſpiratore Filio, atque adeo Pater & Filius erunt duo ſpiratores realiter diſtincti. Probatur conſequentia, nam coniunctum ex virtute ſpiratiua & Paternitate ex vna parte, & coniunctum ex eadem virtute ſpiratiua, & Filiatione ex altera, ſunt coniuncta realiter inter ſe diſtincta: ſed ſpirator Pater eſt coniunctum ex virtute ſpiratiua. & Paternitate, & ſpirator Filius eſt coniunctum ex eadem virtute ſpiratiua, & Filiatione: ergo ſunt ſpiratores realiter diſtincti; atque adeo realiter Pater & Filius non vnus, ſed duo ſunt diſtincti ſpiratores.

69. Hæc

69. Hæc tamen obiectio eadem forma conuincere, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum esse tres Deos. Nam Deus Pater constituitur Deitate, & Paternitate; Deus Filius Deitate, & Filiatione; Deus Spiritus sanctus Deitate, & Spiratione passiua, quæ coniuncta realiter sunt inter se distincta. Sicut ergo id non sufficit, vt tres Personæ sint tres Dij, sed vlterius opus erat, vt tres essent Deitates. Pariter dicimus, nec sufficere, vt Pater & Filius sint duo spiratores, sed alterius exigi, vt distinctæ essent in illis spirationes, quia hæc principalius importatur in eo concreto substantiuo spiratoris, sicut Deitas in concreto substantiuo Dei.

70. Asserendum est tertio, Patrem, & Filium, non posse dici duo principia spirantia. Ratio est, quia vt Pater & Filius recte dici possent duo principia spirantia, supponi deceret, esse duo principia; sicut vt Pater & Filius dicerentur duo Dij spirantes supponi deberet, esse duos Deos: ergo sicut Pater & Filius dici non possunt duo Dii spirantes, eo quod non supponantur duo Dij, sed potius vnus Deus; ita nec dici poterunt duo principia spirantia, cum non sint duo principia Spiritus sancti, sed potius vnicum. Vnde propositio ista, *Pater & Filius sunt duo principia spirantia*, falsa non esset, ex eo quod Pater & Filius non sint duo spirantes, sed ratione suppositionis, qua supponerētur, esse duo principia, quæ suppositio erat sententia Durādi, atque adeo eiusdem notæ digna cum illa. Pater & Filius non sūt duo principia spirātia.

71. An autem Pater & Filius dici possint duo spirantes? Affirmant plures, distingunt alij docentes, nomina adiectiua in Deo sumi posse substantiue, quatenus supponunt pro formali, seu expressiori significato, & sic sicut Pater & Filius dici non possunt duo increati, omnipotentes, aut immensi; ita nec duo spirantes, quia huiusmodi nomina substantiue sumptæ denotant, adiuncta particula *duo*, plures omnipotentias immensitates, aut spirationes. Hac ratione prohibemur in symbolo, dicere tres omnipotentes, increatos, & immensos, & iubemur dicere, vnum increatum, omnipotentem, & immensum. Si vero nomina adiectiua sumantur, non substantiue, sed adiectiue, quatenus supponunt pro materiali significato, seu minus principali, sic

Pater & Filius dici possunt duo omnipotentes, duo increati, atque adeo duo etiam spirantes. Ita P. Zuñiga quæst. 39. disp. 14. dub. 1. memb. 1. à num. 2.

Dici tamen possunt duo Spirantes

72. Asserendum est quarto, Patrem & Filium dici posse duos Spirantes, sumpto spirante, non substantiue, sed adiectiue. Ratio est, quia duo spirantes adiectiue, non aliud sonant, quam duo habentes spirationem; Pater autem & Filius sunt duo habentes spirationem: ergo & duo spirantes; qui mos loquendi inualuit vsu, & authoritate Theologorum, quæ maxime in hac materia attendenda est. Nec præfata doctrina ad nomina substantiua extendenda est eoquod non appareat ratio, cur nomina adiectiua sumi possint substantiue, & substantiua non possint adiectiue. Nam pro modo loquendi magna est ratio in mysteriis fidei vsus Patrum, & authoritas, nulla ratione permittentium dici tres Deos, quamuis sint tres habentes Deitatem, nec duos spiratores, quam sint duo habentes spirationem.

Virtus gignendi, & spirandi in Patre dicenda non sunt duo principia.

73. Quæres, An virtus gignendi, & spirandi in Patre dicenda sint duo principia? Respondeo dici non posse duo principia realiter distincta, bene vero virtualiter. Quia in nostra sententia virtus gignendi est Paternitas, virtus vero spirandi est spiratio actiua, seu relatio Spiratoris: ergo sicut Paternitas & spiratio actiua sunt duæ relationes virtualiter tantum distinctæ, pariter erunt duo principia virtualiter tantum distincta.

SECTIO.

SECTIO VII.

De constitutiuo spiratoris, & An dicat subsistentiam Patri cum Filio communem.

74. ASsero primo, Spiratorem constitui formaliter spiratione actiua. Ratio est, quia quodlibet ens constituitur formaliter, illa forma, vel quasi forma, vnde tale denominatur, & est, sic Deus constituitur deitate, homo humanitate, &c. Spiratio autem actiua est forma, vel quasi forma, vnde Spirator talis denominatur, & est: ergo constituitur formaliter spiratione actiua. Spirator constituitur formaliter spiratione actiua.

75. Assero secundò, Spiratorem constitui etiam amore, absoluto tanquam ratione formali communicandi essentiam seu naturam diuinam Spiritui sancto. Probatur, quia processio Spiritus sancti est formaliter per amorem tanquam rationem formalem, qua communicatur illi à suo principio essentia seu natura diuina vt dictum est disp.7. sect.1. & 2. communicatio autem in diuinis se habet instar applicationis virtutis productiuæ, eaque in actu primò, vltimò, & proxime completur: ergo sicut applicatio in creatis, quantumuis distincta à virtute productiua, est de constitutiuo principij proxime productiui; ita communicatio, siue amor, quantumuis à virtute productiua Spiritus sancti distinctus, erit de constitutiuo principij proxime spiratiui, & consequenter Spiratoris. Sicut intellectio est de constitutiuo principij proximi generatiui, vt vidimus disp.15. sect.4. Amore insuper absoluto.

76. Assero tertiò, Spiratorem constitui etiam voluntate diuina tanquam principio, seu virtute communicatiua. Ratio est, quia Spirator, seu principium spiratiuum, non solum dicit virtutem productiuam Spiritus sancti, sed etiam communicatiuam perfectionis absolutæ; vna enim sine altera incompleta est, cum processio diuina productione, & communicatione compleatur: virtus autem, seu principium communi Etiam voluntate diuina.

muni

municatiuum respectu Spiritus sancti est diuina voluntas, vt constat ex disput. 7. sect. 3. cum illa sit principium amoris, qui solus est communicatio respectu Spiritus sancti vt ibidem ostensum est: ergo spirator constituitur diuina voluntate tanquam virtute communicatiua respectiue ad Spiritum sanctum.

Similiter etiam constituitur essentia diuina.

77. Assero quarto, Spiratorem constitui essentia diuina tanquam termino per volitionem communicando Spiritui sancto. Ratio est, quia spirator est principium personæ, quæ formaliter est Deus: ergo nequit intelligi completus nisi intelligatur cum deitate communicanda Spiritui sancto. Eodem pacto existimo constitui spiratorem intellectione diuina, etiam si non sit Dei essentia, quia cum Spiritus sanctus procedens per amorem, sit volens, intelligens quoque debet esse; atque adeo vterque actus præcedere debet in principio illius, scilicet spiratore. Cætera vero attributa absoluta per amorem Spiritui communicanda pertinent quidem ad constitutiuum Spiratoris, non formale sed integrale, vt de similibus perfectionibus respectu Filij dixi disput. 9. sect. 1.

Relationes Paternitatis, & Filiationis non sunt de constitutiuo Spiratoris adhuc materiali.

78. Assero quintò, Spiratorem non constitui formaliter, imo nec materialiter, relationibus Paternitatis, & Filiationis, quamuis ad producendum Spiritum sanctum exigat vtramque modo exposito iam à nobis sect. 5. Probatur, nam Spirator est concretum substantiuum non minus commune Patri cum Filio, quàm concretum *Deus* commune est omnibus Personis: concretum autem, *Deus* non constituitur adhuc materialiter relationibus diuinis, quamuis exigat illas, vt attigimus disp. 12, sect. 11. ergo neque concretum Spiratoris constituetur Paternitate, & Filiatione; eadem enim videtur omnium ratio. Nec contraria sunt quæ diximus sect. 5. Videlicet, Paternitatem, & Filiationem requisitas esse ex parte principij Spiritus sancti, illudque complere. Nam sicut relationes personales complent tanquam subsistentiæ relatiuæ concretum Dei, quin constituant illud; ita Paternitas & Filiatio complere poterunt concretum Spiratoris, quin constituant illud; non enim idem est complere, & constituere; subsistentiâ

sistentiâ enim creata complet naturam, & non illam constituit.

79. Circa secundam sectionis partem difficultas est, An sicut concretum Deus constat subsistentia absoluta non minus singulari, & communi omnibus personis, vt positum est disput.13. sect. 2. quam ipsa essentia; ita spirator dicat subsistentiam relatiuam non minus singularem, & communem Patri cum Filio, quam ipsa spiratio actiua. Prior sententia negat, quam tuentur Gregorius 1. distinc.12. quæst.1. Banez quæst. 36. artic. 4. Zumel ibidem. P. Soarius lib. 10. cap. 14. P. Arrubal disput. 129. cap. 2. à num 14. P. Torres 2. parte commentarij dubit. 3. P. Zuniga quæst. 36. disp. 11. dub. 7. Posterior sententia affirmat. Ita Gabriel 1. dist. 12. quæst. 1. Ocham ibid. P. Molina quæst. 36. art. 4. disp. 2. P. Martinus Perez disp. 16. sect. 4. num. 6. Sententia negans. Gregorius. Bañez. Zumel. P Soarius. P Arrubal. P. Torres. P. Zuniga. Sententia affirmans Gabriel. Ocham. P Molina. P Perez.

80. Assero sextò, Spiratorem dicere subsistentiam relatiuam non minus singularem, & communem Patri cum Filio, quam ipsammet spirationem actiuam. Ratio est, quia Concilia, & Patres eo modo asserunt, Patrem, & Filium esse vnum spiratorem, quo docent, tres Personas esse vnum Deum: Deus autem qui de omnibus personis prædicatur est concretum substantiuum constans deitate & subsistentia absoluta singulari omnibus personis non minus communi, quam ipsa deitas, vt constat ex disp. 13. sect. 2. ergo Spirator, qui de Patre, & Filio prædicatur, erit concretum substantiuum consistens subsistentia relatiua singulari, non minus communi, quam ipsamet Spiratio actiua. Sic enim sicut omnes diuinæ personæ sunt vnus, idemque Deus concrete; ita Pater, & Filius erunt vnus, idemque spirator concrete; atque adeo indiuiduum Spiratoris subsistens erit adæquate commune Patri cum Filio. Spirator constat subsistentia relatiua Patri cum Filio communi.

81. Assero septimo, subsistentiam relatiuam communem Patri cum Filio non constituere suppositum ipsis commune, nec personam, aut hypostasim. Ratio est, quia suppositum hypostasis, & persona dicunt incommunicabilitatem pluribus distinctis, quam non dicit subsistentia relatiua com- Ea subsistētia non cōstituit suppositum, nec personam.

munis Patri cum Filio : ergo ſicut ſubſiſtentia abſoluta non conſtituit ſuppoſitum aut perſonam abſolutam eo quod ſit pluribus communis iuxta dicta diſput. 14. ſect. 6. Ita nec ſubſiſtentia relatiua Patri cum Filio communis conſtituet.

82. Obiicies primò, ſi daretur indiuiduum Spiratoris commune Patri & Filio, ſequeretur, Patrem, & Filium non eſſe principium *quod* immediatum Spiritus ſancti, ſed mediatum, medio ſcilicet indiuiduo Spiratoris; atque adeo Spiritum ſanctum non procedere immediate à Perſona diuina, cum talis non ſit Spirator : id dici non poteſt : ergo. *Reſpondeo*, Spiritum ſanctum, prout de facto, non procedere ab indiuiduo Spiratoris vtcunque ſed quatenus vltimo completo, & terminato Paternitate, & Filiatione; atque adeo immediate procedit à Patre, & Filio complentibus principium quod Spiritus ſancti diſtincti realiter ad ipſis.

83. Obiicies ſecundo fieri ex noſtra ſententia, Patrem, & Filium non magis immediate, nec magis proprie eſſe principium Spiritus ſancti, quam ſunt principium creaturarum, quod dici non poteſt : ergo. Sequela probatur, quia ſicut in productione creaturarum proximum principium ſit indiuiduum deitatis ſubſiſtens, perſonæ vero dicuntur principium ratione identitatis earum cum indiuiduo Deitatis ſubſiſtentis; ita in productione Spiritus ſancti proximum principium illius eſt indiuiduum Spiratoris, perſonæ vero Patris & Filij dicuntur principium ratione identitatis earum cum indiuiduo Spiratoris : ergo Pater, & Filius non magis immediate, nec magis proprie ſunt principium Spiritus ſancti, quam omnes perſonæ ſunt principium creaturarum.

84. Reſpondeo negans ſequelam. Diſcrimen autem probationis manifeſtum eſt. Nam cum in diuinis tota diſtinctio realis poſita ſit in relatione producentis & producti, & Spiritus ſanctus procedat diſtinctus à Patre, & Filio, ratione, huiuſmodi diſtinctionis exigit oriri ab indiuiduo Spiratoris non vtrumque, ſed quatenus vltimo completo, & termino

Paternitate

Paternitate & Filiatione, vnde vtraque conſtituit principium quod proxime & immediate productiuum Spiritus ſancti diſtincti realiter à Patre, & Filio. In creatis autem diſtinctio realis non exigit proceſſionem inter ea quæ diſtingui debent, vnde licet creaturæ re ipſa à diuinis perſonis diſtinctæ ſint, non tamen exigunt oriri ab indiuiduo Deitatis, quatenus perſonalitatibus completo, ſed ab indiuiduo Deitatis, vt præciſe tali; hoc enim illius ſufficeret, etiam ſi per impoſſibile perſonalitates diſtinctæ in Deo non eſſent.

SECTIO VIII.

Dubia aliquot circa relationem Spiratoris expedita.

85. DVbium primum, An relatio Spiratoris ſit principium quo, ſeu virtus productiua Spiritus ſancti. Hæc difficultas dirimenda eſt ex dictis diſp. 6. vbi diſſeruimus, An principium quo productiuum ſit quid abſolutum, vel relatiuum. *Reſpondeo* igitur ex ibi traditis, relationem Spiratoris eſſe principium quo productiuum, ſeu virtutem productiuam Spiritus ſancti. Quia hæc non in abſoluto, ſed in relatiuo conſiſtere poteſt, cum idem non poſſit eſſe virtus ſui ipſius realiter productiua, ſed termini diſtincti; vt ibidem oſtendimus: ergo ſicut ſola Paternitas eſt principium quo productiuum Filij; ita ſola Spiratio actiua, ſeu relatio Spiratoris, erit principium quo Spiritus ſancti productiuum, cum ſola illa ſit formaliter immediate, & ratione ſui relatio ad Spiritum ſanctum.

Relatio Spiratoris eſt principium quo productiuum Spiritus ſancti.

86. Dubium ſecundum. An relatio Spiratoris ſit relatio ad Patrem, & Filium? dixi ad Patrem, & Filium, quia eſſe relationem ad Spiritum ſanctum extra dubium eſt. *Reſpondeo* negatiue, quia relatio ſpiratoris non opponitur Patri, & Filio, imo cum ipſi identificatur, non enim realiter, ſed virtualiter tantum diſtinguitur ab illis: ergo ſicut Paternitas, & Filiatio non ſunt relationes ad eſſentiam quamuis ab

Relatio Spiratoris non eſt relatio ad Patrem & Filium.

illa virtualiter tantum distinguantur; ita nec spiratio actiua erit relatio ad Patrem & Filium, etiam si ab illis virtualiter distinguatur. Et ratio omnium est, quia in diuinis relatio realis ad aliquem terminum, non stat absque oppositione, & distinctione reali ab illo, vt sæpius dictum est. Hinc colliges neque Paternitatem, & Filiationem esse relationes ad spirationem actiuam, propter eandem rationem.

87. Dubium tertium, An Pater, & Filius respiciant, & referantur ad Spiritum sanctum per relationem spiratoris? *Respondeo* affirmatiue. Quia Pater Paternitate solum refertur ad Filium, & Filius Filiatione solum refertur ad Patrem: ergo relatio spiratoris erit id, quo Pater & Filius respiciunt, & referuntur ad Spiritum sanctum. Tum etiam quia relatio spiratoris est Patris & Filij; non ad se ipsos: ergo ad Spiritum sanctum. Tum denique quia Pater & Filius per relationem spiratoris sunt spirantes conceptus autem spirantis relatiuus est: ergo id quo Pater, & Filius sunt spirantes, erunt quoque respicientes Spiritum sanctum: sunt autem spirantes per spirationem actiuam seu relationem, spiratoris: ergo & respicientes Spiritum sanctum.

Paternitas & Filiatio non sunt formaliter relatio ad Spiritum sanctum.

88. Dubium quartum, An Paternitas, & Filiatio vt distinctæ virtualiter à relatione Spiratoris, sint relatio ad Spiritum sanctum? Ratio dubitandi est, quia si non essent neque realiter distinguerentur ab Spiritu sancto, cum in diuinis nulla detur distinctio realis, nisi vbi obuiat oppositio relatiua. Respondeo tamen Paternitatem, & Filiationem vt distinctas virtualiter à relatione Spiratoris non esse relationem ad Spiritum sanctum, nam Paternitas solum est relatio ad Filium, & Filiatio ad Patrem. Nec id obstat oppositioni relatiuæ inter ipsas & Spiritum sanctum; ad huiusmodi enim oppositionem, non opus est, quod Paternitas & Filiatio quatenus virtualiter distinctæ à spiratione actiua, sint relatio ad Spiritum sanctum; sed satis est, quod sint personalitates vltimo complentes principium quod Spiritus sancti, vt sæpius attigimus.

89. Dubium quintum, An relatio spiratoris sit prior in Deo relatione

relatione Filij? Ratio dubitandi est, quia relatio spiratoris resultat ex amore mutuo, quo Pater, & Filius diligunt se: ergo non prior, sed posterior erit Filiatione. Confirmatur nam Filiatio est generis intellectiui, spiratio vero actiua volitiui: genus autem intellectiuum prius est volitiuo: ergo & Filiatio prior erit relatione spiratoris. Idem iterum firmari potest, nam spiratio passiua supponit duo supposita Patris & Filij, à quibus procedat: ergo etiam spiratio actiua supponet duo supposita, quibus compleatur in ratione principij Spiritus sancti.

90. Respondeo tamen relationem spiratoris priorem esse in Deo, quam Filiationem. Nam omnis perfectio, quæ præcedit in Patre communicanda Filio, est prior Filiatione: talis autem est spiratio actiua: ergo. Maior certa est. Minor probatur ex Florentino in litteris vnionis definiente: *Quoniam omnia, quæ Patris sunt, ipse Pater vnigenito suo gignendo dedit, præter esse Patrem.* Quibus apertissime docet Concilium Patrem generatione donasse Filio omnia vtrique communia, dempta Paternitate, quæ propria est solius Patris: relatio autem spiratoris Paternitas non est, nec propria solius Patris, sed communis ipsi cum Filio: ergo Pater generatione donauit Filio relationem spiratoris; atque adeo ista præcessit in Patre communicanda Filio. Relatio spiratoris prior est in Deo Filiatione.

91. Confirmatur, nam relatio spiratoris resultat necessario ex præcisa positione, vel existentia amoris absoluti, quo Pater & Filius diligunt se: huiusmodi autem amor præcedit in Patre donandus generatione Filio, non minus quam præcedit cognitio absoluta, quâ Pater, & Filius cognoscunt se: ergo pro eo priori resultabit in Patre relatio spiratoris, siue amor sit principium virtuale illius, siue pura conditio, quod modo disputo. Minor probatur, nam Pater non intelligitur principium generatiuum, saltem integraliter, quosque intelligatur cum omnibus illis, quæ per intellectionem communicanda sunt Filio, quorum vnum est amor: ergo Pater præintelligendus est cum amore prioritate à quo ante generationem Filij: ergo etiam cum relatione spiratoris ex eo amore resultante. Vnde colligo Filiationem non posse esse princi- Relatio spiratoris resultat ex amore absoluto.

pium virtuale relationis ſpiratoris, cum iſta in Patre procedat Filium.

91. Ex his patet ad rationem dubitandi. Nam cum amor abſolutus, quo Pater & Filius diligunt ſe, præcedat in Patre Filium, etiam relatio ſpiratoris præcedere debet. Ad primam confirmationem dicimus genus intellectiuum eſſentiale eſſe quidem prius volitiuo; non vero notionale quoad omnia. Ad ſecundam conceſſo antecedente neganda eſt conſequẽtia, quia ſpiratio paſſiua cum procedat à Patre, & Filio, vtrumque debet ſupponere; actiua autem non ita, ſed potius præ cedere debet communicanda Filio à Patre, cum ſit vtrique communis, vt conſtat ex Florentino nuper citato.

Relatio ſpiratoris ſimul eſt cum Paternitate.

93. Dubium vltimum, An relatio ſpiratoris ſit prior, vel poſterior Paternitate, aut ſimul cum illa? *Reſpondeo* neque eſſe priorem, neque poſteriorem, ſed ſimul cum illa. Nam ſi quæ prioritas, aut poſterioritas ſtare poſſet inter Paternitatem & ſpirationem actiuam, ſola eſſet prioritas eſt poſterioritas virtualis à quo originis: hæc nulla eſt cum neutra oriatur virtualiter ab altera: ergo erit omnimodo ſimultas. Minor probatur, quia Paternitas non poteſt eſſe principium virtuale rei communis Patris cum Filio, qualis eſt relatio ſpiratoris, ſicut non poteſt eſſe principium virtuale rei omnibus Perſonis communi; nec ſpiratio actiua poteſt eſſe principium virtuale Paternitatis, cum nullum ad id ſtet fundamentum, maxime cum Paternitas oriatur à ſola eſſentia, quæ prior eſt voluntate, à qua oritur virtualiter ſpiratio actiua: ergo inter Paternitatem, & relationem ſpiratoris, nulla ſtabit prioritas, ſed ambæ vno quaſi ictu procedent ab eſſentia Paternitas, vel etiam ab intellectione; & à voluntate ſpiratio, vel etiam ab amore.

94. Dices eſſentia eſt prior voluntate, & intellectio volitione: ergo etiam Paternitas ſpiratione actiua. Probatur conſequentia, quia quando principium vnius eſt prius principio alterius, etiam terminus principij prioris eſt prior termino principij poſterioris. Paternitas autẽ eſt terminus principij prioris, ſpiratio vero actiua eſt terminus principij poſterioris: ergo Paternitas prior erit ſpiratione actiua, ſeu relatione ſpiratoris.

95. Reſpondeo, conceſſo antecedente, negans conſequen-

tiam

tiam. Ad probationem distinguo maiorem . quando principium vnius est prius principio alterius , etiam terminus principij prioris est prior termino principij posterioris, si inter eos terminos stet etiam ratio principii , quæ stat inter principia, concedo: si non stet , nego. Quia hoc ipso deficit inter terminos ratio formalis propter quam vnum principium erat prius alio, scilicet virtualis origo ; quæ cum non stet inter Paternitatem & spirationem , inde nulla inter ipsas stare potest prioritas , aut posterioritas , quamuis stet inter principia , eo quod vnum sit radix virtualis alterius. Inter perfectiones enim necessarias nulla alia consistere potest prioritas , quam originis : Idcirco inter perfectiones , quæ nullam dicunt originem inter se , nulla quoque prioritas possibilis est,nisi de voce contendas.



DISPVTATIO XX.

De notionibus, Missione, Circuminsessione, & modo prædicandi diuinas perfectiones.

1. ELVCIDATIS iam diuinis Personis tum in communi, tum etiam in particulari, earumque relationibus, processionibus, & principiis, de earum notionibus, missione, & circuminsessione restat disputandum. His annectimus modum prædicandi diuinas perfectiones, & quamuis plura sparsim tradita sint à nobis totius tractatus decursu, colligemus nunc potissimum ea, quæ maiorem lucem præferent puræ, & sinceræ locutioni de Mysterio Trinitatis. Nec leuis æstimandus est labor iste, vt pote diligentissime à Conciliis indagatus, & Patribus, nec à Theologo vllo prætermissus, vt puritate Verborum inoffensa consistat veritas diuina.

SECTIO. I.

An, quid, & quotuplex sit notio Personarum in Deo.

Quid sit notio.

2. NOtio in præsenti nihil aliud, quam ratio propter quam vna persona noscitur distincta ab aliis. Vnde Basilius epist. 43. notionem definit: *Cognoscibile signum.* Id est signum, quo vna persona ab aliis distincta noscitur. Forma ergo, seu quasi

quasi forma, qua perʃonæ diuinæ ʃunt inter ʃe diʃtinctæ dicitur notio, quia per illam quod proprium, & ʃingulare eʃt vniuʃcuiuʃque Perʃonæ nobis innoteʃcit. Tria tamen communiter ad notionem exiguntur. Primum, vt ʃignificetur in abʃtracto, quia exprimitur ad modum formæ diʃtinguentis perʃonam. Secundum, vt ʃit in ordine ad proceʃʃionem, ʃiue originem. Tertium, vt exprimat aliquam dignitatem ʃeu excellentiam Perʃonæ.

3. Notiones ergo hoc modo ʃumptas eʃʃe in Deo, certum eʃt inter Theologos. Quia in Deo ʃunt perʃonæ realiter diʃtinctæ: ergo in vnaquaque eʃt aliqua ʃpecialis ratio diʃtinguens illam à cæteris. Illa autẽ ʃpecialis ratio primo ʃignificatur in abʃtracto in Patre enim eʃt Paternitas, qua diʃtinguitur à Filio, in Filio eʃt Filiatio, qua diʃtinguitur à Patre; & in Spiritu ʃancto eʃt Spiratio paʃʃiua, qua diʃtinguitur à Patre, & Filio. Secundo ʃignificatur in ordine ad originem, nam Paternitas in Patre eʃt in ordine ad generandum Filium; Fliatio vero in Filio eʃt in ordine ad procedendum à Patre; ʃpiratio paʃʃiua in Spiritu ʃancto eʃt in ordine ad procedendum à Patre, & Filio. Tertio ʃignificatur excellentia vniuʃcuiuʃque Perʃonæ; nam ʃicut perʃonæ producentis ingens eʃt dignitas & perfectio producere, ita in Perʃona producta grandis eʃt dignitas, & perfectio produci. Vnde audiendus non eʃt Præpoʃitius relatus à S. Thoma q. 32. art. 2. nogans nationes in diuinis, eo quod diʃtinctio abʃtracti à concreto diuinæ ʃimplicitati ʃit repugnans. Cæterum cum ea diʃtinctio realis non ʃit, nec diuinæ implicitati derogare cenʃenda eʃt.

In Deo eʃʃe notiones certum.

4 Sed dubiolum eʃt, An notiones ʃint conceptus noʃtri formales, quibus diuinas perʃonas cognoʃcimus diʃtinctas; an vero ʃint conceptus obiectiui in ipʃiʃmet perʃonis diuinis exiʃtentes. Primum docuit Gregor. 1. diʃt. 26. q. 2. Tenendum tamen eʃt ʃecundum cum communi ʃententia. Nam proprietates diʃtinctiuæ perʃonarum in ipʃis perʃonis intrinʃece, & obiectiue exiʃtunt, conceptus vero noʃtri extrinʃece tantum: ergo licet conceptus, quos de diuinis proprietatibus formamus dici poʃʃint notiones formales, quatenus per illas cognoʃcimus obiectiuas, iʃtæ tamen potiori titulo dicendæ erunt notiones.

Quot sint notiones in Deo.

5. Circa secundam sectionis partem, videlicet, quotuplex sit notio, maior est difficultas. Prior sententia docet notiones esse quinque, nec plures nec pauciores, scilicet Paternitatem, Filiationem, spirationem actiuam, spirationem passiuam, & innascibilitatem in Patre. Ita communiter fere omnes Theologi. Secunda sententia est Scoti 1. dist. 18. quæst. 1. ad 3. addentis illis quinque sextam notionem in Filio quam vocat inspirabilitatem, quamque ait consistere in negatione processionis per voluntatem. Tertia sententia est Patris Arriagæ disp. 49. sect. 5. numero 44. existimantis admitti posse alias notiones vltra ex assignatis, videlicet ingenerabilitas siue impotentia generandi in Filio, & improductibilitas, seu impotentia producendi in Spiritu sancto, & ingenerabilitas etiam, seu impotentia vt per generationem procedat. Addit tamen de facto solam innascibilitatem traditam esse à Theologis, quia illa sola denotat perfectionem, & dignitatem quandam, quæ non est in aliis, nempe esse omnino à se, seu non habere principium sui productiuum; aliæ enim notiones ex modo significandi non exprimunt dignitatem sed puram carentiam.

Tres relationes personales sunt tres notiones.

6. Assero primo, tres relationes personales esse tres notiones realiter distinctas, videlicet, Paternitatem; Filiationem, & spirationem passiuam. Probatur. quia sunt tres proprietates personales, habentes notas singulares proprias, quæ significantur in abstracto quasi formæ, quibus vna Persona distinguitur ab altera ratione originis: aliunde vnaquæque suam præsefert dignitatẽ & excellentiam, Paternitas Patris, Filiatio Filij, & spiratio passiua Spiritus sancti: ergo erunt tres notiones realiter distinctæ.

Spiratio actiua quartam constituit notionẽ

7. Assero secundo, spirationem actiuam constituere quartam notionem realiter distinctam à Spiritu sancto, virtualiter autem à Patre, & Filio. Ratio est quia spiratio actiua constituit quartam relationem indiuiduam & singularem, Patri cum Filio communem, & oppositam Spiritui sancto: ergo & constituet quartam notionem. Confirmatur, na spiratio actiua significatur in abstracto per modum formæ, in ordine ad originem, seu productionem,

Spiritus

Spiritus sancti, & denotat excellentiam & dignitatem spiratoris; atque adeo erit quarta notio, qua disnoscitur spiratori seu principium Spiritus sancti. Nec obstat spirationem actiuam non esse proprietatē personalem, cum sit duorum. Nam ad rationem notionis non id opus est, sed sufficit esse notam singularem non communem omnibus personis.

8. Circa innascibilitatem Patris, aliasque aliarum personarum notiones superius recensitas, videlicet, inspirabilitas passiua & ingenerabilitas actiua in Filio & inspirabilitas actiua, & ingenerabilitas passiua & etiam actiua in spiritu sancto. Est difficultas, an consistat in positiuo, vel in pura negatione. Prior sententia asserit innascibilitatem prout constituit notionem distinctam à Paternitate consistere in negatione, nam innascibilitas sumpta positiue pro radice illius negationis nihil est diuersum à Paternitate, & consequenter nec distincta notio. Ita P. Soarius P. Molina, & P. Granadus apud Perez disp. 7. sect. 4. numero 1. posterior sententia ait consistere in positiuo diuinæ Paternitatis fundante eam negationem. Ita Perez citatus numero 2. referens Bonauenturam, P. Vasquium.

9. Assero tertio innascibilitatem consistere in positiuo fundante negationem processionis ab alio. Ratio est, quia licet innascibilitas explicetur per modum negationis, re vera tamen paternitas positiue & per se ipsam innascibilitas est, sicut est incommunicabilitas alteri personæ, cum innascibilitas aliud non sit, quam repugnantia, seu impossibilitas procedendi, vnde oritur negatio processionis: ergo cum Paternitas per se ipsam sit repugnantia, seu impossibilitas procedendi à principio, per se ipsam erit innascibilitas; sicut est incommunicabilitas alteri personæ, eo quod per se ipsam sit repugnantia, & impossibilitas, vt communicetur illi. Idem cum proportione dicendum de inspirabilitate passiua, & ingenerabilitate actiua respectu Filiationis; & de inspirabilitate actiua, & ingenerabilitate passiua, & etiam actiua respectu spirationis passiuæ, seu relationis Spiritus sancti.

Innascibilitas in positiuo consistit

10. Assero quarto, innascibilitatem non augere notiones obiectiuas, sed tantum formales; atque adeo notiones obiectiuæ,

Innascibilitas non auget numerū notionum

quatuor tantum erunt, Quod vero formales admittantur plures vltra quinque aut sex, nullum est inconueniens. Probatur conclusio, quia innascibilitas intrinsece, & obiectiue, nihil est, diuersum à Paternitate: ergo neque distincta notio à Paternitate,

11. Dices, innascibilitatem distinctam esse ex modo concipiendi à Paternitate, & hoc sufficere. Contra, quia si id sufficeret tot essent augendæ notiones obiectiuæ, quod essent conceptus notionales nostro modo concipiendi distincti; vnde vtraque processio passiua Filij, & Spiritus sancti, cum nostro modo concipiendi distincta sit à termino, vt diximus disp. 5. sect. 5. n. 51. constitueret duplicem notionem distinctam à Filiatione, & spiratione passiua. Insuper innascibilitas relationis spiratoris, cum hæc à nullo principio reali procedat, aliam constitueret notionem, quæ omnia non admittuntur ab aduersariis. Confirmatur, nam distinctio nostro modo concipiendi non est intrinsece, & formaliter in obiecto: sed in actu cognoscente obiectum in ordine ad vnum terminum, & non in ordine ad alterum: ergo licet ea distinctio sufficiens sit ad augendas notiones formales, non vero ad augendas obiectiuas, sicut sufficiens non est ad augendas relationes diuinas.

12. Obiicies spiratio actiua non est proprietas, cum sit duorum, Patris scilicet & Filij: ergo neque notio? *Respondeo*, proprietatem posse sumi, vel pro relatione personali, & hoc pacto tres tantum sunt proprietates in Deo, & spiratio actiua proprietas non est; vel pro relatione, quæ licet communis sit duabus personis, non tamen omnibus, cumque id sufficiat ad notionem, sufficiens quoque erit, vt spiratio actiua notio sint, sicut relatio est.

SECTIO

SECTIO. II.

De Missione diuinarum personarum.

13. Certum est primo diuinas personas Filij, & Spiritus sancti esse missas. Constat ex Matth. 10. vbi de se ait Christus. *Qui me recipit, recipit eum, qui me mittit.* Et Ioan. 3. *Non enim mittit Deus Filium suum in mundum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum.* Similiter Spiritus sanctus Ioan. 14. mittendus dicitur à Christo. *Paraclitus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo.* Et cap. 15. *Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis.* Et iterum cap. 16. *Si autem abiero mittam eum ad vos.* Vnde constat Personas Filij, & Spiritus sancti fuisse missas; Filium quidem à Patre, & Spiritum à Patre, & Filio.

14. Certum est secundo, Personas diuinas mitti non posse per imperium, aut concilium mittentis. Nam primum arguit subiectionem, & inferioritatem in Persona missa; secundum vero ignorantiam, & vtrumque diuinis personis prorsus repugnat; sicut & missio per motum localem acquisitione nouæ præsentiæ, & amissione antiquæ obstante immediate diuina. Huiusce generis missione dicuntur creaturæ à Deo mitti, & vna creatura ab altera. Sic Deus misit Moisen ad eruendum populum suum à iugo, & pressura Pharaonis, Exodi 3. *Qui est misit me ad vos.* Sic etiam mitti dicuntur prophetæ, & Angeli & Christus misit Apostolos, & superior dicitur mittere subditum, & amicus amicum. Diuinæ Personæ mitti non possunt per imperiū, aut consiliū.

15. Certum est tertio, ad quamcunque diuinæ Personæ missionem strictam duo requiri, & personam missam procedere à mittente, & effectum aliquem creatum speciali modo se habentem circa personam missam, vt distinctam à mittente. Ratio primæ partis est, quia non alia ratione Pater mitti non potest, nec mitteretur etiam si incarnaretur, nisi quia ab alia persona non procedit: ergo ad missionem necessaria est Processio æterna & effectus temporalis ad missionem diuinam requisita.

processio personæ missæ à mittente. Ratio vero secundæ partis est, quia missio in diuinis est apparitio personæ procedentis in forma creata sibi propria: ergo talis forma seu, effectus creatus debet speciali modo denotare, personam missam, vt distinctam à mittente sic Pater misit Filium in mundum, quia apparuit in carne à solo Filio assumpta; & Pater & Filius miserunt Spiritum sanctum in die Pentecostes, quia tunc Spiritus sanctus apparuit in linguis illum solum significantibus ex diuina ordinatione, & voluntate, idemque de columba, & vento dicendum est, quia nihiel eorum physica vnione assumptum fuit à Spiritu, vt contra Tertullianum de carne Christi cap.3. existimantem assumptam esse à Spiritu sancto columbam, teneat cæteri Doctores.

Vnde æterna processio requisita.

16. Prima ergo difficultas est, Vnde æterna processio personæ missæ à mittente requisita sit ad missionem? Hanc difficultatem bene explicant Doctores admittentes processiones per actus liberos. Docent enim, ideo processionem æternam personæ missæ à mittente requisitam esse ad missionem, quia de ratione missionis est, vt persona missa recipiat à mittente liberam voluntatem, ac determinationem eundi ad terminum missionis. Nam mitti est, Personam missam ire quo mittitur per virtutem impressam sibi à persona mittente, hæc autem virtus est voluntas eundi, quæ inter homines imprimitur per imperium; in Deo autem per processionem, qua persona producens dat productæ liberam determinationem, ac voluntatem eundi quo mittitur.

17. Assero tamen primò. Processionem æternam personæ missæ à mittente requisitam esse, vt persona missa distinguatur à mittente: nam idem non dicitur mittere se ipsum, sed alium à se distinctum, ratione ergo distinctionis realis, quam dicit mittens à mittente exigitur in diuinis processio personæ missæ à mittente: cum in diuinis sola processio fundat distinctionem realem. Vnde falsum est, ad missonem in diuinis necesse esse, quod voluntas eundi ad terminum imprimatur, aut communicetur personæ missæ à mittente, sed satis quod in persona mittente sit voluntas, vt persona procedens ab illa vt ad terminum, & in persona procedente sit volun

voluntas eundi ad illum, his enim præcise persona procedens est missa, & quia procedit, & quia vult & appareret in forma, sub qua etiam persona producens vult apparere productam.

18. Secunda difficultas, vnde effectus creatus requisitus sit ad missionem Personæ diuinæ. Ratio dubitandi est, quia in creatis, vt vna persona mittatur ab altera, non opus est, quod persona missa se constituat in termino ad quem mittitur, sed satis est, quod persona mittens velit eam ire, & hanc suam voluntatem manifestat: ergo pariter in diuinis idem sufficiet.

Vnde effectus creatus requisitus sit ad missionem.

19. Assero tamen secundo, effectum creatum necessario ad missionem Personæ diuinæ requisitum esse. Ratio est, quia missio diuina dicit decretum efficax, vt persona diuina appareat in forma creata sibi propria, cumque huiusmodi decretum infrustrabile sit, inde necessario effectus creatus requisitus est. Quod aliter contingit in creatis, nam imperium, quo vna creatura mittit aliam, frustrari potest ab imperata, vnde etiam si ista terminum non adeat, potest dici missa. Alia etiam est dispar ratio inter personas diuinas, & creatas, nam inter diuinas nulla esse potuit discordia voluntatum, bene vero inter creatas, vnde inter istas stare potest missio suo effectu frustrata, non vero inter illas. An autem effectus creatus debeat esse temporalis, vel possit esse æternus? *Respondeo* de facto esse temporalem, potuisse tamen esse æternum, si Verbum ab æterno carnem assumpsisset, & Spiritus sanctus in forma creata apparuisset.

20. Tertia difficultas, An effectus creatus sit de constitutiuo missionis personæ diuinæ, vel effectus tantum, aut terminus illius? Plures sunt in hoc puncto loquendi modi. Aliqui à Magistro relati 1. dist. 15. docuerunt missionem diuinam tantum dicere de constitutiuo processionem æternam. Alij solum effectum temporalem, idque non sine fundamento tribui Magistro ostendit P. Ruiz disp. 108. sect. 2. numer. 5. Alij dicunt consistere in processione æterna cum connotatione ad effectum temporalem. Ita P. Soarius hic cap. 1. Alij

Effectus creatus an sit de constitutiuo Missionis. Multiplex sententia.

vtrum

vtrumque aiunt esse de constitutiuo, sed non explicant, an vnum constituat principalius, & in recto, aliud vero minus principaliter, & in obliquo. Ita S. Bonauentura 1. dist. 15. part. 1. art. 1. quæst. 1. & 2. Carthusianus eadem dist, 15. Cajetanus quæst. 43. art. 1. & 2. Alij docent principaliter, & in recto solam dici processionem æternam, effectum vero creatum minus principaliter, & in obliquo. Ita Alexander Albertus P. Vasquez & alij apud citatum Ruiz è contra tenent solum effectum creatum dici in recto, processionem vero æternam in obliquo. Ita P. Zuñiga quæst. 43. dub. 1. & 2. P. Ruiz disp. 108. sect. 6. n. 8 vocans relationem rationis ad creaturam principalius constitutiuum missionis.

Effectus creatus nulla ratione est de constitutiuo Missionis.

21. Assero tertio, effectum creatum nulla ratione, neque in recto, neque in obliquo, esse de constitutiuo missionis diuinæ in actu primo. Ratio est quia missio in actu primo est id, quo vna persona mittit aliam, seu vult aliam apparere in forma sibi propria: id autem est decretum liberum, quo persona producens vult apparere productam in forma sibi propria, quod decretum liberũ nulla ratione constituitur effectu creato quamuis terminetur ad illum: ergo neque missio in actu primo effectu illo constituetur; Hac ratione missio non temporalis est, sed æterna. In actu vero secundo constituitur effectu creato missio, quia talis est per effectum formaliter, quo pacto missio temporalis est de facto.

22. Dices decretum liberum est commune omnibus personis: ergo non potest esse missio, quæ communis omnibus personis non est. Respondeo, decretum liberum esse quidem commune omnibus personis, non tamen esse missionem respectiue ad omnes personas, sed tantum respectiue ad productã quam denominat missam; vt in simili diximus disp. sect. intellectionem, quantumuis communem omnibus personis, esse communicationem tantum respectu Filij, & volitionem respectu Spiritus sancti. Videas ibi dicta, & obiecta ibidem soluta.

Quotuplex sit missio diuina.

23. Quarta difficultas, Quotuplex sit missio diuina? Duplex communiter assignari solet, interna vna seu spiritualis, externa altera seu sensibilis; siue visibilis vna & inuisibilis

sibili altera. Missio spiritualis seu inuisibilis est illa, quæ fit per internam infusionem donorum gratiæ; externa vero seu visibilis dicitur illa, quæ signo aliquo sensibili contingit, qualis fuit missio Filij in Mysterio Incarnationis, & missio Spiritus sancti in die Pentecostes. Nec dicetur visibilis, eo quod inuisibilem excludat, sed ad distinctionem missionis puræ inuisibilis, quæ nullo signo sensibili contingit.

24. Et quidem missionem visibilem esse vere, & proprie missionem, supponunt omnes. Inuisibilem autem talem non esse docet contra communem sententiam P. Zuñiga quæst. 43 dub. 4. numer. 3. Quia in missione inuisibili Persona mittens venit simul cum Persona missa ad eundem prorsus effectum, ac terminum missionis, nempe ad habitandum in anima iusti per gratiam, quod derogat proprietati missionis, de cuius ratione est, vt mittens, & missus separentur quoad terminum missionis; ita vt missus pergat ad illum, non autem mittens; si enim terminus communis esset mittenti, & misso, hoc ipso persona missa iam non appareret in forma sibi propria, atque adeo stricte missa non esset. Missio visibilis est propriè missio.

25. Assero quartò, missionem inuisibilem esse proprie, & stricte missionem. Probatur, quia licet persona stricte missa apparere debeat in forma sibi propria, atque adeo diuidi debeat à mittente quoad terminum missionis, vt bene probat P. Zunniga; id tamen totum conuenit missioni inuisibili: ergo erit proprie missio. Minor probatur, quia missio visibilis Spiritus sancti, vt fatetur aduersarius, fuit propria missio, quia licet nulla fuerit vnio physica linguarum cum persona Spiritus sancti, fuit vnio extrinseca in ratione signi, & signati, vt ipse ait numer. 4. in missione autem inuisibili stat etiam huiusmodi vnio extrinseca cum persona Spiritus sancti, in ratione signi, & signati: ergo & propria missio. Minor probatur, ideo in die Pentecostes stetit vnio illa extrinseca linguarum cum persona spiritus sancti, potius quam cum Persona Patris, & Filij, quia vel ex ordinatione diuina, vel per attributionem donorum solus Spiritus sanctus significabatur tanquam primum donum, & author sanctificationis internæ: sed ab ipsamet sanctificatione interna similiter significatur Spi- Et etiam inuisibilis concesso Zuñigæ fundamento.

RRr ritus

ritus sanctus tanquam primum donum, & author ipsius iustificationis: ergo stat etiam vnio extrinseca gratiæ cum Persona Spiritus sancti, potius quam cum Persona Patris & Filij.

Omnes personas venire non pugnat cum missione vnius

26. Dices, per internam infusionem gratiæ sanctificantis omnes personæ veniunt ad animam iusti, vt dicitur Ioan. 14. *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*: ergo nulla mittitur. Probatur consequentia nam de ratione personæ mittentis, & missæ est, vt separentur quod terminum missionis, & missa appareat in forma sibi propria: id autem non reperitur in missione inuisibili: ergo. *Respondeo* negans consequentiam, & probationis minorem. Nam licet omnes personæ inhabitent per gratiam in corde iusti, non tamen iustitia significat omnes tanquam primum donum, & principium per attributionem omnis doni creati, in quo stat terminus missionis inuisibilis Spiritus sancti sicut de missione visibili eiusdem Spiritus concedit aduersarius. Sicut ergo id sufficit, vt Spiritus appareat in forma visibili sibi propria, pariter sufficiet, vt appareat in inuisibili.

27. Dices iterum, qualibet forma siue visibilis, siue inuisibilis, producitur à tota Trinitate: ergo non potest esse propria vnius personæ. Respondeo distinguens consequens, non potest esse propria in ratione effectus, concedo: in ratione signi, vel vnionis, nego. Nam licet vnio hypostatica, quatenus effectus, sit à tota Trinitate, tamen, quatenus vnio, solius est Verbi; cum solum Verbum terminet humanitatem. Similiter linguæ igneæ quatenus effectus, licet sint à tota Trinitate, tamen quatenus signum, propriæ erant Spiritus sancti, sicut hæc vox *Filius* licet producatur ab omnibus personis, solũ significat secundam.

An missio visibilis semper inuisibili coniuncta sit.

28. Quinta difficultas, An de facto missio vissibilis, semper inuisibilis coniuncta sit Affirmant P. Valentia quæst. vlt. puncto 4. P. Granadus tract. 15. disp. vlt. & alij. Negant melius alij cũ P. Soario lib. 12. c 4. n. 6. Nam missio Spiritus sancti in specie columbæ super Christũ in Iordane descendentis, contigit absque vlla missione inuisibili per gratiam, cum tota in instanti conceptionis infusa fuerit Christo. Si vero dicas missionẽ inuissibilem

factam

factam esse tunc Ioanni Baptistæ, non solis, nam missio Spiritus per columbam ad Christum facta est, non ad Ioannem, ad exhibendum scilicet testimonium diuinitatis Christi. Si autem dicas cum Granado, missionem visibilem Spiritus per columbam, coniunctam fuisse inuisibili, non quia noua tunc gratia Christo donata fuerit, sed quia perseuerabat à Spiritu sancto conseruata, quæ instanti conceptionis præcessit infusa, ad quam manifestandam exhibita sunt postea signa visibilia. Quæstio redditur de voce, & de re constat, dari missionem visibilem absque inuisibili incipiente de nouo simul cum visibili.

29. Sexta difficultas, An missio Spiritus sancti contingere possit absque intrinseca, & physica mutatione creaturæ rationalis? Id est, an mitti possit inuisibiliter Spiritus sanctus ad puram creaturam, nulla in ea facta intrinseca mutatione. Affirmat Gregorius 1.dist.14.quæst.1. conclus.3. Quam sententiam fugere non possunt quotquot tract.de Iustificatione tenuerint, possibilem esse formam sanctificantem pure extrinsecam, etiã si de facto forma sit physice, & intrinsece inhærens animæ. Nam ea sanctitate denata contingeret missio Spiritus sancti: nulla autem staret physica, & intrinseca mutatio creaturæ: ergo. Censeo ergo possibilem esse huiusmodi missionem, si possibilis sit sanctitas pure extrinseca, secus vero si possibilis non sit. An autem possibilis sit ea sanctitas, quæstio est tractatu de iustificatione dirimenda. *An missio inuisibilis contingere possit absq; intrinseca mutatione creaturæ.*

30. Septima difficultas, An missio inuisibilis Spiritus sancti fiat sola infusione sanctificantis gratiæ, vel etiam aliorum donorum supernaturalium elargitione? Cajetanus quæst.43.art.1. existimat mitti etiam personam Filij per donum fidei informis. Alij censent Spiritum sanctum mitti per inspirationes internæ gratiæ iustificationem præcedentes; & etiam per gratias gratis datas. Communis vero sententia docet, gratiam sanctificantem necessariam esse, vt Spiritus sanctus simpliciter mittatur ad creaturam rationalem. Idemque docet de missione Filij. *Ad missionẽ inuisibilem necessaria est infusio gratiæ.*

31. Assero quinto, ad missionem Personæ diuinæ ad creaturã rationalem necessariam esse infusionem sanctificantis gratiæ.

Ita Thomas quæst. 43. art. 3 corpore cum Augustino. Ratio est, quam optime expendit Sanctus Thomas. Nam vt persona diuina in animam mittatur, vltra communem modum existendi in rebus omnibus per essentiam, præsentiam, & potentiam, specialis necessarius est, quo persona diuina inhabitet in anima tanquam in templo sancto suo, iuxta illud Pauli 1 Corint. 3 *Nescitis quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis.* Et etiam subiungit. *Templum enim Dei tantum est, quod estis vos.* Et Roman. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Et 1. Ioan. 4. *Qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo.* Vnde infert sanctus Thomas. *Sic igitur nullus alius effectus potest esse ratio, quod diuina persona sit nouo modo in rationali creatura, nisi gratia gratum faciens. Vnde secundum solam gratiam gratum facientem mittitur, & procedit temporaliter persona diuina.*

Modus quo Spiritus sanctus ex vi missionis existit in anima.

32. Octaua difficultas, qualis sit specialis ille modus, quo Spiritus sanctus ex vi missionis inuisibilis existit in anima per sanctificantem gratiam? Aliqui docent consistere in eo, quod Spiritus sanctus sit coniunctus animæ per dilectionem, & amorem amicitiæ, sicut amicus amico. Id tamen non videtur sufficiens, nam eo pacto omnes diuinæ personæ coniunctæ sunt iusto. Censent alij specialem illum modum consistere in eo, quod si per impossibile Deus non esset immensus, ex vi gratiæ sanctificantis esset intime præsens anima iusti. Etiam videtur insufficiens modus iste, quia ea intima præsentia etiam omnibus personis communis, cum omnes veniant per gratiam. *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Censeo ergo, specialem illum modum, quo Spiritus sanctus ex vi missionis existit in anima esse vnionem extrinsecam explicatam à nobis difficul. 4. conclus. 4.

An missio inuisibilis contigerit ante aduentum Christi

33. Vltima difficultas, An missio inuisibilis Spiritus sancti facta fuerit ad Angelos, aliosque iustos qui aduentum Christi præcesserunt? Respondeo affirmatiue cum S. Thoma quæst. 43 art. 5. Nec obstat illud Ioan. 7. *Nondum erat Spiritus datus, quia Iesus non dum erat glorificatus.* Quia id de missione visibili in die Pentecostes dictum est. Missio ergo inuisibilis Spiritus sancti per gratiam ad omnes iustos, tum homines, tum Angelos ab orbe

condito facta eſt An autem in ingreſſu beatitudinis contingat noua miſſio Spiritus ſancti ? Reſpondeo affirmatiue ſi viſio beata ſit forma ſanctificans , quia de illa eodem modo ac de gratia habituali diſcurrendum eſt. Secus vero ſi viſio beata forma ſanctificans non ſit ; quia in ingreſſu beatitudinis nec datur noua gratia habitualis , nec augmentum illius , ſed tota confertur in via in inſtanti in quo ſtat meritum illius.

SECTIO. III.

De circuminſeſſione diuinarum Perſonarum.

34. Circuminſeſſio diuinarum perſonarum aliud non eſt, quam exiſtentia vnius in alia iuxta illud Chriſti Domini Ioan,14. *Ego in Patre , & Pater in me eſt.* Et cap. 17. *Sicut tu Pater in me , & ego in te.* Vnde dicit primo circuminſeſſio diſtinctionẽ perſonarum inter ſe,aliter non daretur exiſtentia vnius in altera.Secundo dicit identitatem realem perſonarum in eadem eſſentia,ſeu natura diuina;ſola enim præſentia localis,tantum præſtat,quod eidem loco correſpondeāt, non vero quo vna perſona ſit in alia, Quid circuminſeſſio diuinarum perſonarum

35, Difficultas tamen eſt prima , An vna perſona diuina ſit in alia ſecundum ſe totam , ita vt totus Pater ſit in Filio , totus Filius in Patre , & totus Spiritus ſanctus in Patre, & Filio.Prior ſententia negat aſſerens vnam perſonam tantū quo ad eſſentiam eſſe in alia,non vero quoad perſonalitatem. Ita Durandus 1.diſt.19.quæſt.3. Henricus in ſumma art.53.quæſt.3. Poſterior & communis ſententia affirmat. Ita P. Soarius tract. 3. lib.4. cap. 16.P. Vaſquez diſp.169.P.Granadus tract.14 diſp.3.P. Zuñiga quæſt. 42.diſp.17.dub.6.P·Martinus Perez diſp.18.ſect. vlt.n.6. & plures alij. Durandus Henricus P. Soarius P. Vaſquez P. Granadus P. Zuñiga P Perez

36. Aſſero primo , quamlibet perſonam diuinam eſſe in aliis ſecundum ſe totam,ita vt totus Pater ſit in Filio , & totus Filius in Patre , & totus Spiritus ſanctus in Patre & Filio Probatur, Qualibet perſona ſecundum ſe totam eſt in alia.

tum quia in hymno ; quem in laudibus feriæ secundæ conit Ecclesia, id dare exprimitur ita: *In patre totus Filius, & totus in Verbo Pater.* Consonat Fulgentius de Fide ad Petrum cap. 1. aiens. *Per hanc vnitatem naturalem totus Pater in Filio, & Spiritu sancto; totus Filius in Patre, & Spiritu sancto, & totus Spiritus sanctus in Patre, & Filio.* Ratio est, non præcise quia processiones diuinæ sunt immanentes, id enim licet sufficiens sit, vt terminus maneat in principio, non tamen, vt principium maneat in termino, sed quia alias, non aliter vna persona esset in alia, quam essentia est in persona, quod est contra Patres & Theologos, qui per hanc circuminsessionem aliud significant, quam existentiam essentiæ in persona, scilicet existentiam personæ in persona.

37. Nec inde fit, vt contendebant Durandus, & Henricus, Patrem futurum Filium si in eo esset Filiatio, quia ea existentia vnius personæ in alia non est per identitatem personalitatum inter se, sed per identitatem earum cum essentia. Vnde licet essentia sit ratio, propter quam vna persona existit in altera, non tamen sola ipsa est quæ existit in persona, sed ratione illius potissimum vna persona existit in alia, vt optime notauit P. Zuniga.

Quænam sit ratio formalis circuminsessionis

38. Secunda difficultas, quænam sit ratio formalis circum insessionis diuinæ, seu existentiæ vnius personæ in alia? Alij aiunt esse immensitatem, seu intimam præsentiam personarum ad inuicem; sed id non videtur sufficiens, nam intima præsentia plurium eidem loco non præstat vnum esse in alio. Alij aiunt consistere in vnitate essentiæ, nam ad eum vnitatem Christus Dominus reducit Ioan. 10. existentiam Patris in Filio, & Filij in Patre. Cum enim n. 30. dixisset. *Ego & Pater vnum sumus*, postea num. 38. idem his aliis verbis inculcat, *quia Pater in me est, & ego in Patre*, Pater ergo est in Filio, & Filius in Patre ratione vnitatis essentiæ.

39. Assero secundo rationem formalem circuminsessionis diuinæ consistere in identitate personarum cum essentia, & distinctione earundem inter se. Quæ conclusio sufficienter constat ex dictis.

SECTIO.

SECTIO. IV.

De modo loquendi in Mysterio Trinitatis.

40. LAxis calamis de hac re disputant aliqui doctores. Ego præter ea, quæ toto hoc tractatu sparsim tradita sunt, colligam breui, quæ maioris momenti videbuntur. Et in primis suppono dari indiuiduum Deitatis omnibus personis commune, non solum quoad naturam, seu essentiam diuinam, sed etiam quoad subsistentiam absolutam, vt ex professo traditum est disp. 13. similiterque dari indiuiduum Spiratoris Patri, Filioque commune, non solum quoad spirationem actiuam, sed etiam quod subsistentiam relatiuam, vt dictum est disp. 19. sect. 7. Quare indiuiduum *Deus* prædicatur de omnibus, & singulis personis, & omnes sunt vnus idemque Deus, non solum abstracte ratione vnicæ Deitatis, sed etiam concrete ratione vnicæ subsistentiæ absolutæ, idemque est de indiuiduo Spiratoris respectu Patris & Filij.

Datur indiuiduū Deitatis omnibus personis commune.

41. In Mysterio ergo Trinitatis loqui possumus vel nominibus substantiuis, vel adiectiuis. Nomina substantiua significant concretum ex natura & subsistentia; diuersimode tamen, nam aliqua expressius denotant prædicatum absolutum, vt Deus; alia relatiuum, vt Pater, persona &c. Huiusmodi autem concreta multiplicantur, vel non multiplicantur in Deo ad multiplicationem vel non multiplicationem expressioris significati, siue solum illud dicatur in recto, siue non. Nam etiam si vtrumque significatum per nomen substantiuum dicatur in recto, alterum tamen eorum expressius denotari nihil obstat. Sic Deus expressius dicit Deitatem, & homo humanitatem, quam personalitatem seu hypostasim; econtra vero suppositum & persona expressius dicunt hypostasim, quam natu ram.

Multiplicatio nominū seu concretorum substantiuorum

42. Hinc colligo, in Trinitate non posse dici tres Deos, sed vnum tantum Deum; nam Deus expresius significat Deitatem,

tem, & hæc vnica tantum est. Econtra dici non potest vnica tantum persona, aut suppositum, sed tria, quia nomen suppositum, aut persona, expressius declarat personalitatem, aut suppositalitatem, quæ non vnica tantum in Deo est, sed triplex. Similiter Pater expressius denotat Paternitatem, quæ cum vnica tantum sit, vnus tantum est Pater; vnus similiter Filius, & vnus Spiritus sanctus propter eandem rationem Pariter etiam spirator expresius declarat spirationem actiuam, quæ cum vnica sit in Patre & Filio, inde non duo spiratores dici possunt, sed vnus, nec duo principia Spiritus sancti, sed vnicum.

Quomodo nomina adiectiua multiplicent, vel non multiplicent concreta.

43. Nomina adiectiua cum in in Deo non significent, nec significare possint formam occidentalem, eo quod nullum in Deo possibile sit reale accidens, aliquando sumuntur substantiue, aliquando adiectiue. Quando sumuntur substantiue non multiplicant concreta, quoties expressius significatum est vnicum. Sic in symbolo tres personæ dicuntur vnus Omnipotens, Æternus, Immensus &c. quia vnica est omnium Omnipotentia, Immensitas, & Æternitas. Quando vero sumuntur adiectiue, pro habente Omnipotentiam, Immensitatem, & Æternitatem, multiplicant concreta, & dici possunt tres Omnipotentes, Immensi, & Æterni; quia sunt tres habentes Omnipotentiam, Immensitatem, Æternitatem. Et quamuis sint tres habentes Deitatem non possunt dici tres Dii, quia nomen Deus non adiectiuum est, sed substantiuum.

Quid de nominibus substantiuis abstrahentibus à prædicatis tam absolutis quam relatiuis

44. Nomina aliqua substantiua abstrahunt tam à prædicatis absolutis, quam relatiuis, vt perfectio bonitas, & veritas transcendentalis; & huiusmodi nomina dicuntur indifferenter, videlicet, & singulariter, & pluraliter, pluraliter de personis, & singulariter de essentia. Sic tres personæ dici possũt tres perfectiones; tres entitates, & tres veritates, & essentia dici debet vna perfectio, scilicet absolutas, vna bonitas, & veritas. Immo tres personæ dici deberent vna perfectio absoluta, vna similiter bonitas & veritas.

Actus notionales qua ratione prædicentur in diuinis.

45. Circa actus notionales, scilicet gignere, & gigni; spirare, & spirari, qua ratione prædicentur in diuinis, Censeo, prædicari non posse de perfectionibus absolutis in abstracto.

Nam

Nam essentia nec gignit, nec gignitur, nec spirat, nec spiratur; nec possunt dici de perfectionibus relatiuis etiam abstracte sumptis, nam paternitas non generat nec Filiatio generatur; spiratio actiua non spirat, nec passiua spiratur. Ratio est, quia nec essentia diuina vt à relationibus distincta est principiũ completum gignendi, cum non sit principium quo productiuum, vt constat ex dictis disp. 6. nec paternitas vt distincta ab essentia est principium completum gignendi, cum non sit principium communicatiuum, vt vidimus disp. 7. sect. 4. ergo neutra in abstracto gignit, sed vtraque in concreto Patris, in quem vtrumque confluit principium. Similiter dicendum nec essentiã abstracte spirare, nec relationem aut spirationem actiuam, sed vtramque in concreto spiratoris.

46. Eadem est ratio cur Filiatio non dicatur in abstracto genita, nec spiratio passiua spirata. Quia scilicet nec Filiatio est terminus completus principij generatiui, nec spiratio passiua spiratiui, cum ille dicat non solum terminum productum, sed etiam communicatum, quale non est Filiatio, nec spiratio passiua, quæ tantum sunt terminus productus. Idcirco nec essentia diuina abstracte sumpta dici potest genita, aut spirata, quia licet sit terminus communicatus, non tamen productus. Sola ergo persona Filij dicitur genita, & sola persona Spiritus sancti spirata, quia in concreto illarum, vterque terminus confluit, & productus & communicatus. Vnde colligo contra P. Zuñiga quæst. 39. disp. 14. dub. 2. memb. 2. n. 3. has propositiones falsas esse. *Paternitas gignit, Filiatio gignitur, spiratio actiua spirat, Passiua spiratur.*

47. An vero actus notionales dici possint de termino essentiali concreto, nempe Deo, ita vt veræ sint prædicationes istæ. *Deus gignit, Deus gignitur. Deus spirat, Deus spiratur.* Affirmant Theologi cum Magistro, & aliqui docent esse de fide cum P. Soario. Tum quia Matth. 16. dicitur Christus, *Filius Dei viui*, & in symbolo Nicæno Deus de Deo. Quam locutionem extẽdit ad Spiritum sanctum Anselmus lib. de processione Spiritus sancti c. 5. & 6.

An actus notionales dici possint de termino essentiali concreto.


48. Qua autem ratione terminus essentialis concretus in illis prædicationibus vsurpetur, non omnino conueniunt Doctores.

SSs Aliqui

Aliqui existimant terminum essentialem concrete, scilicet Deus, significare directe naturam & indirecte personalitatem aliquam vagè. Ita P. Zuñiga cum Vasquio. Alij censent denotare naturam, & subsistentiam absolutam. Ita Cajetanus. Alij denique volunt, dicere naturam & personalitatem determinatam, illam videlicet, quam prædicatum determinat, quare in hac propositione, *Deus gignit*, subiectum *Deus* supponit pro Deo Patre, in hac vero alia *Deus gignitur* pro Deo Filio, in ista vero, *Deus spirat*, pro Deo Patre, & Filio, in hac denique altera *Deus spiratur*, pro Deo Spiritu sancto. Ita Durandus 1. disd. 4. quæst. 2. num. 13 Marsilius quæst. 8. Gregorius quæst. vnica Aureolus art. 2. Gabriel quæst. 1. art. 2. Qui omnes admittunt has duas propositiones. *Deus gignit*, *Deus non gignit*, esse veras, & minime contradictorias: nam Deus in affirmatiua supponit pro Deo Patre, qui gignit, & in negatiua pro Deo Filio, qui non gignit.

P Zuñiga. P Vasquez. Cajetanus Marsilius. Gregorius Aureolus. Gabriel.

49. Censeo vltimam sententiam probabiliorem esse. Quia licet Deus absolute sit concretum substantiuum commune omnibus personis non solum quoad naturam, sed etiam quoad subsistentiam absolutam, tamen Deus vt præcise tali concreto constitutus non est principium completum gignendi, nec completus terminus genitus, ergo vt sic nec gignit, nec gignitur: ergo vt vera sit hæc propositio *Deus gignit*, subiectum supponi debet pro Deo Patre, & est ista altera, *Deus gignitur*, pro Deo Filio. Et hæc de sanctissima Triados Mysterio, cedant vtinam in eius gloriam, quam intendimus.



INDEX

INDEX RERVM.

A.

Amor.

Analogia.

Apprehensio.

Attestans.

B.

Beatitudo.

Bonitas.

C.

Carentia.

SSſ 2 Nulla

Perfectio

D.

Deus.

E.

Essentia diuina.

Deus.

Hypoſtaſis.

Processio

Q.

R.

Dantur

Respectus.

Reuelatio.

Similitudo.

S.

Similitudo.

Subsistentia.

Suppositum.

Syllogistica vis.

Trinitas.

T.

Trinitas.

Terminus processionis.

Transcendens.

V.

Verbum.

Sola

F I N I S.


INGENIVM
B R
SVPERAT VIRES

